BX
3606
.H6173
1909
IMS

LIBRARY

6500 us
Zambelli

LIBRARY
Toronto, Ontario

MANUALE HISTORIAE
ORDINIS FRATRUM MINORUM.

MANUALE HISTORIAE ORDINIS FRATRUM MINORUM

A

P. Dre HERIBERTO HOLZAPFEL
PROVINCIAE BAVARIAE O. F. M. ALUMNO

COMPOSITUM

AC LATINE REDDITUM

A

P. GALLO HASELBECK
PROVINCIAE THURINGIAE FILIO.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEPISCOPI FRIBURGENSIS
ET MINISTRI GENERALIS ORDINIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMIX.
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE, S. LUDOVICI AMERICAE.

DECRETUM.

Opus, cui titulus: „**Manuale Historiae Ordinis Fratrum Minorum**“, a Dre P. *Heriberto Holzapfel*, cum rite revisum approbatumque fuerit a duobus Ordinis Nostri Patribus, vigore praesentium typis edi, servatis servandis, permittimus.

Datum *Romae*, e Collegio S. Antonii, die 23 Martii 1909.

(L. S.) Fr. **Dionysius Schuler**,
Minister generalis.

IMPRIMATUR.

Friburgi Brisgoviae, die 16 Aprilis 1909.

‡ **Thomas**, Archiepps.

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
OCT 12 1990
Toronto, Ontario

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

BENEVOLO LECTORI![1]

Reverendissimus P. Dionysius Schuler, minister generalis feliciter ordinem moderans, ineunte iam regiminis sui tempore consilium inierat conficiendi historiae ordinis compendium, quo rebus in ordine Minorum gestis sub uno conspectu positis via ulterioris aperiretur pervestigationis. In decursu historiae omnium scientiarum non raro accidit, ut hominibus doctis in aliquo litterarum genere de iudustria versantibus, fertilissimae ideae ab extraneis subministrarentur, quod hoc quoque in casu evenisse dubium non est. Revera consilium audaciae plenum erat, durantibus paucis annis librum procurare edendum, quem se possidere ordo nullus potest gloriari. Nam historiae ordinum periti, qui difficili fontium pervestigationi assuefacti sunt, facile factis singularibus perscrutandis ita se involvunt, ut inhabiles evadant rectum iudicium de universa historia sibi efformandi, quod maxime erat necessarium.

Librum huiusmodi generis, pro ordine necessario conscribendum fuisse dubium non est; nam quin modum excedamus, dicere possumus numerum illorum historiae peritorum intra et extra ordinem exsistentium, qui omnes partes historiae ordinis aliquatenus saltem perspiciunt, per digitos posse numerari. Haec conditio rerum certe erat ingratissima. Quod vero nunc est remota, tam ordo quam scientia imprimis ministro generali ordinis debent, absque cuius auctoritate nos nunquam ausi essemus suscipere hoc opus. Nam ille,

[1] Translatio huius libri nobis nimis sero commissa est, cum vix tempus conficiendi vastum hoc opus superesset, ideoque nobis citius laborantibus expolire non licuit, quae scripseramus. Ignoscat igitur benevolus lector, si ipsi defectus et errores occurrerint. Praeterea compendium hoc sermone Latino interpretantes praecipue clari facilisque styli studiosi fuimus, ut lectores scopulis linguae non impediti animum totum ad ipsum libri argumentum conferre possent, cuius rei gratia saepissime consulto orationem classicam vitavimus. Nota interpretis.

cuius altera natura ratio historica exstitit, ipse omnia facta mediantibus primariis fontibus perscrutari concupiscit, ut iudicium proprium sibi possit efformare; cumque hac mensura spatium 700 annorum dimensurus est, necessario confitebitur se opus tale absolvere non posse, etiamsi ei loco paucorum annorum multa praesto essent decennia. Bonum revera est hominem in historia minus versatum his non perturbari scrupulis; ipsius animum enim quaestiones de singulis factis non occupant, sed tantummodo facta principalia eorumque nexus, quibus descriptis contentus est, quamvis quaedam singularia omissa vel forsan errori obnoxia sint.

Quo magis muneri mihi imposito incumbebam, eo magis mihi persuasum habui hoc labore scientiae historicae non derogari, immo eandem potius magis profecturam esse, quam ex parte strictae scientiae concedendum esse videatur idque duabus de causis, quia videlicet pervestigatio factorum singularium fertilior reddetur et finis totius scientiae historicae, cognitio temporum praeteritorum, propius est admotus. Ultimis decurrentibus decenniis multae quaestiones singulae de historia ordinis discussae et fontes hucusque ruderibus obruti effossi sunt, attamen in eisdem tractandis multa desiderabantur idque necessario, quamdiu summa investigationum universitati rerum gestarum inseri non potuerunt, id quod ex operibus virorum doctrinae laude insignium probare possumus. Ex quo autem Archivum Franciscanum historicum universae historiae ordinis periodicum accepimus, in dies magis magisque lamentabatur, huiusmodi compendium deesse; undequaque enim saxa illuc attrahuntur, quibus quadrandis et poliendis directio periodici omnibus sane incumbit viribus, quin tamen singula saxa certo conecti possint vinculo. Igitur, quantuscumque fuerit hic lapidum acervus, semper paucorum tantummodo illorum, qui in his studiis de industria versantur, intererit eisdem se occupare. Haec omnia mutantur stante aedificio, cuius structura omnibus patet, quo posito numerus eorum, quorum interest, centuplicatur; quicumque enim studio rerum in ordine gestarum delectantur, nunc invenire possunt, ubi pars vacua sit supplenda, ubi saxum non integrum extrahi debeat, ut aliud eiusdem loco subrogetur, ubi linea falsa sit corrigenda — ut breviter dicamus, totius historiae conspectus necessario lumine suo singula collustrabit facta, quare hoc opus quoquo modo singulas res pervestigandas iuvabit.

Cum hucusque longe maior pars eorum, qui historiae ordinis incumbebant, summa magis minusve ampla notitiarum singularium contenti esse deberent, abhinc systematicam ordinatamque sibi comparare

possunt scientiam, nam *scientia historiae ordinis nunc demum omnibus pervia est facta.* Haec res non solum in emolumentum scientiae historicae, sed praecipue etiam in commodum ordinis ipsius cedet; magna quippe, quae maiores nostri perpetrarunt, nobis vehemens imitandi incitamentum erunt, et vitia, quae temporibus anteactis commissa sunt, nunc cognitis eorum causis et effectibus facilius poterunt vitari. Itaque non dubitamus ideam ministri generalis magnum esse progressum in pervestigatione historiae ordinis et fortasse etiam in unitate et disciplina religiosa ordinis ipsius. Opus sane, quod hic lectori benevolo substernimus, primus tantummodo est conatus, isque difficillimus, huius ideae in praxim deducendae. Continue quoque perficiendum erit, quod tamen facile praestabitur, nam via per silvas densissimas semel aperta facile melior ampliorque sternetur.

Consilium scribendi hunc librum non in nobis ipsis esse ortum iam diximus, sola exsecutio eiusdem nobis commissa est, quae tamen tota quanta a nobis ipsis est, id quod clare enuntiemus oportet. Rationem enim omnium, quae scripta sunt in hoc libro, a nobis esse reposcendam valde inculcamus, ne quis putet, iudicia et sententias in hoc opere contenta officialia, ab ordine quasi approbata esse, id quod minime obtinet. E contra dicere possumus sententias summorum moderatorum ordinis saepe saepius a nostris differre.

Quia in universa litteratura historica non invenitur exemplar, quo uti potuimus, breviter axiomata exponamus, quae in disponenda atque tractanda huius voluminis materia adhibuimus. Imprimis persuasum mihi habui veram ordinis historiam sola descriptione rerum bene gestarum, tabellis seriem nominum continentibus et biographiis magis minusve amplis non esse absolutam, quapropter universam materiam suscepimus tractandam non excepta illa, quae historiarum scriptori maiores parat difficultates simulque minorem delectationem. Huc praecipue vastus historiae internae campus spectat atque expositio constitutionis, cui proprium dedicavimus capitulum, ut haec materia hucusque neglecta clarius depingeretur. In omnibus paginis totius operis, sed praeprimis in describenda evolutione interna ordinis *ideas generales* exhibere, *factorum inter se nexus* propalare et breviter evolutionem ipsam prosequi conati sumus, ita tamen, ut diutius in periodo initiali immoraremur.

Ubicumque fieri potuit, ex optimis fontibus haurire studuimus, quin tamen analysim fontium ipsorum libro inserere liceret, quapropter ad quaestionem, quare hunc fontem illi praetulerimus, in disceptationibus postea orituris respondebimus. Ut verificatio red-

deretur facilior, in allegandis fontibus parci non fuimus, sed plus praestitimus, quam considerato ambitu huius manualis erat exspectandum. Attamen in praesenti conditione historiae ordinis vix aliud expediebat. Omissis enim paragraphis, quarum argumentum ex litteratura praevie adducta patet, quare necesse non erat singula notis illustrare, multae paragraphi, — forsan maiorem partem libri — ex materia quoquoversus disiecta colligendae erant, quare fontes certarum sententiarum citare debuimus.

In eo genere praecipue capitulum IV de industria ordinis magnis difficultatibus erat obnoxium. Aliquot quidem paragraphos huius quoque partis saltem in summa ex fontibus haurire potuimus, sed omnino impossibile erat hoc ubique via et ratione facere. Quia praeterea solidi labores praeparatorii, velut historia praedicationis, missionum, scientiarum etc., adhuc desiderantur, nihil aliud reliquum erat, quam fontes secundarios adire et ex fragmentis undique conquisitis quasi opus musivum componere. De singulis praedicatoribus, doctis et de artibus scribentes ubique dubii haesimus ob nomina et res seligendas, id quod magnis difficultatibus plenum fuit, ut has paragraphos conscripserimus interdum potius „ut aliquid fecisse videamur“. Facile enim has paragraphos tabellis augere potuimus, quae aliquot centena nomina plura continent. Sane in usu litteraturae omnia omisimus, quae parum verisimilia vel minus fundata videbantur, sed hoc non obstante adhuc multum laboris desideratur, ut fundamentum his in partibus solidum ponatur.

Haec eodem modo pro capitibus de industria Conventualium et Capuccinorum valent, quam praeterea valde coartare debuimus. Quae vero de historia interna, constitutione et divisione provinciarum horum ordinum conscripsimus, considerata amplitudine nostri manualis sufficient. Quodsi in hac parte non semper bona referre potuimus, illi Conventuales et Capuccini nobis crimini non dabunt, qui historiam sui instituti noverunt, quique testimonium nobis reddere debent nos in seligenda et exponenda materia certe fuisse ingenuos.

Quod *descriptionem* attinet, studuimus lectori non iterum omnes labores auctoris iterum imponere. Igitur summam tantummodo pervestigationum nostrarum omnium aspectui subicientes, prolixas explicationes vitavimus, quae solos homines doctos historiae ex professo incumbentes delectant; aliud enim est res gestas describere, aliud disceptationes criticas texere. Hoc quidem auctori laborem saepe faciliorem reddidisset, sed lectori probabiliter minorem attulisset utilitatem. Praeterea nemo nobis irascatur, quod non semper

molestum genus scribendorum compendiorum imitari studuimus. Denique multi lectores nobis gratiam referent, quod superabundantiam notarum declinavimus neque lectores coegimus mediam partem textus in calce paginae conquirere. Paucissimis enim exceptionibus omissis ea tantummodo in notas retulimus, quae ibi natura sua quaeruntur, videlicet testimonia et litteraturam. In afferenda litteratura modum servare studuimus, quia non integram bibliographiam describere, sed illos libros designare voluimus, qui cognitioni maxime inserviunt simulque ulteriorem litteraturam exhibent. Consilium, quod initio ceperamus, ubique litteraturam ex omnibus linguis principalioribus Europae desumptam adducere, exsecutioni non potuit mandari, quia non omnes nationes eodem modo historiae ordinis pervestigandae participes fuerunt.

Polemicam, praecipue contra alios auctores omnino vitavimus, alioquin finem scribendi non invenissemus. Praeterea scriptor serio operi suo incumbens polemicam cito relinquet, quia difficultates perspiciens singulis erroribus facilius ignoscit, quam is, qui studia primoribus tantum labris attigit. Optima polemica nobis visa est quiete veritatem exponere, prout eam invenimus.

De his adhuc pauca. Peculiari semper sensu afficimur legentes auctorem declarantem se veritatem scribere; talis enim nobis idem facere videtur ac homo, qui se nobis praesentat affirmando se hominem honestum esse. Attamen aliter res se habet, si auctor merito dicit se *totam veritatem* conscribere velle, i. e. nihil reticere, quod necessario dicendum est, ut conspectus veritati consentaneus proponatur. Haec maxima est difficultas pro historiarum scriptoribus, quare modus, quo hic eandem superat, non raro dicendus est testimonium qualitatum moralium huius viri, eiusque iustitiae atque ingenii. Fieri enim potest, ut historia apparatu totius scientiae scribatur, in qua omnia accurate ex fontibus demonstrantur, quin tamen summa totius laboris aliud sit quam imago depravata, quia vetustatem non prout erat depingit, sed tantummodo bonam vel malam eius partem. Et si in his operibus alteri parti pauca conceduntur, ut species obiectivitatis servetur, id eo modo fit, ut iudicium universum non mutetur. Miser autem homo est, qui proximum suum novisse credit, quia eius vitia enumerare potest! Idem dicendum est quoad scientiam historicam.

In seligenda materia, in studio dividendi aequo modo lucem a tenebris, historiarum proprii ordinis scriptor in maximo versatur periculo in alterum illidere scopulum, videlicet amore ordinis ductum veri-

tatem obfuscare. In hunc scopulum multi incurrerunt, quin ordini emolumentum afferrent. Ideo credidimus nos fundationi S. P. Francisci, cuius membrum nos esse gloriamur, neque maius officium praestare neque melius partem gratiae debitae referre posse, quam eius historiam veraciter scribendo, nihil boni omittentes, nihil mali reticentes. Nihil S. Franciscus magis odio habuit, quam speciem fictae simulationis. Nihil igitur minus redolet spiritum Franciscanum, quam fingere Fratres Minores meliores fuisse ac revera fuerunt. Non est, cur ordinem historiae suae pudeat, immo maiorem sibi acquirit gloriam monstrando se, prout est, palam testificando, se non habere, quid velamine indigeat vel lucem fugiat. Saeculares certe non credunt, in ordinibus vitia non inveniri, proinde diffidentia afficiuntur videntes malorum ubique tegumentum quaeri; ideoque libere locuti sumus et vituperavimus, quae vituperanda esse credidimus. Fortasse hac in re nimium praestitimus, sed institutum, quod criticam obiectivam et benevolam sustinere non potest, graviter aegrotat.

Veritas etiam postulavit, ut exaggerationes vitaremus, aeque ac „Constat" vulgatum illud, ubi „fortasse" vel „verisimile" erat dicendum. Quandocumque res gestae nos latuerunt, id non reticuimus et numerus dubiorum explicite et implicite designatorum sufficienter magnus est. Pervestigatio futura haec dubia auferet et illa problemata solvet, quae tantummodo obiter tangere potuimus. Hucusque enim initium solum historiae scribendae fecimus, finis vero, historia ordinis magna omniaque comprehendens adhuc diu desiderabitur. Nunquam vero finis iste attingetur — paene rubore suffundimur haec scribentes — eo, quod ea, quae in hoc libro continentur, amplioribus verbis describuntur distrahendo per centum paginas, quae nos multo cum labore in quinque paginis coacervavimus, nam hoc mediante litteratura adducta difficile non est. Neque proposito conduceret, hunc librum breviori adhuc compendio reddere et quasi comprimere in usum Delphini; nam claritas sic damnum pateretur, neque hoc studium in emolumentum scholae cederet. Melius est libros attente legere, quam excerpta ediscere, quibus solummodo memoria vexatur.

Progressus historiae ordinis alio indiget labore, scilicet profundiori pervestigatione. Ubique, praecipue in magno capitulo de industria ordinis, primi fontes sunt effodiendi, quod tantummodo scribendo monographias fieri potest. Numerosae vero monographiae fundamentum efficiunt descriptionis compendiosae unius vel alterius partis industriae. Simili modo multae partes historiae internae, praecipue post annum 1517, historia singularum ditionum et provinciarum,

historia II et III ordinis etc. seorsus sunt tractandae, ut omittamus magna illa desiderata, videlicet biographiam, bibliographiam et topographiam Franciscanam. Praestat quoque bullarium celerius perfici.

Quodsi aliquando omnia haec desideria completa erunt, editor futurus huius compendii, quod semper primae cognitioni inserviet, facilius laborabit, quia fundamento magis solido innititur. Pro prima vero editione sufficit certe institutionem conditioni pervestigationis praesentis congruentem tradere et historiae peritos ad ulteriorem pervestigationem excitare. Si ad hoc apta inventa fuerit, finem suum consecuta est, quantuscumque numerus singularum rerum sit, quae disceptationem provocant. Non hic liber ut totum quoddam considerandus et iudicandus est, quare iudicium illorum criticorum, qui singulis tantummodo insistunt, quin operae pretium ducant totum librum pervolutare, exigui duceremus momenti.

Concludere non possumus, quin eis gratias referamus, qui difficilem laborem nostrum consiliis atque factis adiuverunt. Reverendissimus Pater minister generalis exsecutionem mandati sui vivo prosecutus est studio eamque valde promovit concedendo nobis licentiam visitandi maiores bibliothecas diversarum regionum. Praeter bibliothecas publicas, quae ubique gratum mihi praestiterunt obsequium, fratres collegii *S. Isidori* Romae libenter thesauros suos mihi subministrarunt, item fratres ad *Claras Aquas, Pragis, Egerae, Bruxellis* degentes, praecipue vero *Antwerpiae,* ubi *P. Stephanus Schoutens* non amplius in infirmeria consistere potuit, quamdiu novit, nos in deliciis suis, in bibliotheca, raris operibus historiam ordinis spectantibus referta, morari. Parisiis *Ubaldus Alenconensis O. Cap.* nobis dux peritus per vetera illa loca Franciscana erat et libenter recordor receptionis amicae, quam in „Rivotorto“ Gallico inveni, quaeque diuturnitate tantummodo superata est ab hospitalitate *Missionariarum Franciscanarum,* quae ubique ingenue et amice nobiscum conversatae sunt. *P. Conradus Eubel* bonum nobis praestitit obsequium corrigendo paragraphos de Conventualibus tractantes et subministrando litteraturam necessariam. Hac in re etiam *conventui Wirceburgensi* eiusdem ordinis debitor facti sumus et magis adhuc *P. Angelico Eberl,* indefesso bibliothecario conventus Monacensis Capuccinorum, qui nobis omnia, quae desiderabamus, comiter comparavit. *P. Amandum Sulzböck* nunquam piguit consultationes et desideria nostra vehementia et idemtidem necessaria mira celeritate expedire, et *P. Livarius Oliger,* lector generalis, Romae

exsistens, benigne tabellas verificavit, quae sane adhuc supplemento et correctione indigent. Denique clerici iuvenes Monacenses nobis magnam partem scriptionis perfecerunt, quorum unus etiam maiorem partem notiarum historiam musicae spectantium attulit.

Magnam quoque debemus gratiam superioribus nostris immediatis Monachii degentibus, praecipue *P. Bonaventurae Blattmann*, ministro provinciali feliciter gubernanti. Opifici enim scientifico saepe adiumentum indirectum magis proficit, quam adiuvamen directum, quod spectat ad laborem, promptius et liberius expediendum, additis cuiuscumque generis adminiculis. Dudum iam, priusquam hoc manuale conficere iuberemur, superiores conventus Monacensis bibliothecam pretiosis libris Franciscanis auxerunt, absque quorum auxilio vix laborem tempore suo perficere potuissemus. Multa opera rara, quae aliquando vultu adducto comparaverunt, eos ex notis arridebunt, quasi dicant se quoque contulisse ad perfectionem manualis diu desiderati.

Monachii, mense Martio anni 1909.

Auctor.

INDEX.

pag.
Benevolo lectori! V
Abbreviationes XIX

Liber I.

Primus Ordo.

Pars I.

Historia ordinis usque ad separationem factam anno 1517.

Caput I.

Historia de interna ordinis evolutione.

Sectio I. *De ordinis initiis usque ad annum 1226.*

§ 1. Conspectus chronologicus vitae S. Francisci. 1181—1209 . . 1
§ 2. Conspectus chronologici continuatio. 1209—1226 6
§ 3. Valor historicus S. Francisci 10
§ 4. Franciscus qua ordinis fundator; regulae evolutio 16

Sectio II. *Epocha declarationum regulae et controversiarum de paupertate. 1226—1334.*

§ 5. Generalatus Ioannis Parentis et Eliae. 1227—1239 19
§ 6. A depositione Eliae usque ad electionem S. Bonaventurae. 1239—1257 25
§ 7. Generalatus S. Bonaventurae. 1257—1274 30
§ 8. Quaedam generalia de factionibus circa annum 1270 in ordine exsistentibus. Regulae declarationes privatae 36
§ 9. Ministri generales ab anno 1274 usque ad annum 1289. Bulla „Exiit" 40
§ 10. Historia contentionum inter Spirituales et communitatem. 1289—1305 45
§ 11. Contentionum inter Spirituales et communitatem continuatio sub Clemente V. 1305—1314. Decretalis „Exivi" 50
§ 12. Spiritualium ruina. 1314—1318 55
§ 13. Ordinis discrimen sub Ioanne XXII. 1321—1324 58
§ 14. Discrimen ordinis. (Continuatio.) 1324—1334 64

pag.

Sectio III. *Origo et progressus Conventualismi. Coniunctio Observantium ad eundem reprimendum. 1334—1430.*

§ 15. Conventualismi notio et causae 71
§ 16. Series et acta ministrorum generalium usque ad schisma occidentale. De constitutionibus Caturcensibus et Farineriis. 1334—1378 . 74
§ 17. Ordinis sors durante schismate occidentali. 1378—1417 . . 77
§ 18. Studia reformationis inter Minoritas Italos usque ad concilium Constantiense 81
§ 19. Historia domorum reformatarum in Hispania et Lusitania usque ad concilium Constantiense 85
§ 20. Historia actionis reformatoriae in Gallia usque ad concilium Constantiense 90
§ 21. A fine concilii Constantiensis usque ad capitulum generale anni 1430 95

Sectio IV. *Contentio inter Conventualismum et Observantiam usque ad huius victoriam. 1430—1517.*

§ 22. A capitulo generali Assisiensi usque ad capitulum generale Patavinum. 1430—1443. Constitutiones Martinianae . . . 100
§ 23. A capitulo generali Patavino usque ad promulgationem constitutionum Barcinonensium. 1443—1451 106
§ 24. De studiis unionis sub Nicolao V et Calixto III. 1452—1458 . 112
§ 25. A renovatione bullae Eugenianae usque ad obitum Sixti IV. 1458—1484 116
§ 26. Brevis conspectus congregationum reformatarum saeculo XV existentium 120
§ 27. Generalatus Aegidii Delfini. 1500—1506. Constitutiones Alexandrinae 125
§ 28. A capitulo generalissimo anni 1506 usque ad capitulum generalissimum anni 1517 131
§ 29. Separatio definitiva anno 1517 facta 135

Caput II.

Evolutio provinciarum ordinis. Statistica.

§ 30. Circumscriptio provinciarum durante saeculo XIII et XIV . . 139
§ 31. Statistica pro saeculo XIII et XIV 143
§ 32. Evolutio provinciarum Observantium usque ad annum 1517 . . 145
§ 33. Series provinciarum Observantium anno 1517. Statistica . . 149

Caput III.

Constitutio ordinis.

§ 34. Lineamenta constitutionis ante et post annum 1239. De Cardinali protectore 152
§ 35. Minister generalis eiusque vicarius et socii 156
§ 36. De capitulo generali 161
§ 37. De ministro et capitulo provinciali 166
§ 38. De custodibus et capitulo custodum 171
§ 39. De guardianis et conventibus 174
§ 40. Constitutio Observantium usque ad annum 1517 178

Caput IV.

Ordinis influxus et industria.

pag.

A. *Missio in sinu ecclesiae.*

§ 41. De ordinis influxu et industria in communi 183
§ 42. Minoritae in immediatis Apostolicae Sedis servitiis 186
§ 43. Verbi Dei praedicatio durante saeculo XIII et XIV . . 190
§ 44. Verbi divini praedicatio durante saeculo XV 195
§ 45. Ordinis influxus in liturgiam ecclesiasticam et in devotiones religiosas 200
§ 46. Actio socialis ordinis 205
§ 47. Ordinis relatio ad clerum parochialem 209

B. *Ordinis missiones inter acatholicos.*

§ 48. Notae generales 215
§ 49. Missiones Europaeae 217
§ 50. Missiones Africanae 222
§ 51. Missiones Sinenses 226
§ 52. Missiones in ceteris Asiae ditionibus excepta Palaestina . . 230
§ 53. Missiones in Terra Sancta 234

C. *Scientiae et artes.*

§ 54. Ordinis relatio ad scientias 239
§ 55. Scholae ordinis 243
§ 56. De lectoribus 248
§ 57. Observantium relatio ad scientias 253
§ 58. Quidam celebres ordinis doctores 256
§ 59. Merita ordinis de artibus 263

Pars II.

Ab anno 1517 usque ad nostra tempora.

§ 60. Brevis totius epochae conspectus 266

I. Ordo Fratrum Minorum (Franciscani).

Caput I.

Historia de interna ordinis evolutione.

Sectio I. *Epocha novarum reformationum intra Observantiam ab anno 1517 usque ad finem saeculi XVII.*

§ 61. De primis quinque ministris generalibus post ordinis separationem. 1517—1535 271
§ 62. A depositione Pauli Pisotti usque ad publicationem constitutionum Vallisoletanorum. 1535—1593 275

pag.

§ 63. A tempore constitutionum Vallisoletanarum usque ad tempus constitutionum Segoviensium. 1593—1621 279
§ 64. A tempore constitutionum Segoviensium usque ad tempus constitutionum Sambucanarum. 1621—1663 282
§ 65. A tempore constitutionum Sambucanarum usque ad finem saeculi XVII. 1663—1700 286

Sectio II. *De reformationibus intra Observantiam.*

§ 66. Historia Discalceatorum usque ad mortem S. Petri de Alcantara . 289
§ 67. Historia Discalceatorum post mortem S. Petri de Alcantara . . 293
§ 68. Historia domorum recollectionis 298
§ 69. Historia Reformatorum usque ad mortem Gregorii XV . . . 303
§ 70. Historia Reformatorum post mortem Gregorii XV 308
§ 71. Historia Recollectorum 311

Sectio III. *Historia ordinis ab ineunte saeculo XVIII ad nostra usque tempora.*

§ 72. A capitulo generali anni 1700 usque ad capitulum anni 1723 . 316
§ 73. A generalatu Laurentii Cozza usque ad ultimum capitulum generale ante rebellionem. 1723—1768 319
§ 74. Generalatus Paschalis Frosconi a Varisio (Varese). 1768—1791 . 323
§ 75. Ordinis sors durante rebellione Gallica et Hispanica . . . 327
§ 76. A tempore constitutionis „Gravissimas" usque ad resignationem Raphaelis Lippi, ministri generalis. 1838—1869 . . . 331
§ 77. Duo ultimi ministri generales ante unionem. 1869—1897 . . 333
§ 78. Unio ordinis anno 1897 facta 337

Caput II.

Evolutio provinciarum ordinis. Statistica.

§ 79. Quaedam generalia 340
§ 80. Provinciae familiae cismontanae usque ad rebellionem Gallicam . 343
§ 81. Provinciae familiae ultramontanae usque ad rebellionem Gallicam . 349
§ 82. Provinciae ordinis post rebellionem Gallicam 360
§ 83. Statistica ex anno 1517 ad nostra usque tempora 371

Caput III.

Constitutio ordinis.

§ 84. Notae generales. De Cardinali protectore 380
§ 85. Minister generalis eiusque adiutores immediati 386
§ 86. De commissario generali et nationali 394
§ 87. Officiales in curia Romana 400
§ 88. De capitulo et congregatione generali 404
§ 89. De ministro et capitulo provinciali 409
§ 90. De guardianis et conventibus 413

Caput IV.

Ordinis influxus et industria.

pag.

A. *Missio in sinu ecclesiae. Pugna contra haereses reformatorum.*

§ 91. Ordinis relatio ad Protestantismum in communi 415
§ 92. Quidam propugnatores rei catholicae in Germania septentrionali . 422
§ 93. Quidam propugnatores rei catholicae in Germania meridionali et in Austria 428
§ 94. Pugna contra haeresim in Gallia, Belgio et Hollandia . . . 432
§ 95. Pugna contra haeresim in insulis Britanniae et in Scandinavia . 436
§ 96. Verbi divini praedicatio 440

B. *Missiones inter Saracenos et infideles.*

§ 97. Quaedam generalia 444
§ 98. Missiones Americae mediae et Mexici 450
§ 99. Missiones Americae meridionalis 457
§ 100. Missiones Americae meridionalis. (Continuatio.) 462
§ 101. Missiones Americae septentrionalis 468
§ 102. Missiones Europae et Africae 476
§ 103. Missiones Philippinarum et Iaponiae 480
§ 104. Missiones Sinae, Indiae et Australiae 485
§ 105. Missiones Terrae Sanctae 491

C. *Scientiae et artes.*

§ 106. De studiis in generali 497
§ 107. De domibus studiorum 504
§ 108. De lectoribus 509
§ 109. Quidam fratres doctrina insignes 515
§ 110. Rerum ordinis scriptores 520
§ 111. Merita ordinis de artibus 527

II. Ordo Fratrum Minorum Conventualium.

§ 112. Interna huius ordinis evolutio 530
§ 113. Evolutio provinciarum. Statistica 534
§ 114. Constitutio Conventualium 539
§ 115. Ordinis industria 544

III. Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum.

§ 116. Interna huius ordinis evolutio 548
§ 117. Evolutio provinciarum. Statistica 554
§ 118. Constitutio Capuccinorum 561
§ 119. Industria Capuccinorum 568

Liber II.

Secundus Ordo (Clarissae).

pag.

§ 120. Sancta Clara eiusque monasterium ad S. Damianum . . . 575
§ 121. Historia ordinis Clarissarum durante saeculo XIII et XIV . . 580
§ 122. Historia ordinis Clarissarum ex saeculo XV 587

Liber III.

Tertius Ordo (Tertiarii).

§ 123. Tertii ordinis pro saecularibus evolutio 594
§ 124. Momentum tertii ordinis pro saecularibus 600
§ 125. Tertius ordo regularis virorum 605
§ 126. Tertius ordo regularis feminarum 612

Conclusio 617

Tabellae.

I. Ministri generales totius Ordinis Fratrum Minorum 619
II. Capitula generalia Fratrum Minorum 622
III. Vicarii generales et capitula generalia Observantium usque ad annum 1517 624
IV. Commissarii generales utriusque familiae Observantium ab anno 1517 usque ad annum 1838 (cum congregationibus generalibus) . 626
V. Superiores generales et capitula generalia Conventualium . . 629
VI. Superiores generales et capitula generalia Capuccinorum . . . 631
VII. Cardinales protectores ordinis Fratrum Minorum 633
VIII. Cardinales protectores Conventualium 633
IX. Cardinales protectores Capuccinorum 634
X. Series Pontificum ab Innocentio III 634
XI. Sancti et Beati totius ordinis 636

Index generalis 641

ABBREVIATIONES.

Acta = Acta Ordinis Minorum, I—XXVIII, Romae 1882—1909.

AF = Analecta Franciscana, I—IV, Quaracchi 1885—1906.

ALKG = Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters, editum a *Denifle* et *Ehrle.*

Archiv. = Archivum Franciscanum historicum, I—II, Quaracchi 1908—1909.

A. SS. = Acta Sanctorum ed. *Bolland.*

BC = Bullarium Ord. Min. Capuccinorum, I—VII ed. a *Michaele a Tugio,* Romae 1740—1752. VIII—X ed. a *Petro Dam. a Münster,* Oeniponte 1883—1884.

BD = Bullarium Fratr. Ord. Min. Discalceatorum, I—V ed. a *Francisco Matritensi,* Matriti 1744—1749.

Benoffi = Compendio di storia Minoritica, Opera postuma del *P. Francesco Antonio Benoffi,* Pesaro 1829.

BF = Bullarium Franciscanum, I—IV ed. a *Ioanne Hyacintho Sbaralea,* Romae 1759—1768. V—VII ed. a *Conrado Eubel,* Romae 1898—1904.

Bullae et Decreta = B. et D. statum legalem Ordinis Minorum respicientia, Romae 1895.

CC. GG. = Regula et Constitutiones generales fratrum Minorum, Romae 1897.

Chevalier = *Ul. Chevalier,* Répertoire des sources historiques du moyen-âge, Bio-Bibliographie², Paris 1905.

Chron. = Chronologia historico-legalis Seraphici Ordinis Fratr. Min., I ed. a *Michaele Angelo a Neapoli,* Neapoli 1650. II ed. ab *Iulio de Venetiis,* Venetiis 1718. III 1 2 ed. a *Carolo Maria Perusino,* Romae 1752. IV ed. ab *Augustino Maria Neapolitano,* Romae 1795.

Chronica Franc. = Chronica scripta a Fr. Francisco Francisci. Ms. saec. XVI (Musée archéologique in Namur No 166).

Dirks = *Servais Dirks,* Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance de S. François en Belgique et dans les Pays-Bas, Anvers 1885.

EF = Études Franciscaines publiées par des Religieux de l'ordre des Frères Mineurs Capucins, I—XXI, Paris-Louvain 1899—1909.

Firm. = Firmamenta trium ordinum beatissimi Patris nostri Francisci, Parisiis 1512 (V 30 = quinta pars fol. 30).

Giard. = *Pietro Antonio di Venezia,* Giardino serafico istorico, I—II, Venezia 1710.

Gonz. = *Franc. Gonzaga*, De origine seraphicae religionis Franciscanae eiusque progressibus, Romae 1587.

Greiderer = *Vig. Greiderer*, Germania Franciscana, I—II, Oeniponte 1777—1781.

Gub. = *Dominicus de Gubernatis a Sospitello*, Orbis seraphicus, I—IV, Romae-Lugduni 1682—1685. V (de missionibus tomus primus) Romae 1689. VI (de missionibus tomus secundus) Quaracchi 1886.

Heimbucher = *Max Heimbucher*, Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche[2], Paderborn 1907 sq.

KL = Wetzer und Weltes Kirchenlexikon[2], Freiburg 1882—1901.

Lequile = *Didacus de Lequile*, Hierarchia Franciscana, I—II, Romae 1664.

Manuale = *Flaminio Annibali da Latera*, Manuale de' Frati Minori, Roma 1776.

Marcell. = *Marcellino da Civezza*, Storia universale delle Missioni Francescane, I—VI, Roma-Prato 1857—1881. VII 1—4, Prato-Firenze 1883—1894. VIII—XI (in *uno* continentur volumine!) Firenze 1895.

Marczic = *Ranier-Francesco Marczic*, Apologia per l'ordine de' Frati Minori, I—III, Lucca 1748—1750.

Menologium = *Fortunatus Hueber*, Menologium Sanctorum, Beatorum etc. ex triplici ordine, Monachii 1698.

MF = *Michaele Faloci Pulignani*, Miscellanea Francescana, I—X, Foligno 1886 ad 1907.

Mon. = Monumenta Ordinis Minorum, Salmanticae 1506. (III 20 = Tractatus tertius fol. 20.)

OD = Ordinationes et Decisiones Capitulorum Generalium Ord. Fr. Min. Capuccinorum revisae ac typis mandatae iussu P. Venantii a Taurino totius praefati ordinis Ministri Generalis, Romae 1851.

OFM = Ordo Fratrum Minorum.

Othon = *Othon de Pavie*, L'Aquitaine Séraphique, I—IV, Auch-Vanves-Tournay 1900—1907.

Panfilo = *Panfilo da Magliano*, Storia compendiosa di S. Francesco e dei Francescani, I—II, Roma 1874—1876.

Patrem = *Marie Leon Patrem*, Tableau synoptique de l'histoire de tout l'ordre séraphique, Paris 1879.

Rapine = *Charles Rapine*, Histoire générale de l'origine et progrez des Frères Mineurs de S. François, vulgairement apellés en France, Flandre, Italie, Espagne, Recollects, Reformes ou Dechauxes, Paris 1630.

Reg. GB = Registrum Reverendissimorum Patrum Commissariorum Generalium Ordinis S. Francisci provinciarum Germaniae superioris, Belgii et annexarum, I—V, 1526—1806. (Ms. in archivo prov. Bavaricae Franciscanorum Monachii).

Saggio = *Marcellino da Civezza*, Saggio di bibliografia geografica, storica, etnografica Sanfrancescana, Prato 1879.

Sbar. SS. = Supplementum et castigatio ad scriptores trium ordinum S. Francisci a Waddingo aliisve descriptos, opus posthumum *Io. Hyacinthi Sbaraleae*, Romae 1806.

Spec. = Singulare Opus Ordinis seraphici . . . quod *Speculum Minorum* seu *Firmamentum* trium Ordinum intitulatur, Venetiis 1513. (III 12 = pars tertia fol. 12).

V. Haute = *Petrus van den Haute*, Brevis historia (Breviarium historicum) Ordinis Minorum, Romae 1777.

V. Haute Misc. = Eiusdem Miscellanea, quae XII tomos implent, quaeque asservantur in archivo prov. Belgicae Bruxellis.

W = *Lucas Waddingus*, Annales Minorum, editio secunda, I—XVI, Romae 1731—1736. XVII. Index. XVIII ed. a *Ioanne de Luca*, Romae 1740. XIX ed. a *Iosepho Maria de Ancona*, Romae 1745. XX ed. a *Caietano Michelesio Asculano*, Romae 1794. XXI—XXIV ed. a *Stanislao Melchiori*, Anconae-Neapoli 1844—1860. XXV ed. ab *Eusebio Fermendžin*, Quaracchi 1886.

W SS. = *Lucas Waddingus*, Scriptores Ordinis Minorum, Romae 1650.

Ceterae abbreviationes, quae versantur circa titulos librorum, explicantur ex adnotationibus eiusdem vel immediate praecedentis paragraphi.

Liber I.

Primus Ordo.

Pars I.

Historia ordinis usque ad separationem factam anno 1517.

Caput I.

Historia de interna ordinis evolutione.

Sectio I.

De ordinis initiis usque ad annum 1226.

§ 1. Conspectus chronologicus vitae S. Francisci. 1181—1209[1].

Assisium! „Benedicta tu a Domino, quia per te animae multae salvabuntur!“ Viator, Fulgineo veniens Assisium, his adhuc diebus conspicit haec verba, sculpta supra portam civitatis in monumentum grati animi, quem ipsa civitas maximo suo filio servare nunquam destitit.

In hanc civitatem amoene supra montem positam christiana religio iam primis temporibus propagata esse videtur, quippe quae iam

---

[1] **Fontes principales.** 1. *Opera S. Francisci*, ed. *Wadding*, Antwerpiae 1623; ed. Quaracchi 1904; ed. *H. Boehmer*, Tubingae 1904. 2. *Thomas a Celano*, ed. *Edouard d'Alençon*, Romae 1906. 3. *Iordanus a Giano*, ed. Quaracchi, AF I 1; ed. *H. Boehmer*, Chronica Fr. Iordani, Parisiis 1908. 4. *Legenda trium sociorum*, ed. *Suysken;* A. SS. Oct. II 723, ed. *Marcellino da Civezza* et *Teof. Domenichelli*, Romae 1899. 5. *S. Bonaventura*, ed. Quaracchi, Opera omnia S. Bonaventurae VIII 504. 6. *Speculum perfectionis*, ed. *P. Sabatier*, Paris. 1898; ed. *L. Lemmens*, Quaracchi 1901.

Scientia de fontibus. *W. Goetz*, Quellen zur Geschichte des hl. Franz, Gotha 1904. *A. G. Little*, The sources of the history of St. Francis: Engl. Hist. Rev.

saeculo III Episcopum habuerit S. Rufinum, cui dedicata est antiquissima eiusdem urbis ecclesia cathedralis. In baptisterio huius ecclesiae, quod hodiernum usque in diem est unicum totius civitatis, baptizatus est anno 1181 vel 1182[1] Franciscus, vocatus tunc a matre sua *Pica* Ioannes. Paulo tamen post, reverso patre ipsius *Petro Bernardone*[2] e Gallia, ubi negotiationis causa saepius morabatur, mutato nomine vocatus est *Franciscus* secundum regnum Franciae, quod Petrus Bernardone prae ceteris terris adamaverat.

Educantes hunc filium parentes non intenderunt multarum notitiam litterarum, quia deputatus erat lucrativis mercationum negotiis; nihilominus autem superavit plurimum minimumque eruditionis modum suorum coaequalium; certe eruditior erat, quam ipse postea concederet, quia callebat linguam latinam, quam didicerat apud presbyteros ecclesiae S. Georgii, neque ignota ei remanserat lingua gallica. Ast

---

XVII (1902), n. 68. *S. Minocchi,* La questione francescana, Torino 1902. *G. Golubovich,* Esame di alcune fonti storiche di S. Francesco, Firenze 1905. *A. Fierens,* La question franciscaine: Rev. d'hist. eccl. VII (1906), n. 2. *Léon de Kerval,* Les sources de l'histoire de S. François, Pérouse 1907. *G. Schnürer,* Neuere Quellenforschungen über den hl. Franz: Histor. Jahrb. der Görres-Gesellschaft XXVIII (1907) 9.

Non obstantibus his et multis aliis operibus adhuc non satis declarata est relatio et valor singulorum fontium quoad historiam S. Francisci. Alter Mabillonius desideratur.

Litteratura. *Bartholomaeus de Pisa,* Liber conformitatum, ed. AF IV sq. *Suysken,* A. SS. Oct. II 545. *N. Papini,* La storia di S. Francesco, Foligno 1825—1827. *K. Hase,* Franz von Assisi, Leipzig 1856. *Panfilo da Magliano,* Storia compendiosa di S. Francesco, Roma 1876. *L. Palomes,* Storia di S. Francesco, Palermo 1883. *R. Bonghi,* Francesco d'Assisi, Città di Castello 1884. *Du Chatel de Porrentruy et Brin,* S. François d'Assise, Paris 1885 (opus ornatissimum). *P. Sabatier,* Vie de S. François, Paris 1894 (crebrius editum). *P. Robinson,* The real St. Francis, 1904. *W. J. K. Little,* St. Francis, London 1904. *G. Schnürer,* Franz von Assisi, München 1905. *Le Monnier,* Histoire de S. François[6], Paris 1906. *E. Pardo Bazan,* San Francisco de Asís, Madrid 1903. *P. Gratien,* S. François d'Assise: EF XVIII (1907) 359. *J. Joergensen,* Den hellige Frans af Assisi, Kjöbenhavn 1907.

Cf. etiam *U. Chevalier,* Répertoire de sources historiques du moyen-âge: Bio-Bibl.[2], 1560.

[1] Difficultates chronologicae adhuc non omnes sunt sublatae. Cf. *L. Patrem:* MF IX (1902) 76; *G. Golubovich,* Biblioteca Bio-Bibl. della Terra Santa I, Quaracchi 1906, 85; *P. Robinson:* Arch. I (1908) 23.

[2] Ad genealogiam S. Francisci cf. *Faloci Pulignani:* MF IX (1902) 74; *R. Casali:* Bollettino della R. Deput. di Storia Patria per l'Umbria XI (1905) 537; MF X (1907) 128.

neque studium litterarum neque parentum mercatura animum adolescentis detinere potuit, quippe cui hilari et effuso ad gaudia magis placebat frui vita in societate aequalium, quorum stultitiis iuvenilibus libenter intererat. Liberalis, habilis et affabilis multum, homo humanius agens factus est mox princeps sociorum suorum, quod quidem patris ambitioni placebat, alios vero saepius ita offendebat, ut non raro mater filium excusare cogeretur coram piis mulierculis vicinis, quae scandalizatae erant de vita horum iuvenum.

Cum anno 1201 bellum esset ortum Assisium inter et Perusinam civitatem finitimam, Franciscus quoque in pugnam profectus cecidit in manus inimicorum, qui eum retinuerunt in captivitate usque ad pacem anno sequenti factam. Liberatus a carcere rediit ad pristinam vitam, usquedum diutini languores, ipsius corpus affligentes, praepararent animam ad intelligendam vanitatem vitae anteactae. Infirma tamen voluntas nondum plene secuta est inspirationes meliores, quare, ut discidium in se ipso ortum fugeret, cogitavit iterum quae sunt mundi, promittens sibi se maxima et gloriosissima adhuc facturum. Cum igitur nobilis quidam civitatis Assisii iuvenes convocaret ad expeditionem in Apuliam, Franciscus gaudens conspiravit; cum vero, paulo post iter aggressus, venisset Spoletum, visio nocturna eum induxit, ut subito reverteretur. Haec facta sunt vere anni 1205.

Quae acciderint iuveni militi in hac nocte, non tradunt legendae satis dilucide, certum tamen est, quod fuerit aliquod extraordinarium, quod Franciscum impulit ad *conversionem perfectam.* Nam etsi amicos suos non omnino desereret, tamen non amplius gustabat plenum gaudium in eorum societate, quare subtrahere se coepit a saeculi tumultu, studens vitae solitariae, quam adhuc vitaverat. In specu prope Assisium difficiles pugnavit spirituales pugnas, usquedum gratia plene superaret naturam reluctantem. Patuit mox haec victoria, quia leprosis, non iam obstante taedio naturali, heroico inserviebat modo. Ceterorum quoque pauperum, ad quos semper senserat miserationem quandam liberalem, magis magisque fiebat adiutor et consolator. Immo, cum Romam peregrinatus esset, inter pauperes pauper factus, mutavit suas vestes cum mendico et petiit eleemosynam ad introitum ecclesiae. His victa erat natura superba. Nesciebat tamen adhuc Franciscus, ad quid vocatus esset a Deo. Cum igitur, ut supernam illustrationem acciperet, prostratus ante imaginem Crucifixi oraret in ecclesia S. Damiani, audivit vocem de cruce dicentem: „Vade et repara domum meam!“ Franciscus intellegens haec verba de ecclesia S. Damiani, quae minabatur ruinam, vendidit suum equum

et pannos venales ex fabrica patris, ut pretio accepto repararet ecclesiam. Sacerdos autem, qui morabatur apud S. Damianum, timens, ut videtur, patrem, non accepit pecuniam, passus tamen est, ut Franciscus maneret secum in solitudine.

His finita erat patientia patris, cui iam dudum displicebat mutata filii vita. Toleraverat quidem filii prodigalitatem et neglectionem negotiorum, quamdiu ipse inter nobiles Assisiates praestiterat, attamen nimiam familiaritatem eiusdem cum pauperibus et leprosis, pro quibus et expendebat suas divitias, pati non potuit pater superbus. Cogitabat igitur reducere eum manu armata, sed in vanum, quia ipse se absconderat. Post aliquas autem hebdomadas Franciscus, arguens se pusillanimitatis et ignaviae, decrevit adire parentes, ut eis declararet, se ulterius Deo unice velle servire. Vix in plateis civitatis paupere indutus habitu et vultu austera poenitentia squalido apparuerat, cum pueri ei insultant ut insanienti. Cumque clamorem huiusmodi pater audisset, statim iratus accurrens, eum pertraxit in domum et vinculis inclusit. Omnibus conaminibus, quibus mutare tentabant propositum eius, non succedentibus, Pica misericordia mota liberavit, absente marito, filium, qui rediit statim ad S. Damianum. Reversus pater videns se non posse reducere filium, saltem conabatur, ut auxiliante magistratu eum expelleret e provincia; attamen Franciscus appellavit tribunal Episcopale, cui soli, postquam se Deo dicasset, se subditum esse aiebat. Sic denique — probabiliter tempore verno anni 1206 — ante palatium Episcopale accidit triste illud spectaculum, quo Franciscus patri suo tradidit vestimenta et parvam pecuniam, quam adhuc possidebat, dicens: „Amodo secure loqui possum: Pater noster, qui es in coelis!" *His conversio Francisci erat consummata.*

Duobus annis sequentibus Franciscus, degens sub pauperibus eremitarum vestibus — quin tamen pertineret ad aliquam congregationem eremiticam[1] — inserviebat pauperibus et leprosis et restauravit ecclesias S. Damiani, S. Petri et S. Mariae Angelorum sive Portiunculae, quae postea ei facta est carissima. Ibi enim audivit quondam a sacerdote missam celebrante verba Domini Mt 10, 7 sq: „Euntes autem praedicate dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum.... Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus enim est operarius cibo suo." Hoc, inquit

[1] Apologeticus de praetenso monachatu Augustiniano S. Francisci. W II 443.

Franciscus, est, quod cupio. Solutis igitur statim calceamentis, deposito baculo et proiecta pecunia mutavit vestimenta eremitica cum habitu rusticorum Umbrorum, quem cinxit funiculo. Sic Franciscus ex eremita factus est Minorita primis anni 1208 mensibus.

Sequenti iam die coepit Assisii praedicare verba simplicia de corde sincero procedentia, quae inchoavit a salutatione: „Dominus det tibi pacem." Cumque paucis hebdomadibus post duo praeclari civitatis viri, Bernardus de Quintavalle, opibus dives, et Petrus Catani, canonicus utriusque iuris doctor, se illi adiunxissent, properavit cum eis ad ecclesiam S. Nicolai, ut ibi, evangelium consulendo, comperiret voluntatem Domini. In libri apertione occurrerunt illis haec: Mt 19, 21: „Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus"; Lc 9, 2 sq: „Et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis." Mt 16, 24: „Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me."

Sine mora Franciscus: „Haec est, inquit, vita et regula nostra. Perficite, quae audistis!" Revera ipsi paulo post cum Aegidio Assisiensi, qui interea supervenerat, vitam, quam mundus hucusque non viderat, agere coeperunt. Sub nomine „virorum poenitentium Assisio oriundorum" circuibant servientes ubique leprosis, pacem annuntiantes et praedicantes regnum Dei. Nullibi possidentes locum, conveniebant in tugurio ab hominibus derelicto ad „Rivumtortum"[1], non longe ab oratorio Portiunculae. Cum denique duodecim[2] socios collegisset Franciscus, cum pusillo suo grege se contulit Romam, ubi petebat a Pontifice approbationem regulae, quam paucis scripserat verbis. Ioanne Colonna, Cardinali ecclesiae S. Pauli, intercedente, approbavit Innocentius III post aliqualem deliberationem vitam eorum, permittens eis simul, ut praedicarent ubique poenitentiam. His concessis *familia Franciscana iuridice erat constituta anno 1209* die, ut antiqua fert traditio, 16 Aprilis. Nondum tamen erat eo tempore ordo in sensu verbi proprio, sed libera fratrum societas, sine organisatione certa,

---

[1] Relate ad quaestionem de mora ad Rivumtortum vide *Montgomery Carmichael:* MF IX (1902) 22.

[2] Secundum traditionem nomina priorum duodecim sociorum Francisci erant (AF IV 177): 1. Bernardus de Quintavalle, 2. Petrus Cataneus, 3. Aegidius, 4. Sabatinus, 5. Moricus, 6. Ioannes de Capella, 7. Philippus Longus, 8. Ioannes de S. Constantio, 9. Barbarus, 10. Bernardus de Viridante, 11. Angelus Tancredi, 12. Silvester.

quam coadunabat sublimis quaedam idea religiosa, imitatio scilicet vitae Apostolicae, et influxus personae praevalentis. Iam tunc, sicut et postea, recusavit Franciscus verbis expressis connexum cum ordinibus antiquioribus, quia vinum novum non funditur in utres veteres.

§ 2. Conspectus chronologici continuatio. 1209—1226.

Assisium reversus Franciscus societati suae nomen imposuit *Fratrum Minorum,* significans se velle, ut fratres sui in oculis propriis essent viles sicut vulgus, subicientes se animo factoque omnibus, dissimiles „maioribus“ — sic enim dicebantur nobiles Assisii, qui eo ipso tempore pacem fecerant cum factione plebis, quae sibi nomen dederat „minorum“ [1].

Durantibus annis sequentibus fratres perstiterunt in consueto vivendi modo, servientes in omni genere laborum et praedicantes poenitentiam. Locus autem, in quo revertentes a laboribus conveniebant, facta est ex anno probabiliter 1210 *Portiuncula,* ubi aedificabant nonnulla tuguria prope ecclesiam, quam Benedictini (Camaldulenses), qui habitabant in monte Subasio, eis concesserant. Huc itaque fratres semper conveniebant, praesertim in festo Pentecostes et S. Michaelis Archangeli, quando celebrabant capitulum, i. e. invicem communicabant, quae gesserant, et invicem hortabantur, ut fideliter persisterent in vocatione sua. In numero novorum fratrum, qui in principio sine novitiatu sub sola conditione alienationis bonorum et observationis regulae sunt recepti, praecipue nominandi sunt Leo Assisiensis, Rufinus Sciffi et Massaeus de Marignano, quibuscum Sanctus valde familiariter est conversatus [2].

Anno 1212 fratres aucti sunt societate nova, compari ipsis ex parte feminarum, cum *Clara Assisiensis* eandem vitam pauperem suscepit ac Fratres Minores (vide lib. II).

Mox vero S. Francisco amplius non sufficiebat praedicare tantummodo per Italiam; desiderabat enim, ut fratres sui ubique in omnibus terris omnibusque populis annuntiarent evangelium. Itaque anno 1212 traiecit in Orientem. Navi tamen delata ad ora Slavoniae reverti debuit — exitus sane adversus, quem postea quoque eius iter

---

[1] *A. Cristofani,* Delle storie di Assisi libri sei [3], Assisi 1902, 79.

[2] Plura de sociis S. Francisci vide AF I—IV; *P. Sabatier,* Actus beati Francisci et sociorum eius, Paris. 1902; *A. Macdonell,* Sons of Francis, London 1902; *L. Lemmens,* Dialogus de vitis sanctorum fratrum minorum, Romae 1902; *Papini,* La storia di S. Francesco II 198.

passum esse videtur susceptum circa annos 1213—1214 in Hispaniam, unde in Marochium traicere intenderat.

Anno 1215, ex occasione concilii Lateranensis, convenit ipse — forsitan prima vice — cum S. Dominico, fundatore ordinis Praedicatorum, cum quo semper coniunctus manebat amicitia fideli, quam etiam ambo Sanctorum ordines tamquam hereditatem sanctam servaverunt usque in hodiernum diem. Nam etsi in decursu saeculorum disceptationes inter filios utriusque Patriarchae orirentur, excitatae aemulatione contemptibili, ordines tamen ipsi semper reprobarunt excessus singulorum, tenentes amicitiam patrum. Paulo post concilium Lateranense mortuus est Innocentius III Perusiae, ubi tunc morabatur S. Franciscus. Hoc tempore (mense Iulio 1216) concessa est etiam indulgentia Portiunculae, quam Franciscus secundum traditionem hucusque non refutatam accepit a novo Pontifice, Honorio III.[1]

Adhuc magis clarescebat S. Francisci desiderium salvandi animas in capitulo anni 1217, in quo prima vice terras divisit in provincias ordinis, quibus praefecit ministros provinciales. Misit enim tunc fratres in Orientem, Germaniam, Hungariam, Hispaniam et Galliam. Ab itinere vero in Galliam, quod ipse sibi praedicationis causa proposuerat, destitit suadente Cardinali Hugolino et remansit adhuc per duos annos in Italia. Attamen in capitulo anni 1219[2] nemo eum amplius retinere valebat, sed ipse ducebat missionem in Orientem, cum alios fratres in Marochium mitteret, qui mox ibidem, die 16 Ianuarii 1220, optatam consecuti sunt martyrii palmam tamquam protomartyres ordinis[3]. Talis fortuna non arrisit Francisco. Ipse enim intrepide quidem praedicaverat Christum coram soldano animosque crucigerorum in Aegypto vehementer moverat; videns autem se non proficere multum, secessit in Palaestinam, ubi manebat, usquedum mala ei nuntiarentur ex Italia.

Matthaeus Narniensis et Gregorius Neapolitanus, quos constituerat sui absentis vicarios, introduxerant innovationes non consentientes cum suis intentionibus; mitigaverant enim paupertatem et obligaverant fratres ad usus monasticos, praesertim ad severiora ieiunia. Alius frater, Philippus nomine, per se ipsum se fecerat advocatum Clarissarum; tertius denique, Ioannes de Conpello (a Capella?), intendebat fundare novum ordinem leprosorum. Itaque Fran-

---

[1] Arch. I (1908) 31. *L. Lemmens*: Der Katholik 1908, I 169.

[2] Ad chronologiam horum annorum cf. *Boehmer*, Chronica LXXI, et *H. Fischer*, Der hl. Franziskus von Assisi während der Jahre 1219—1221, Freiburg (Schweiz) 1907.

[3] AF III 579.

ciscus, in Italiam redux, statim adiit Pontificem, supplicans, ut sibi protectorem concederet Cardinalem Hugolinum iamdudum amicissimum. Hoc suadente et adiuvante abolevit sanctus fundator ea, quae ordinaverant ambo vicarii, introduxitque annum novitiatus die 22 Septembris 1220, quo facto minutum quidem est periculum recipiendi fratres inhabiles, simul tamen, sublata libertate relinquendi ordinem, societas coacta est, ut retineret quoque eos, quorum vocatio in decursu temporum perierat.

In capitulo eiusdem anni constituit Franciscus vicarium generalem pro toto ordine Petrum Catani, quo mortuo anno 1221 elegit fratrem Eliam. Causae, quae eum moverint, ut hoc faceret, non satis quidem patent, numerandae tamen videntur inter eas: tenuis valetudo, iudicium, ad rectam ordinis gubernationem opus esse homine habili ad omnia ordinate disponendum, forsitan et animi offensio de evolutione ordinis directa in vias, quibus non plene consensit. Neque magis patet, quibus gavisi sint iuribus hi vicarii generales, qui modo vocantur ministri generales modo vicarii S. Francisci. Probabile videtur, Sanctum agnovisse eos tamquam gubernatores responsabiles ordinis et tamquam suos superiores, sicut iam prius sibi constituerat guardianum, ut voluntatem suam subderet oboedientiae. Verisimile tamen non est, eum amisisse omnem influxum in evolutionem suae fundationis, quippe qui propria auctoritate constitueret vicarios generales et regulam mutaret annis sequentibus; immo in ultima sua regula apparet ipse, consentiente Pontifice, tamquam repraesentans totum ordinem.

Quidquid hoc sit, certum est curam totius ordinis ex officio debitam ipsi institutione vicariorum magna ex parte esse sublevatam. Otio hoc usus est ad novam regulae ordinationem, quam suscepit hieme anni 1220—1221 adiuvante Caesario de Spira, qui praesertim locis biblicis textum adornavit. In *capitulo Pentecostes* anni 1221 [1] haec regula aucta publicata esse videtur; simul suscepta est nova missio in Germaniam, quae ducente eodem Caesario bonum habebat successum; prior enim missio praeter spem ceciderat. Verisimile est eodem quoque anno *tertium ordinem* accepisse constitutiones melius ordinatas (vide lib. III).

---

[1] Sunt qui putent hoc capitulum fuisse celeberrimum illud *capitulum storearum,* cui intererant 3000—5000 fratrum; alii vero ponunt idem in annum 1217 vel 1219. Certe haec tria capitula fuerunt maxime frequentata maximique momenti tempore, quo Sanctus adhuc vivebat.

De cetero notitiae certae de vita nostri Sancti desiderantur pro sequentibus quoque duobus annis, quia novimus tantummodo eum in eremitorio Fontis Columbae prope Reate diutius moratum esse, ut *regulam redigeret in illam compendiosiorem formam,* quae anno 1223 a Pontifice est confirmata. Paulo post missio in Angliam est destinata, qua suscepta Fratres Minores per totam Europam moribus ac litteris cultam erant dispersi (anno 1224).

Duobus ultimis suae vitae annis S. Franciscus perpessus est omnis generis mala. Accesserunt enim ad morbos corporis — laborabat ex stomacho, ex hepate et ex oculis — et aegritudines animi provocatae praesertim per istos ministros provinciales, qui neque cogitabant neque regebant suas provincias secundum ipsius intentionem, sed ordinem conformare cupiebant veteribus monachorum ordinibus. Verum tamen non est, quod saepius affirmatur, S. Franciscum vixisse in discordia cum sua fundatione, aut eam in vias ab ipso minime intentas traductam esse a curia Romana. Huic enim assertioni contradicunt, quae fecit Sanctus postea, praesertim vero eius testamentum.

Culmen passionum et gaudiorum suorum attigit S. Franciscus in monte Alverniae, cum mense Septembri anni 1224 in visione mirabili accepit *stigmata Domini*[1]. Quamquam stigmata haec continuos ei dolores inferrent, tamen iterum comitante fratre Elia vicario generali exiit ad praedicandum. Morabatur deinde aliquos menses apud S. Damianum, ubi S. Clara Domino serviebat, ibique composuit pulcherrimum illud *Canticum fratris solis*, quod hodiernum usque in diem ab omnibus admiratur. Postea aestate anni 1225 ad finem properante Reate se contulit ad medicum, obsecundans voluntati protectoris Hugolini, qui fidelissimam curam gerebat de Sancto. Cumque ibi eius valetudo non sufficienter prosperaret, missus est denique Senas ad medicum, qui praecellebat in sanatione oculorum. Neque tamen huius medici ars levare potuit malum.

Vere igitur anni 1226 reversus est Assisium, ubi Assisienses curam eius gerebant in palatio Episcopali, custodientes eum simul, ne eis forsan S. Francisci corpus eriperetur a finitimis civitatibus. A lecto dolorum suorum, nisi iam prius, misit suavissimas epistolas[2] ad ministrum generalem et omnes ordinis fratres, admonens praesertim

---

[1] Argumenta pro demonstratione huius facti vide apud *Jean de Cognin:* EF II (1899) 337 507; *M. Bihl:* Histor. Jahrb. der Görres-Gesellschaft XXVIII (1907) 529. Cf. *Th. Cotelle,* S. François d'Assise: Étude médicale, Paris 1895.

[2] Vide editiones Operum S. Francisci.

presbyteros ad summam erga SS. Sacramentum reverentiam, quod esset remedium contra ordinis infirmitates. Denique, cum medicus Aretinus certiorem eum redderet de instanti naturae dissolutione, gaudens exclamavit: „Bene veniat frater mors!“ statimque iussit, ut deferretur ad Portiunculam, ut ibi moreretur, ubi opus vitae suae coepisset.

Ibi demum probabiliter dictavit suum *testamentum,* in quo fratres suos ad fidelem pristinae vitae observantiam cohortatur. Deinde cantato cum circumstantibus Psalmo 141: „Voce mea ad Dominum clamavi“, benedixit omnibus fratribus suis, praesentibus et futuris, usque ad finem mundi. Iussit denique codicem evangeliorum apportari et evangelium secundum Ioannem sibi legi ab eo loco, ubi incipit[1]: „Ante diem festum Paschae, sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.“ Humi prostratus, cinere conspersus, corde tamen coelesti gaudio pleno grandem suam animam reddidit Creatori. „Mortem cantando suscepit“, ait Thomas a Celano. Facta sunt haec vespere Sabbati 3 Octobris anni 1226.

Die sequenti translatum est corpus ad S. Damianum, ubi Clara eiusque filiae exspectabant, inde vero in ecclesiam S. Georgii, ubi statim iuxta temporis morem est sepultus. Die 16 Iulii anni 1228 Gregorius IX, antea Hugolinus Cardinalis, amicum suum sanctis adnumeravit, in cuius honorem magnificam quoque basilicam Assisiensem (S. Francesco) exstrui curavit, quo die 25 Maii anni 1230 S. Francisci reliquiae sunt translatae[2]. Ibi requieverunt obsconditae, usquedum die 12 Decembris anni 1818 post multos labores iterum sunt repertae[3].

§ 3. Valor historicus S. Francisci[4].

Franciscus non erat tantummodo homo sanctus atque magni ordinis fundator, sed etiam persona maxime influens in evolutionem

---

[1] Io 13, 1.

[2] De quaestione, utrum *cor* S. Francisci sepultum sit in ecclesia Portiunculae, vide *[G. Santarelli,]* La tradizione Francescana ed i due luoghi, ove furono nascosti il corpo et il cuore del Seraf. P. S. Francesco [pro manuscripto], Roma 1901; *Faloci Pulignani:* MF IX (1903) 109 148. Ad haec Acta XXIV (1905) 293.

[3] *N. Papini,* Notizie sicure della morte, canonizzazione, traslazione e ritrovamento di S. Francesco, Firenze 1822; Foligno 1824. MF VIII (1901) 180. Memoria sull' identità del corpo del patriarca S. Francesco rinvenuto in Assisi l'anno 1818, Roma 1821.

[4] Ex causis per se notis praecipue auctores non pertinentes ad ordinem ipsum loquentes facimus. — **Litteratura.** Vide biographias in § 1. Praeterea:

historiae generis humani[1], cuius valor praesertim situs est in specifico religionis modo, quo praecellebat et quo validum exercebat influxum in evolutionem religiosam et profanam totius humanitatis.

Francisci *ipsius religio* nihil aliud erat ac imitatio quam maxime perfecta eius vitae, quam duxit magister noster Iesus Christus. Ita iam a principio ordo ipse intellexit vitam sui fundatoris, et multi libri a Fratribus Minoribus editi valde inculcant legentibus hoc factum, aliquando etiam modo insipido, provocante sordidam contradictionem[2]. Ecquis tamen magis supergredi laudis modum poterit quam auctores nostri, ecclesiae inimici? Ecce quid dicant: Franciscus alter est Christus, vel, ut melius dicatur, speculum Christi, quare eius valor pro critica religionis est immensus. Est enim homo, cui inerat summa post Christum puritas conscientiae, perfectissima simplicitas animi et vitalissima persuasio se esse filium Patris coelestis[3]. Imitatus est sanctum evangelium piissime et efficacissime omnium in Europa christianorum eratque forsan fidelissimus auditor illius sermonis, quem Christus habuit in monte[4]. Vita eius viva est imago intentionum Christi[5]. Apparuit in Francisco absolutum sui ipsius obsequium, quod

---

St. Beissel, Die kulturgeschichtliche Bedeutung des hl. Franz: Stimmen aus Maria-Laach XXXIII (1887). *F. Prudenzano,* Francesco d'Assisi e il suo secolo², Napoli 1904. *A. Hegler*, Franziskus von Assisi und die Gründung des Franziskanerordens: Zeitschr. für Theol. und Kirche VI (1896) 395. *L. Dubois,* S. Francis of Assisi Social Reformer, New York 1906. *A. Cantono*, S. Francesco d'Assisi e la democrazia cristiana, Roma 1903. *G. Salvadori*, S. Francesco d'Assisi e la pace sociale, Milano 1904. *J. Duchemin*, Le rôle social de S. François d'Assise: La Raison Catholique 1906, n. 8. *A. Germain,* L'influence de S. François d'Assise sur la civilisation et les arts², Paris 1903. *H. Thode,* Franz von Assisi und die Anfänge der Kunst der Renaissance in Italien², Berlin 1904. *J. Görres,* Der hl. Franziskus von Assisi, ein Troubadour², Regensburg 1879. *H. Matrod,* Le mouvement franciscain et la renaissance de l'art: L'Action franciscaine II (1905) 63. *L. Palomes*, S. Francesco d'Assisi e la nuova poesia italiana², Palermo 1885. *H. J. Schmitz,* Der Bettler von Assisi und das Rittertum, die Poesie und Kunst seiner Zeit: Frankfurter zeitgemäße Broschüren, N. F. V (1883) 29. *E. Cartier,* Le triomphe de S. François: Revue de l'art chrétienne, 4ᵉ sér. III (1885) 419.

[1] *Schnürer,* Franz von Assisi 14.

[2] Alcoranus Franciscanorum et nugarum Lerna etc., Francophurdiae 1543. Contra quod scriptus est *H. Sedulii* Apologeticus adversus Alcoranum Franciscanorum, Antwerpiae 1607.

[3] *E. Renan,* Nouvelles Études 1899, 325 335.

[4] *F. Naumann:* Süddeutsche Monatshefte III (1906), fasc. 4.

[5] *J. Adderlay,* Francis, the little poor man of Assisi, London 1902, VII.

postulatur a religione, quare nos eum miramur tamquam novam revelationem [1].

Tales laudes minime poterunt superari a fidelissimo Sancti filio; notare tantummodo debemus eum tantam cum Christo similitudinem assecutum esse *intra ecclesiam*. Optime quidem noverat ipse se imitando in omnibus Christum suscipere novum aliquod et inauditum: non enim intendebat imitare magnos illos ordinum fundatores, S. Benedictum, S. Bernardum, S. Augustinum, sed Christum ipsum, renovando vitam Apostolicam non in abscondito intra septa monasterii, sed in publico, medio in saeculo; attamen non suscepit hoc opus contradicendo ecclesiae, sicut fecerant Waldenses, quorum influxus in Franciscum saepius quidem est affirmatus, nunquam vero demonstratus. In hoc enim positum est robur huius Sancti, quod noverit invenire in medio ecclesiae saeculi vanitatibus maculatae fontem pietatis originalem, quin tamen et huic ecclesiae negaret, quod est ecclesiae. Ideoque nec haberi potest dux subiectivismi hodierni, quia non composuit sibi religionem secundum proprium arbitrium, sed accepit eam consequentia inexorabili pro se et suis filiis, ubicumque eam inveniret in sancto evangelio. Non recusavit venire post Deum, qui baiulavit sibi crucem, propterea fruebatur quoque beatitudinibus. quas promiserat magister in sermone habito in monte, quaeque culminantur in vera filiatione Dei. In hac invenit suam beatitudinem et suam libertatem spiritualem, haec eum semper hortabatur, ut et ceteras creaturas putaret progeniem Dei et amaret tamquam fratres et sorores. „Paradisi innocentia redisse videbatur: rubeculae micas colligunt de mensa sua paupere; phasianus, cui servaverat vitam, inseparabili ei adhaeret fide gaudetque blanditiis eius; lepus, quem eripuit de laqueo venantium, in sinu eius se abscondit. Aves in campo non fugiunt, sed auscultant collis extentis eius sermonem. ‚Canta, soror cicada, et lauda Deum creatorem in iubilo‘, dixit cicadae, quae volans ad manus eiusdem tenerum suum emisit stridorem. In monte Alverniae volucres laete canentes eum salutabant, et nocte ad horam orationis eum excitavit ‚frater falco‘, qui prope eius cellam in arbore nidificabat. Morienti quoque hirundines, cellam circumvolantes, cantabant supremum canticum. Sic Franciscus in omnibus creaturis videbat splendorem omnipotentiae et maiestatis Dei.“ [2]

Non tamen sufficiebat Francisco configurare tantum in se ipso vitam Domini, sed cupiebat etiam *evangelizare aliis* evangelium illud, quo

---

[1] *Hegler,* Franziskus von Assisi 451. [2] *Thode,* Franz von Assisi etc. 55.

erat mutatus in alterum virum. Audiemus et de hac re imprimis tales, qui non favent ecclesiae. Discimus ab eis, vitam religiosam christianorum occidentalium a Francisco auctam esse caritate et profunditate, religionem, respectu dogmatum abstractorum medii aevi prioris, accepisse vitam magis concretam, operantem in ipsis christianorum personis. Ita Franciscus factus est genius religionis pro posterioribus medii aevi saeculis[1]. Italia circa annum 1210 reviviscere vidit impetum divinum, qui tempore Apostolorum animas moverat. Catervae hominum accurrebant ad S. Franciscum, cuius sermo animas consolabatur et liberabat. Omnibus vulneribus infundebat ipse balsamum evangelii; illis qui premebantur iugo regiminis iniusti, monstrabat regnum coelorum mercedem iniuriarum, quas patienter in vita sua toleraverant; illis vero qui, taedio affecti, spiritu se subduxerant iugo ecclesiae, monstrabat suo exemplo hominem christianum ecclesiae fidelem ineffabilibus posse frui gaudiis. Non libertatem cogitandi, sed libertatem diligendi praedicans, reddidit ecclesiae vim Apostolatus pristini. Profundas tenerasque passiones religiosas, quas excitaverat Franciscus, fovere non destit eius ordo inter omnes fortunae vicissitudines. Differentiae specificae religionis Franciscanae: libertas spiritus, amor, pietas, hilaritas et familiaritas diu signa erant christianismi Itali, discernentia eum a pharisaeismo, fanatismo et scholasticismo[2].

Revera Franciscus *missionem in sinu ecclesiae* putabat esse opus suum principale, ideoque praedicans verbo et exemplo studebat reformare ecclesiam secundum simplicitatem et sinceritatem evangelicam. Ut hoc assequeretur, non institit viam criticae et polemicae, non enim credebat, veritatem optime posse vincere pugnando cum abusibus, sed institit viam boni exempli, monstrando in vita sua totam puritatem evangelii. Eo quod christianam religionem captui accomodaret vulgi per simplicem, naturalem, a vero amore dictatam perceptionem et praedicationem, ipse factus est homo popularis. „Franciscus parens est mysticae vulgaris, amicus populi religiosi cum simplici fide ad Deum suspicientis.“ [3] Nulla re influxus Francisci in religionem magis exprimitur, quam quod ex sua aetate in arte pictoria et sculptoria locum Christi triumphantis occupat Christus moriens in cruce. Nam etsi meditatio Christi gloriosi maxime pro-

---

[1] *Hegler* l. c. 457.
[2] *E. Gebhart,* L'Italie mystique[5], Paris 1906, 117 135.
[3] *Schnürer,* Franz von Assisi 133.

ficua est religioni, tamen cor populi magis commovetur aspectu Dei patientis, ex cuius exemplo uberiores percipit fructus. Non satis laudari potest, quod Franciscus Salvatorem sub hoc praecise respectu iterum admoverit ad populum.

Maiora tamen adhuc concupivit: Franciscus, miles Christi et eques Salvatoris, totum mundum Domino suo recuperare studuit. Propterea ipse bis conatus est praedicare evangelium Mahumetanis. Scopum quidem suum non attigit, ast exemplo suo impulsum dedit ad *extraordinarios illos labores in missionibus,* qui suscepti sunt saeculo XIII. Praeter Dominicanos praesertim eius filii labores suos Apostolicos conferebant in salutem paganorum.

Commemorari quoque meretur influxus S. Francisci in *vitam socialem,* qui hodie ab omnibus maximi habetur. Consistebat autem actio socialis „pauperculi" in eo, quod homines doceret exercere virtutes, non vero exigere iura. In hoc, quod in ultima analysi est methodus Christi ipsius, posita erat pro Francisco solutio quaestionis socialis; nam divitum est solvere cor suum a divitiis et exercere misericordiam et iustitiam, pauperum vero patienter et libenter ferre penuriam, quia beati pauperes; facilius enim est intrare in regnum coelorum ex casa quam ex palatio. Doctrina haec nova non erat, novum vero erat exemplum, quod dedit Franciscus. Voluntarie resignavit omnes suas divitias postulavitque a suis discipulis, ut idem facerent in bonum pauperum; huiuscemodi doctrinae omnes sine dubitatione credebant. Exemplo suo demonstravit paupertatem contentam magis liberare et beare cor hominis quam divitias, quae saepe dominos suos vinculis alligant et verum gaudium internum e corde expellunt. Non tamen inimicus erat divitum. Divites, solebat dicere, fratres nostri sunt, quia unus Deus omnes creavit; domini nostri sunt, quia adiuvant nos facere poenitentiam, porrigentes nobis, quibus egemus. Non ergo praedicabat rebellionem, non odium contra eos, quibus fortuna magis favebat, nihilominus autem praeferebat his pusillos, leprosos, a fortuna neglectos, quibus factus est consolator et exemplum simul. Quocumque ipse eiusque filii venirent, studebant componere opposita et pacem facere inter partes litigantes; innumeris paene in casibus verbum ipsorum restituit pacem et aequitatem animorum, quare Pontifices et principes, urbes et homines privati libenter eis usi sunt ad pacem faciendam.

His omnibus consideratis forsitan non erat exaggeratio, si dicebatur „non esse reperiendam in annalibus historiae post religionis christianae fundationem aliquam actionem, quae sic populos com-

moverit sicut actio Franciscana"[1]; et: „ecclesiam debere suam conservationem praecipue mendicantibus saeculi XIII"[2].

Ast innovatio religiosa semper in profanum quoque populi cultum influit, praesertim vero in artem et scientias. Non quo Franciscus directe intendisset hunc progressum — nihil enim minus cogitavit quam haec — sed innovans religiosam vitam posuit germina maximae evolutionis, praesertim *poeseos et artis pictoriae et sculptoriae*. Franciscus ipse erat poeta; nam etsi hucusque unum solummodo possidemus poema, quod indubie ipsi potest ascribi, praeclarum illud Canticum solis[3], „tamen ipse, cui datum erat cantare canticum tam sublime, locum meretur inter maximos omnium saeculorum poetas, quia nemo, nec ante eum nec post eum, tales pepigit versus"[4]. Poesis et musica Francisco non solum erant oratio et recreatio, sed etiam arma ad lucrandas animas, quippe qui fratres suos mittebat tamquam „ioculatores Domini", ut pauperibus cantando annuntiarent pacem et gaudium. Ipse quoque cecinit certatim cum luscinia, usquedum confiteri cogeretur se esse victum. Melius adhuc cantabat eius discipulus Vita de Lucca: luscinia in nemore obmutescens auscultabat, quando hic frater cantabat, neque prius resumpsit canticum, quam ipse finierat[5]. Et quid est aliud, quam Francisci religio, quae resonat ex sequentiis „Dies irae" et „Stabat mater" et ex carminibus illius immortalis Dante![6]

Adhuc maiorem forsan influxum exercebat in artem pictoriam et sculptoriam, quia sensus pro rebus supernaturalibus redditus est artificibus per actionem Franciscanam. Unioni enim naturae cum religione, quae maxime ex ipsa elucet, debetur artis regeneratio[7]. Modus naturalis, quo Franciscus eiusque filii contemplabantur vitam Christi, placida, iucunda et familiaris perceptio personae Salvatoris eiusque matris, quam promebant in praedicatione et poesi, facta sunt animus novae artis christianae, quae relinquens schematismum Byzantinum creavit pias et vitales formas[8]. Demonstratur nostrum assertum ex eo, quod primae effigies in sensu proprio, quas pro-

---

[1] *Renan,* Nouvelles Études 341.

[2] *Beissel,* Die kulturgeschichtliche Bedeutung des hl. Franz 287. *Hegler,* Franziskus von Assisi 439.

[3] Litteraturam vide apud *P. Sabatier,* Speculum perfectionis, Paris. 1902, 277.

[4] Literar. Beilage zur Augsburger Postzeitung 1905, n. 30.

[5] *Matrod,* Le mouvement franciscain 63.

[6] *Hegler* l. c. 457. [7] *Little,* St. Francis 279.

[8] *Thode,* Franz von Assisi 461 568.

duxit nova ars pictoria, sint imagines S. Francisci, quodque vix ullus Sanctus a magnis artificibus saepius sit expressus quam ipse[1].

Evangelium et natura duces novae artis erant et manebant usque ad annum 1400, quo tempore accessit imitatio priscae artis, maculans evolutionem eiusdem magnam ad partem nota paganismi. Cum hoc renascimento (Renaissance) Franciscus certe non habet relationem, sed tantummodo cum regeneratione facta saeculo XIII.

§ 4. Franciscus qua ordinis fundator; regulae evolutio[2].

Prima regula, quam Franciscus Honorio III, Pontifici, approbandam proposuit, amplius non exsistit[3]. Novimus tamen eam in summa non plus continuisse quam tria vota ad constituendum ordinem essentialia et illos locos biblicos de totali rerum omnium abdicatione, qui in sententiam S. Francisci et sociorum eius definitivam fecerant impressionem. Finis vero huius regulae erat: „Domini nostri Iesu Christi doctrinam et vestigia sequi“ per imitationem maxime perfectam vitae Apostolicae. Primi Minoritae erant *praedicatores ubique circumeuntes* sine manenti civitate sicut Apostoli. Quae erant eis ad vitam necessaria, comparabant sibi labore manuum, vel continuantes propriam professionem, vel praestantes aliis servitia honesta, in conditionibus tamen humilibus. Quando autem hoc modo non accipiebant necessaria, recurrebant ad „mensam Domini“ sicut ceteri pauperes. Ubi eis offerebatur hospitium, ibi manebant, praesertim in domibus aegrotorum et leprosorum, quibus libenter inserviebant. Habitacula fratres primis temporibus non habebant, sed ad summum solitudines, casas vel cellas, quo se interdum recipiebant, ut meditando et corpus castigando novas sibi acquirerent vires ad praedicandum. Sed neque haec loca erant eis propria, quare, si quis ea repetebat, statim recedere debebant. Vivebant ergo sine aliqua possessione in sensu verbi litterali, quamquam adhuc talis modus paupertatis iuridice non erat definitus. Nec habebant opus hac

---

[1] *Thode,* Franz von Assisi 68. *E. Gurney Salter,* Franciscan legends in Italian art, London 1905.

[2] *K. Müller,* Die Anfänge des Minoritenordens und der Bußbruderschaften, Freiburg i. Br. 1885. *H. Böhmer,* Analekten zur Geschichte des Franziskus von Assisi, Tübingen 1904. *W. Götz,* Die ursprünglichen Ideale des hl. Franz von Assisi: Histor. Vierteljahrschrift 1903, fasc. 1. Seraphicae Legislationis textus originales, Quaracchi 1897.

[3] Conatus ad restaurandam hanc regulam vide apud *Böhmer* l. c. 88 LV; *Müller* l. c. 185.

definitione, quia nemo fratrum cogitabat contendere de possessione alicuius vestis vel instrumenti; cogitationes enim et studia eorum tendebant ad maiora.

Nemo nobis descripsit pulchrius vitam priorum Franciscanorum quam clarus ille Episcopus Iacobus de Vitriaco, qui fuit testis ocularis[1]: „Fratres Minores circa temporalia nullatenus occupantur, sed fervente desiderio et vehemente studio singulis diebus laborant, ut animas, que pereunt, a seculi vanitatibus retrahant et eas secum ducant. . . . Ipsi autem secundum formam primitive ecclesie vivunt, de quibus scriptum est: Multitudinis credentium erat cor unum et anima una (Act 4, 32). De die intrant civitates et villas, ut aliquos lucri faciant operam dantes actioni, nocte vero revertuntur ad eremum vel loca solitaria vacantes contemplationi. . . . Credo autem, quod in opprobrium prelatorum, qui quasi ‚canes sunt muti non valentes latrare', Dominus per huiusmodi simplices et pauperes homines multas animas ante finem mundi vult salvare. Adeo autem primitive ecclesie religionem, paupertatem et humilitatem in se diligenter reformare student, puras evangelici fontis aquas cum siti et ardore spiritus haurientes, quod non solum evangelica precepta, sed et consilia vitam apostolicam expressius imitantes, modis omnibus adimplere laborant, omnibus que possident renunciantes, se ipsos abnegantes, crucem sibi tollendo, nudi nudum sequentes. . . . Mittuntur autem bini ad predicandum tamquam ante faciem Domini et ante secundum eius adventum. . . . Nulli huius ordinis fratri licet aliquid possidere. Non habent monasteria, non ecclesias, non agros vel vineas vel animalia, non domos, non possessiones neque ubi caput reclinent. . . . Si quis eos ad prandium vocaverit, que apud illos sunt, manducant et bibunt. Si quis eis aliquid misericorditer contulerit, non reservant in posterum. . . . Ipsi funiculum cum tunica venientibus ad se largientes, quod reliquum est, superne procurationi relinquunt. Adeo enim Dominus suis ministris in hoc seculo centuplum restituit in via hac, qua gradiuntur, firmando super ipsos oculos suos, quod in eis ad litteram completum esse cognoscimus, quod scriptum est: ‚Dominus amat peregrinum et dat ei victum et vestitum' (Dt 10, 18). . . . Hoc est fratrum Minorum sanctus ordo et apostolicorum virorum ammiranda et imitanda religio."

Cum vero decem circiter annos post approbationem primae regulae numerus fratrum praeter exspectationem augeretur, ipsa non amplius

---

[1] *Böhmer,* Analekten 98 102.

sufficiebat. Propterea Franciscus ex prima regula et ex eis, quae experientia didicerat, *novam composuit regulam*, quae perfecta est anno 1221, quaeque in 23 capitulis[1] praeter numerosos S. Scripturae locos definitiones magni momenti de constitutione ordinis (vide § 37) et de paupertate comprehendit. Possessio librorum necessariorum atque instrumentorum ad laborandum conceditur, severe autem prohibetur receptio pecuniae per se vel per interpositas personas, etiam si esset merces laborum, excepto tantummodo casu, quo fratres pro aegrotis colligunt pecuniam. Respectu laboris et mendicationis remanent usus hucusque observati. Neque adhuc exsistunt domus pro fratribus, saltem eo sensu, quod excluderentur extranei.

Quia vero regula anni 1221 non se praestaret bonam propter suum ambitum et malam ordinationem, praeterea neque a Pontifice esset approbata, suscepit Sanctus novam compilationem, quae postea per Honorium III die 29 Novembris anni 1223 est approbata per bullam „Solet annuere", quaeque propterea dicitur *regula bullata*. Omnibus rebus ista regula iterum praeponit haec: „Regula et vita Fratrum Minorum haec est: scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare", clauditque cum similibus verbis. Respectu quaestionis de paupertate, quam hic praesertim tangimus, continet mutationes magni momenti. Severius adhuc prohibetur pecunia, quia ulterius neque pro aegrotis illam recipere licet, sed ministri et custodes per amicos spirituales pro ipsis sollicitam curam gerant. De guardianis in regula nihil continetur, quia fratres nondum habebant residentias iuridice constitutas. „Tamquam peregrini et advenae" fratres debent esse in mundo nihil sibi appropriantes, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Laborare tenentur ex officio et ad acquirendum sibi victum, mendicare solummodo possunt, quando merces laboris non sufficit.

Gravibus verbis Franciscus etiam in suo *testamento* anno 1226 officium laborandi inculcat. Interea tamen ordo ipse magis se evolverat, praesertim in eo, quod fratres accipiebant residentias stabiles; propterea in testamento commemorantur etiam guardiani, quibus fratres oboedire tenentur. Reprimere non potuit Sanctus hanc evolutionem; timens tamen ex ipsa obfuscationem exemplaris, quod ei obversatum erat in fundatione ordinis, praecepit, ut habitacula et ecclesias pauperes aedificarent, ut fratres ibidem habitarent tamquam „advenae et peregrini", neve ullo modo peterent litteras in curia

[1] Novissimam huius regulae recensionem vide apud *Böhmer,* Analekten 1.

Romana, quibus eis permitteretur, ut vel acciperent aliquem locum, vel praedicarent contra voluntatem eius, qui iurisdictionem ordinariam haberet. Quando autem persecutionem paterentur, fugerent in aliam terram ad faciendam ibi poenitentiam cum benedictione Dei.

Colligimus ex his Sanctum contra nocivum circumstantiarum influxum semper parasse nova remedia, quin tamen unquam remitteret aliquid a norma summae paupertatis et vitae Apostolicae. Considerata, ut videtur, evolutione, quam hucusque expertus erat, vetat, ne glossae fiant in regulam neve praecepta testamenti habeantur tamquam nova regula, quia contineant tantummodo rationem, qua fratres „regulam bullatam“ melius observare possint.

Exigentiae tamen mundi realis, in quo vivimus, praevalent maximo quoque fervori ingenii pro ideis sublimibus, quod comperimus ex tota sequenti ordinis historia. Mox post mortem sancti fundatoris ordo dispensationem petiit ab obligatione observandi testamentum et a rigore paupertatis primorum annorum. Contra hanc dispensationem saepissime quidem intra ordinem exsistebant viri, immo et integrae congregationes, praetendentes se paupertatem secundum pristinum rigorem esse observaturos, attamen tales conatus semper post breve tempus vel ad irritum cadebant vel recedebant ad observantiam mitigatam, unde erant egressi. Certum est controversias, quae fundationem S. Francisci in decursu saeculorum a fundamentis commovebant, neminem posse intelligere, qui non perspicit totam vim ac obligationem paupertatis, quam intendebat S. Franciscus. Praesertim eo, quod a multis consulto, ut ita dicam, negligeretur extensio huius obligationis, possibiles erant hi conatus, qui necessario finem inveniebant miserum; nam spiritus est, qui vivificat, littera vero occidit!

Sectio II.

Epocha declarationum regulae et controversiarum de paupertate. 1226—1334.

§ 5. Generalatus Ioannis Parentis et Eliae. 1227—1239[1].

Mox post mortem S. Francisci Elias Cortonensis litteras dedit ad universos fratres, certiores eos reddens de morte patris et describens eius stigmata. Fecit haec officio, quia iam per quinque annos guber-

---

[1] Chronica *Fratris Iordani:* AF I 16 et *Boehmer* 45 53. *Thomas Eccleston,* De adventu Fr. Min. in Angliam: AF I 241. *Salimbene,* Liber de Praelato:

nacula ordinis tenuit. Quamquam esset omnino diversae indolis, tamen a S. Francisco semper magni habebatur, praesertim, ut videtur, eo, quod praeditus erat magno bene gubernandi ingenio, quod deerat sancto fundatori. Ad haec nullimode patet, utrum Elias Sancto adhuc vivente manifestaverit sua studia, quae postea patefecit, etsi mutationes organisationis in ordine, factae in ultimis S. Francisci annis, auctorem habuerint ipsum, adiutum a ministris eiusdem indolis et a Hugolino, Cardinali. Verisimile enim est Eliam mutasse demum suam sententiam in peius post capitulum generale anni 1227, in quo fratres non ipsum elegerunt in ministrum generalem, sed *Ioannem Parentem*[1]. Hic primum fuerat iurisperitus, deinde minister provincialis Hispaniae, vir sane lacrimarum et austeritatis, sed impar conditionum tunc in ordine exsistentium. Elias igitur paene independenter agebat ad suum arbitrium, quod maxime patet ex modo arroganti, quo basilicam novam in honorem S. Francisci aedificabat, qua quidem in re eum protexit Gregorius IX, qui propriis manibus posuerat aedificii fundamenta postulans, ut ipsum vocaretur „caput et mater" ordinis Minorum[2]. Haec forsitan est ratio, quare minister generalis non sit protestatus contra aedificationem illam sumptuosam, quam certe non putabat paupertati consentaneam.

Ex occasione translationis reliquiarum S. Francisci ad ecclesiam novam indixerat Papa pro anno 1230 capitulum generale Assisii celebrandum anno 1230. Magna convenerat multitudo fratrum cupientium videre ultima vice sanctum Patriarcham. Attamen magno cum omnium scandalo Elias, priusquam omnes fratres convenerant, sacras reliquias deponendas curavit, consentiente magistratu civitatis, idque clam, ut pauci tantummodo scirent locum sepulchri. Nondum satis patet, quid Eliam instigaverit ad hoc facinus. Forsitan erat indignatio, quod non sibi, sed ministro generali demandata erat translatio, probabilius vero stomachus de ordinatione ministri, qua non cuilibet fratri, sed solis vocalibus licebat ad capitulum convenire. Elias enim invitaverat suas asseclas, sperans fore, ut auxilio eorum acciperet generalatum. Non obstante praedicta definitione multi eorum comparuerant, qui, effringentes ianuas aulae capitularis, posuerunt Eliam vi in locum ministri. Hoc tristi spectaculo permotus Ioannes Parens

---

Monum. Germ. Hist. SS. XXXII (1905) 96. *J. Affò,* Vita di Frate Elia², Parma 1819. *E. Lempp,* Frère Elie de Cortone, Paris 1901. *P. Sabatier,* Examen de la vie de frère Elie du Speculum Vitae, Paris 1904.

[1] *[Ortolani] Ciro d. P.,* B. Giovanni Parenti, Roma 1900.

[2] BF I 60.

intendebat resignare, sed maioritas capituli ducente *S. Antonio*[1], tunc ministro provinciae Romaniae, fortiter stetit pro eo. Fratres protestantes poenae causa dispersi sunt in diversas provincias, Elias autem se recepit in solitudinem, ubi favorem ordinis simulata poenitentia sibi iterum recuperavit.

His nondum contentum misit capitulum legationem, ad quam pertinebat S. Antonius[2], ad Pontificem, ut conquererentur de actibus Eliae et peterent *declarationem authenticam super regulam et testamentum.* Sine dubio capitulum tractaverat hac de re, quin, ut videtur, posset consequi consensum unanimem, quare decernebat, ut appellaretur Pontifex. Quaestiones erant graves: obligatne testamentum S. Francisci praesertim quoad privilegia et quoad glossas in regulam? manetne in suo vigore abdicatio omnis possessionis et prohibitio pecuniae? etc. Patet, quod illi fratres, qui affirmative ad haec respondebant, non assentiebant legationi ad Pontificem, attamen maioritas stetit contra eos, quia persuasum ipsi erat, modificationes his in rebus esse absolute necessarias ad salubrem ordinis evolutionem. Pertinebant autem ad hanc maioritatem S. Antonius et Ioannes Parens, quod maximi est momenti pro aequo circa hoc factum iudicio.

Accessit ad eos, sicut exspectandum erat, et Pontifex ipse, edendo die 28 Septembris anni 1230 bullam *Quo elongati*[3], in qua loquitur imprimis de „difficultatibus quasi inextricabilibus“, quae conscientias fratrum premunt; postea de regula, quae continet „quaedam dubia et obscura et quaedam intellectu difficilia“, quod incommodum fratres levare non possint, quia Franciscus in testamento suo prohibuisset, ne glossae fierent in regulam neve peterentur litterae in curia Romana. Deinde Pontifex affirmat se perspicere intentiones Sancti, quippe quem adiuvasset in conceptione et approbatione regulae. Denique, ut consulat teneris fratrum conscientiis, ordinat haec: testamentum non habet vim obligantem, quia Franciscus solus non habebat potestatem legislativam pro toto ordine. Ad observanda omnia consilia evangelica fratres non tenentur, etsi ex regula apparere videtur, sed tantummodo ad ea, quae in regula ipsa expresse continentur. *Recursus ad pecuniam* fratribus facilior redditur per institutionem *nuntii,* quem

---

[1] *L. Kerval,* Sancti Antonii vitae duae, Paris. 1904. *N. Dal-Gal,* Sant' Antonio di Padova, Quaracchi 1907. *K. Wilh,* Antonius von Padua, Breslau 1907 [Kirchengeschichtliche Abhandlungen von *Sdralek,* tom. V]. *C. Mandach,* S. Antoine de Padoue et l'art italien, Paris 1899. Cf. *Chevalier* 276.

[2] AF I 242. [3] BF I 68.

ipsi sibi possunt eligere, quique pro instantibus necessitatibus fratrum pecuniam oblatam potest accipere et nomine benefactorum expendere iuxta dispositiones fratrum. Respectu quaestionis de *dominio rerum* disponitur, quod fratres nihil possidere possint, neque privatim neque in communi, sed habeant tantummodo usumfructum supellectilis, librorum et domorum necessariarum. Ius ad immobilia semper remanet apud dantes et alienatio mobilium non conceditur sine expressa Cardinalis protectoris licentia. Reservatur ministro generali ius approbandi praedicatores, quo uti potest simul cum ceteris ministris in capitulo generali; excipiuntur autem illi fratres, de quorum habilitate non est dubium. Ius eiciendi fratres ex ordine non competit ministris provincialibus, neque ipsi delegare possunt suos vicarios ad receptionem novitiorum, tempore quo propter capitulum generale in sua provincia non morantur. Ad hoc capitulum *ulterius non omnes custodes* comparere tenentur, sed tantummodo ex unaquaque provincia unus, qui a ceteris custodibus electus est ad hoc munus.

Haec sunt ordinationes maioris momenti primae declarationis regulae, quae est instar termini in historia ordinis. Non deerant quidem, qui affirmabant petitionem eiusdem ex parte fratrum et concessionem ex parte Pontificis fuisse impiam desertionem idearum S. Francisci; hi tamen iam ex eo refutantur, quod S. Antonius et Ioannes Parens fuerunt inter petentes, qui aegre certe se resolverunt insistere hanc viam, sed non inveniebant aliam viam salutis, nisi forte ordinem ipsum vel saltem eius efficacitatem perdere vellent. Nam quantocumque amore et inflammatione Frater Minor affectus sit versus patrem suum, tamen omnia considerando cogitur confiteri Franciscum nimis tribuisse viribus hominum ordinariorum. Haec intellexit ipse S. Antonius, sicut et postea S. Bonaventura, qui fuerunt ambo patroni *observantiae mitigatae,* studentes puritatem regulae in quantum possibile conservare; attamen melius eis videbatur relinquere, si necessarium erat, medium aliquod quam finem, praeceptum aliquod quam indolem totius ordinis. Ideoque observantia mitigata continuas debebat sustinere controversias ex parte factionum externarum ad dexteram et ad sinistram. Illi respuebant declarationem regulae haerentes in verbo ac litteris, etiamsi per hoc ordo totaliter perverteretur et impediretur exercere opera vitae Apostolicae. Utrum circa annum 1230 iam huius generis fratres exstiterint et quales illi fuerint, non liquide patet; certum tamen est eos tunc quidem temporis ordinem non perturbasse, sed postea demum, quando sibi imposuerant nomen *Spiritualium.* Praeterea iam eo tempore inveniebantur in ordine

fratres, qui ne his quidem mitigationibus erant contenti, sed properabant ad purum laxismum. Quorum dux mox factus est Elias.

In *capitulo generali Reatensi anno 1232* deposuit Ioannes Parens generalatum et secessit in missiones Sardiniae. Successorem accepit Eliam, qui per fictam poenitentiam se ordini iterum fecerat gratum. Commendabatur praeterea tamquam diuturnus S. Francisci amicus, tamquam aedificator basilicae Assisiensis et tamquam cliens Pontificis, qui probabiliter eius electionem optabat. Multas quoque habuit proprietates, aptum eum facientes ad regimen suscipiendum: omnia faciebat bene conscius finis, quem intendebat; strenua erat praeditus voluntate et agilitate in negotiis; multum eius intererat ordinem propagari atque in cura animarum et scientiis praestare; missionibus valde consuluit; favebat condendis residentiis in illis civitatibus, ubi magna operandi facultas dabatur, novitque et apud Pontificem et apud Imperatorem aequaliter sibi comparare auctoritatem. Ast praeter has proprietates bonas multae in eo inveniebantur malae. Praeprimis eius vita privata minime conveniebat Fratri Minori. Acceperat quidem ante suam electionem aliquas dispensationes propter tenuem valetudinem, attamen in usu earum modum longe excessit. Plures alebat equos, quibus paene semper usus est, etiam ad conficienda itinera brevissima; per proprium coquum electos sibi cibos parari curavit, quibus non in communitate, sed solus vescebatur. Colligebat pecuniam, non solum pro exsequenda fabrica novae basilicae, sed etiam ad usus privatos, necnon corruptioni patuit; immo arguebatur et studii alchimiae. Permirum nobis videtur eum aliquando monenti alicui respondisse, se non esse obligatum ad servandam regulam anni 1223, quia eam non esset professus. Eliam hac in re non fuisse solum patet ex capitulo generali anni 1239, quod omnibus fratribus mandavit, ut professionem „regulae bullatae" renovarent[1].

Administrando officium suum mox sibi inimicas fecerat observantiam mitigatam et extremam. Haec, scilicet extrema, scandalizata erat de vita ministri generalis, quae Franciscano minime conveniebat, probabiliter quoque irata erat de bulla „Quo elongati", quae non erat secundum eius gustum. Quousque haec factio contra Eliam processerit, difficile est dictu, quia fratribus, qui postea pro observantia extrema scripserunt, non simpliciter potest adhiberi fides. Sane fieri potuerunt, quae narrant, scilicet, fratres, qui paupertati pristinae adhaeserint — *Caesareni* vocabantur postea — se recepisse

---

[1] AF I 243.

in solitudines, Eliam vero contra hanc separationem processisse et resistentes incarcerasse; Bernardum a Quintavalle aufugisse et delituisse usque ad huius ministri depositionem: Caesarium a Spira interfectum esse a custode, putante eum se velle fuga subtrahere. Quidquid hoc sit, certum est fratres extremos egregie odisse Eliam, quare etiam eorum scripta, partibus studentia, in narratione factorum dubia sunt, praesertim respectu relationum inter S. Franciscum et Eliam.

Attamen Elias observantiam quoque mitigatam, ad quam antea pertinuerat ipse, inimicam sibi fecit, tam per vitam suam privatam quam per suum regimen, quod mox in tyrannidem est depravatum. Potestas quidem ministri generalis hoc tempore adhuc erat absoluta, exercitium vero eiusdem more Eliae contradixit directe intentionibus S. Francisci. Ipse laicus, praeferebat in omnibus fratres laicos, quippe qui eius voluntati magis obsequerentur quam clerici; saepe deposuit ministros provinciales, ut loco eorum poneret suas creaturas; numerum provinciarum augebat sine aliqua necessitate ad 72 (§ 30); nunquam celebrabat capitulum generale, ne unquam a se posset reposci ratio factorum. Ad summum congregabat partem fratrum Italorum, quos ipse elegerat ideoque non timebat. Non tamen perterrefacti sunt his omnibus ministri provinciarum ultramontanarum, Germaniae, Galliae et Angliae, ubi irritatio maximum assecuta est gradum adventu *visitatorum* ab Elia missorum. Ipse nunquam visitavit provincias, quod facere debuisset secundum regulam; econtra fratres ipsi visitatoribus suis iam a principio non favebant, quia hucusque vix tales exstiterant, immo dubium proponebatur, utrum de iure possent admitti. Probabiliter vero cessissent fratres huic ordinationi, nisi visitatores tam dure, insolenter et avare egissent, simul auctoritatem ministrorum provincialium evertentes. Declarabant de mandato ministri generalis, omnem fratrem, qui aliquid celaret, „ipso facto" esse excommunicatum; ipsi vero omnes accusationes debebant generali deferre. Mirandum igitur non est, si aliquae provinciae ne admittebant quidem visitatorem, declarantes eorum institutionem tamquam inventionem diabolicam.

Consilium sese contra Eliam defendendi captum est primum Parisiis ducentibus claris illis magistris Alexandro de Ales et Ioanne de Rupella, attamen, ut videtur, sine effectu. Melius contigit res eorum collegae Haymoni de Faversham, qui Anglis et Germanis persuasit, ut Romae contra voluntatem ministri generalis celebrarent capitulum, in quo delegati ex his provinciis congregati appellarent Pontificem. Adiuvabat eum valde frater Arnulphus, eius compatriota, qui, in

officio poenitentiarii Apostolici Romae exsistens, Gregorium IX traxit ad partes Haymonis. Post longiores tractatus remisit eos Papa in provincias, mandans, ut committerent 20 fratribus electis officium proponendi et elaborandi reformationes necessarias. Postea indixit *capitulum generale Romae* anno 1239 celebrandum, in quo depositus est Elias, in cuius locum successit Albertus a Pisa, hucusque minister provincialis Angliae. Deinde promulgatae sunt multae constitutiones, quae probabiliter erant summa tractatuum de reformatione. Constitutio ordinis a fundamentis est mutata (§ 34) et independentia ministri generalis sublata, cui praeponebatur capitulum generale. Igitur hodiernum usque in diem patitur ordo consequentias, ortas ex abusu potestatis per Eliam.

§ 6. A depositione Eliae usque ad electionem S. Bonaventurae. 1239—1257 [1].

Albertus Pisanus erat primus sacerdos, qui factus est minister generalis, et ex hoc tempore amplius nunquam electus est laicus. Superbia enim eorum, quibus Elias nimium indulserat, eousque devenerat, ut *Haymo de Faversham,* successor Alberti, qui iam anno 1240 mortuus est, laicos excluderet ex omnibus ordinis officiis et mandaret, ut eorum receptioni modus imponeretur. Inde sequitur clericos tunc temporis in ordine, etsi non numero, tamen certe auctoritate praevaluisse, quia secus tale decretum vix potuisset exsecutioni mandari.

Interea Elias, ne novo ministro praestaret oboedientiam, transierat ad Fridericum II imperatorem, quapropter a Gregorio IX excommunicatus est. Mortuo autem Pontifice anno 1241 et Haymone, maxime sibi adversario, anno 1244, speravit Elias fore, ut iterum eligeretur in ministrum generalem, quia magna ordinis pars ei adhuc adhaerebat et Innocentius IV, novus Pontifex, nondum habebat inimicitias adversus Imperatorem. Igitur comparuit ad capitulum generale Genuae congregatum, demonstraturus depositionem suam fuisse iniustam. Maioritas

---

[1] *Eccleston,* De adventu Fr. Min. in Angliam: AF I 243. *Salimbene,* Liber de Praelato et Monum. hist. ad Prov. Parmensem et Placentiam pertinentia, Parma 1857. Chronicon XIV vel XV Min. Gen. O. F. M., ed. AF III 693; ed. *Hilarin a Lucerna,* Romae 1897. *A. Little,* Fr. Peregrini de Bononia Chronicon de successione Gen. Min.: Bullett. crit. di cose francescane I (1905) 45. *Ehrle:* ALKG II 120 256. *P. Sabatier:* Opuscules de critique hist. I (1902) 109. *F. Tocco,* L'Eresia nel medio evo, Firenze 1884, 449. *E. Gebhart,* L'Italie mystique [5], Paris 1906, 183. *René de Nantes:* EF XV (1906) 41 148 277.

vero stetit contra eum, quare iterum secessit. Denuo a Pontifice excommunicatus et ex ordine eiectus, paucis comitatus fratribus, Cortonam se contulit, ubi domum et ecclesiam in honorem S. Francisci aedificabat. Saepius imposterum ordo conatus est, ut eum ad oboedientiam reduceret, ipse vero semper restitit timens, ne in carcerem detruderetur. Denique anno 1253 paulo ante mortem cum ecclesia iterum totaliter est reconciliatus et factorum poenitens mortuus est repetendo saepissime: „Domine, parce mihi peccatori."

Nihilominus per haec non resarcitum est detrimentum, quod Elias ordini intulerat. Positio enim maioritatis in ordine, observantiae scilicet mitigatae, in dies fiebat iniquior, quia factio laxorum illo gubernante numero et auctoritate creverat, observantia vero extrema magis facta erat proclivis ad separationem. Quaecumque eius successores Albertus et Haymo ad meliorem poterant reducere frugem, certe reducebant. Ita Haymo, ut controversias theoreticas circa regulam solveret, sententias fratrum circa quaedam regulae puncta exquisivit. Ad hoc provincia Angliae recusabat declarationem regulae, agnoscens tantummodo regulam ipsam, sicuti est; Galli vero mittebant ministro circa annum 1242 clarissimam illam *expositionem quattuor magistrorum* [1], quae compilata est ab Alexandro de Ales, Ioanne de Rupella, Roberto de Bastia et Richardo, doctoribus universitatis Parisiensis. Patet ex ea dilucide, quantum obscuritatis et dubietatis tunc temporis adhuc in ordine exstiterit circa quaedam regulae puncta, e. g. circa quaestionem, cui competat ius ad mobilia ordinis, qua de re hucusque nihil erat definitum. Consuluerunt igitur quattuor magistri ministro generali, ut peteret novas declarationes authenticas, non vero dispensationes, de quibus timendum esset, ne ordinem perderent. Numerantur autem inter haec privilegia nociva Gregorii IX brevia, data die 12 Decembris anni 1240 et die 19 Iunii anni 1241 [2], in quibus Papa prima vice formaliter dispensaverat de praeceptis regulae, concedens ministris provincialibus, ut sine interventione ministri generalis approbarent praedicatores et ut recipere possent novitios per suos delegatos, quamquam receptio iuxta regulam ministris tantum erat reservata.

Longe maioris ponderis est declaratio regulae *Ordinem vestrum,* edita die 14 Novembris 1245 [3] ab Innocentio IV ad ministrum generalem *Crescentium Aesinum (de Iesi),* in qua Pontifex omnia mobilia

---

[1] Firm. IV 17. Mon. III 18. Spec. III 16.

[2] BF I 287 298. [3] BF I 400.

et immobilia fratrum suscipit in proprietatem Sedis Apostolicae, nisi benefactor eam sibi ipsi reservasset. Praeterea concedit recursum ad nuntium non solum pro necessitatibus, sed etiam pro „commodis fratrum“.

Quomodo ordo se habuerit respectu huius innovationis, non est certum. Videtur Crescentio regnante in summa tolerasse declarationem, quam sub eius successore libere resignavit. Qualis vir fuerit ipse Crescentius Aesinus, non satis liquet, quia diversi diversa de ipso tradunt idque secundum sententiam factionis, cui adhaerent. Spirituales eum superiorem laxum appellant, quippe qui iam pridem, cum esset minister provincialis Marchiae, contra eorum asseclas, qui se subtraxerant oboedientiae, portabant vestes secundum proprium beneplacitum et ceteros fratres despiciebant, severe processerat. Cum igitur Crescentius factus esset minister generalis, surrexerunt contra eum 72 fratres, accusaturi eum Romae, probabiliter de eis, quae fecerat tamquam minister provincialis, et de laxationibus regulae factis intra ultimos annos. Crescentius vero ipsos accusando praevenit, eosque de mandato Pontificis[1] punivit, dispergens eosdem in diversas provincias. Mox tamen videtur perdidisse favorem Pontificis, utrum propter eventus intra ordinem, an aliis de causis, non liquide patet. Cum ergo anno 1247 capitulum generale Lugduni celebraretur praesente Pontifice, Crescentius excusans se propter senium, non comparuit, quamquam Innocentius ei praeceperat, ut veniret, quare eius loco electus est *Ioannes Burallus a Parma*[2] minister generalis. Paulo post Crescentius Episcopus Assisiensis electus est, sed a Sede Apostolica reprobatus; tamen anno 1252 concessa est ei cathedra Episcopalis Aesina.

Ioannes a Parma certe magis inclinabat ad severiorem partem quam eius antecessores, immo Spirituales eum numerabant inter suos, quamquam antea fuerat doctor Parisiis ideoque scientiis favebat, dicens bonum ordinis pendere ex duobus, ex bonis moribus et ex scientiis, quod certe non erat secundum Spiritualium sententiam. Magis adhuc recessit ab ea, petens a curia Romana multa privilegia, quae partim maximi erant momenti. Vix unus mensis post eius electionem elapsus erat, cum Papa, rogante ministro generali, die 19 Augusti anni 1247[3] concederet, ut minister provincialis uniuscuiusque provinciae posset constituere aliquos viros pios, qui tamquam

[1] AF I 349 422 sq.

[2] *J. Affò,* Vita del b. Giovanni di Parma, Parma 1777. *Luigi da Parma,* Vita del b. Giovanni da Parma[2], Quaracchi 1900.

[3] BF I 487.

vicarii Sedis Apostolicae, cui competeret dominium rerum ordinis, omnia haberent iura in mobilia et immobilia fratrum. Hi *procuratores* quoad omnia agere tenebantur conformiter ad dispositiones fratrum, qui eos amovere poterant et alios in locum eorum subrogare. Ordo quidem in capitulo probabiliter Metensi anni 1249 ducente ministro Hiberniae decreta Innocentii IV interim suspendebat, in quantum contradicebant decretis Gregorii IX [1], attamen Ioannes a Parma anno 1256 privilegia *amborum* Pontificum iterum sibi confirmari curavit [2]. Anno praecedenti, die 21 Octobris anni 1255 [3], fratribus comparaverat facultatem, ut ex occasione translationis domicilii omnia mobilia secum ducere, immobilia vero exceptis ecclesiis vendere possent per procuratores. Haec omnia non erant secundum gustum Spiritualium, sicut neque privilegium, datum die 5 Aprilis anni 1250 [4], quo concedebantur ecclesiis, quae aedificatae erant prope aliquem conventum non vero eremitorium fratrum, omnia iura ecclesiarum conventualium simul cum iure sepulturae.

His omnibus consideratis, difficile est referre Ioannem a Parma haud cunctanter in numerum Spiritualium. Igitur causae, quare ipsi eum agnoverint tamquam suum, inquirendae sunt alibi. Neque sanctitas vitae Ioannis poterat esse unica ratio, quia et alii inveniebantur viri in observantia mitigata, vita laudabili certe pares Spiritualibus, etsi non Ioanni. Ipse visitabat pedibus magnam ordinis partem, ubique praebens exemplum humilitatis et pacis, quare Papa, in cuius servitiis graves suscepit legationes, eum appellabat „angelum pacis". Zelabatur quoque contra excessus quorundam fratrum, qui ab ingredientibus ordinem postulabant partem bonorum, qui indulgebant otio etiam in eremitoriis, qui morabantur in curia Romana ambientes dignitates. Saepius procuravit sibi litteras a Pontifice, quibus prohibebatur, ne fratres acciperent tales dignitates sine consensu ministri generalis [5]. Ceterum non voluit constitutiones augere, dicens observandas esse eas, quae iam exsisterent.

Quod igitur ministrum generalem gratum faciebat in oculis Spiritualium, erat eiusdem *agendi ratio respectu zelatorum,* in quos Crescentius invectus erat. Ipse eis iterum in suas provincias revocatis amplius molestiae non erat, immo laudibus quoque eosdem cumulasse fertur. Magis adhuc ardebant Spirituales admiratione Ioannis Parmensis propter eius vera vel apparentia studia in favorem *Ioachi-*

---

[1] AF I 235. [2] BF II 112. [3] BF II 84.
[4] BF I 537 sq 622. [5] BF I 605; II 134.

mismi. Ioachim, abbas monasterii Cisterciensis a Floris in Calabria († 1202), ideas disperserat mysticas, quae culminabantur in eo, quod anno 1260 nova inciperet aetas, aevum scilicet Spiritus Sancti, in quo dominaret evangelium aliquod spirituale, ortum ex evangelio Christi, quod secundum litteram periret. Prophetaverat ecclesiam quoque, depositis omnibus exterioribus et carnalibus, fieri spiritualem, quin tamen eius essentia mutaretur. Ordinem in tempore futuro fundandum, per illuminationem S. Spiritus in huius evangelii aeterni intelligentiam inductum, propagaturum esse per totum mundum illius veritatem. Similes ideae movebantur in multis ordinis membris, quin tamen saepe ipsi intelligerent consequentias earum et intenderent discordare cum ecclesia. Nihilominus periculum haeresis imminebat, quare mirandum non est, quod membra ordinis saniora his fanaticis obsisterent adiuti libenter ab ecclesia. Egregii asseclae Ioachimi in ordine erant doctus ille Hugo de Dina et fratres *Gherardus a Borgo S. Donnino,* ambo amici ministri generalis. Fr. Gherardus anno 1254 edidit Parisiis volumen, quod inscribitur „Introductorius in Evangelium aeternum“ [1], in quo sub nomine „evangelii aeterni“ longe aliud intelligit ac Ioachim, scilicet tria volumina principalia, quae ipse Gherardus conscripserat tamquam libros canonicos tertii aevi, cuius evangelista est Ioachim, Apostoli vero Fratres Minores. Hic liber ita abundat ineptiis, ut etiam multi asseclae Ioachimi illum reicerent neque fratres ordinis, qui erant eiusdem sententiae, ipsi consentirent, excepto unico amico. Moxque auctor in suam provinciam (Siciliam) est remissus et ibidem incarceratus usque ad mortem. Non obstantibus his Gherardi causa ad totum ordinem Praedicatorum et Minoritarum est extensa ab universitate Parisiensi, quae tunc contendebat cum ambobus ordinibus. Alexander IV proscripsit quidem hunc librum, tuebatur vero ambos ordines contra iniustas adversariorum accusationes.

Haec omnia male acciderunt etiam ministro generali. Habebat enim amicos, qui absque ullo dubio erant asseclae Ioachimi, immo videtur etiam favisse eorum ideis, quippe quae hucusque non essent damnatae et sane admitterent interpretationem orthodoxam. Postea quoque falso dicebatur auctor „Introductorii“. Adversarii eius in ordine exsistentes, imprimis illi, qui non erant contenti de regimine illius, abusi sunt his circumstantiis, ut eum ab officio deturbarent. Cum vero ipse Ioannes nihil magis cuperet quam se abdicare a

---

[1] *H. Denifle:* ALKG I 40.

generalatu, convocavit ante tempus, mense Februario anni 1257, capitulum generale Romam, ubi magnus conventus Aracoelitanus ordini erat traditus a Pontifice. Ibi, proponente Ioanne, electus est minister generalis frater *Bonaventura* Fidanza a Balneoregio, qui tunc temporis commorabatur Parisiis. Verisimile non est maioritatem capituli voluisse depositionem Ioannis, neque certum est, utrum Papa induxerit eum, ut propter suam relationem ad Ioachimismum se abdicaret ab officio. Attamen paucis post resignationem mensibus citatus est ante iudicium ecclesiasticum, cui, praesidentibus protectore Cardinali et ministro generali, incumbebat inquirere in hanc causam. Accusationes erant tam graves, ut iudices putarent eum esse condemnandum; solummodo strenuae recommendationi Ottoboni Cardinalis, qui factus est postea Hadrianus V, bene contigit, ut liberaretur a poena. His peractis Ioannes se recepit in eremiam Graecensem (Greccio), ubi post sanctam vitam mortuus est anno 1289.

§ 7. **Generalatus S. Bonaventurae. 1257—1274**[1].

Bonaventura (Ioannes Fidanza), natus anno 1221 Balneoregii in Thuscia, ordinem anno 1238 vel 1243[2] est ingressus. Post studia Parisiis sub Alexandro Alensi absoluta cathedram ibidem ascendere est iussus; attamen propter disceptationes in universitate Parisiensi ortas exclusus manebat, usquedum post decisionem Pontificis simul cum S. Thoma, amico suo, in facultatem theologicam reciperetur tamquam doctor, quod factum est mense Octobri anni 1257. Interim vero ipse ad summam ordinis dignitatem erat evectus.

Paucis post electionem hebdomadibus denuo confirmandum curavit privilegium Innocentii IV, datum die 14 Novembris anni 1245[3], misitque eodem anno, mense Aprili, primam suam encyclicam ad omnes ordinis provincias[4], in qua, cur ordo pristinum splendorem amiserit, causas enumerat et deplorat. Inveniuntur inter eas: negotiorum multiplicitas, qua paupertas violatur et pecunia incaute recipitur atque elargitur; otiositas et evagatio quorundam fratrum; importuna mendicatio, propter quam fratres magis timentur quam praedones; aedificiorum constructio sumptuosa et curiosa; multiplicatio familiari-

---

[1] Chronica XXIV Generalium: AF III 323. *Ehrle:* ALKG II 271. *René de Nantes:* EF XV (1906) 513 593. Doctoris Seraph. S. Bonav. Opera omnia, ed. Quaracchi VIII 233; X 39.

[2] Ad chronologiam cf. Opera omnia X 40; AF IV 305.

[3] BF II 196. [4] Opera omnia VIII 468.

tatum cum personis alterius sexus, ex qua suspiciones et scandala oriuntur; commissio officiorum relate ad fratres indignos; sepulturarum et testamentorum avida invasio non sine magna turbatione cleri parochialis; translatio fratrum de loco in locum sine solido fundamento, ex qua oriuntur rancor et expensae vanae. Concedit deinde multos esse, qui non sunt culpabiles his in rebus, attamen per malam paucorum vitam perire auctoritatem omnium, nisi adhibeantur remedia opportuna, quae sunt: spiritus orationis, eiectio indignorum et prudentia in receptione novitiorum. Abusus vult severe exstirpari, de cetero vero non imponi fratribus nova praecepta.

Haec duo facta illustrant optime modum regiminis S. Bonaventurae: agnoscens facta historica retinuit privilegia ordinis, petens quoque nova, si erant necessaria [1]. Nam persuasum ei erat ordinem minime posse reduci ad statum pristinum, quare ne conatus quidem est aliquid in hunc finem suscipere [2]. Immo defendebat necessitatem studiorum, curae animarum et conventuum magnorum, hoc praesertim propter educationem fratrum iuniorum et propter exemptionem a iurisdictione Episcopali, quae ordinis firmitati maxime erat necessaria. Poscebat tamen, ut intra hos limites servaretur disciplina et paupertas, ut libertas effrenata, quae alios ducebat ad laxismum, alios vero ad separationem, coarctaretur. Eodem anno, quo erat electus, adhuc duo nova petiit privilegia [3]. Primum concedit, ut fratres possint accipere legata et pecuniam restituendam, cuius legitimus possessor non amplius possit inveniri. Alterum privilegium directum est contra illum periculosum abusum, qui decurrentibus saeculis maximum ordini inferebat damnum, concessionem scilicet privilegiorum Pontificiorum pro singularibus fratribus, domibus ac provinciis. Bonaventura igitur apud Apostolicam Sedem consecutus est, ut nemo tali privilegio posset uti sine expressa ministri generalis licentia. Eadem ratione compulsus retinuit ius sui antecessoris, ut revocare posset fratres, qui rogatu Episcoporum licentiam acceperant apud eosdem commorandi, immo, ut nullus frater posset accipere tale munus sine licentia superiorum.

Quomodo igitur S. Bonaventura exsecutus est suum intentum? Scriptores observantiae mitigatae eum absolute laudant; ast Spirituales,

---

[1] BF II 298 446; III 19. [2] Cf. ad haec ALKG III 516.

[3] BF II 251 253. Bulla „Obtentu", edita die 12 Octobris 1266, qua Bonaventura dicitur procurasse fratribus ius, ut hereditates possent accipere sicut saeculares, falsificata est; vide apud *Annibali de Latera,* Ad Bull. Francisc. Supplementum. Romae 1780, 86; *P. Sabatier:* Rev. hist. LXXXIX (1905) 308.

agnoscentes quidem eius sanctitatem, dolent, quod non habuerit cum bona voluntate simul et firmam in abolendis abusibus. Notandum tamen est Spirituales multas res declarasse abusus, quas minister generalis agnoscebat tamquam necessariam ordinis evolutionem. Praeterea S. Bonaventura, homo tenuis valetudinis, non tantum potuit praestare austeritatibus vitae, sicut Ioannes a Parma, cui in zelo pro vita regulari et pro bono ordinis certe non cessit. Decies circiter tempore sui regiminis reliquit suam residentiam consuetam, Parisios, profecturus in Italiam, quod certe respectu molestiarum, quibuscum tunc temporis coniunctum erat iter, magnus est labor corporis. Capitulum generale celebravit sine interruptione secundum regulae praescriptum tertio quoque anno, idque paene semper alternis vicibus in partibus ordinis cismontanis et ultramontanis, quorum maximi momenti est capitulum Narbonnense celebratum anno 1260. In hoc enim capitulo ordinationes ceterorum capitulorum omnium collectae sunt, dispositae ac promulgatae tamquam *constitutiones Narbonnenses*[1], quae secundum materiam et formam factae sunt exemplar maioris partis constitutionum, quae postea conficiebantur. Materia eorum disposita est in duodecim capitula sequentia textum regulae. Omissis definitionibus de constitutione ordinis, quas postea tractabimus, praesertim haec sunt commemoranda: receptio novitiorum clericorum dependet a cognitione grammaticae et logicae; laici vero ad usus domesticos in casu tantum necessitatis cum speciali ministri generalis licentia recipiantur. Novitii educentur a proprio magistro in domibus novitiatus. Finito anno probationis faciant professionem secundum formulam in constitutionibus Narbonnensibus primo praescriptam, qua ordo hucusque utitur. Color habitus neque totaliter niger neque totaliter albus, sed griseus esto[2]. Concessio antiquis usibus monasticis facta est per introductionem silentii, capituli culparum et abstinentiae a carne in conventibus. Respectu receptionis sacramentorum ordinatur, ut fratres bis in hebdomada confiteri et quinquiesdecies in anno sanctam communionem recipere teneantur. Frater extra conventum degens semper habeat socium, qui transgressiones, quae acciderent, ad superiores deferat. Ad puniendos discolos carceres bene muniti, sed humani erigantur. Severe puniatur is, qui quocumque modo studet separationi ordinis, cui poenae etiam minister generalis subest, qui, ne innovationes excitet, praecepta universaliter obligantia ferre non

---

[1] Opera omnia VIII 449. ALKG VI 87.

[2] Propterea vocantur saepe etiam *fratres grisei*, grey friars.

potest nisi in capitulo generali cum consensu definitorum. Similiter ipsi non licet petere privilegium, quo derogetur regulae.

Praeter has constitutiones facta sunt in eodem capitulo sicut et alibi alia quoque decreta[1] (Memoralia, Definitiones, Statuta, Ordinationes), quorum valor iuridicus difficilis est aestimatu. In quantum enim non erant purae admonitiones, in theoria ipsis competebat eadem vis obligationis ac constitutionibus, quia tunc temporis nondum erat necessaria approbatio Sedis Apostolicae. Saepe quoque habebantur tamquam leges, quo facto crescebat ambiguitas iuris et necessitas redigendi constitutiones semper in novam formam. Bonaventura quidem ipse hoc malum vitavit, abolendo omnia decreta a prioribus ministris generalibus tam scripto quam vivae vocis oraculo data, attamen multa capitula posterioris temporis negligebant hunc modum, edentes nihilominus novas ordinationes, quae saepius antiquis contradicebant, quare fieri non potuit, ut non maxime perturbaretur legislatio ordinis. In memoratis decretis capituli Narbonnensis custodes et guardiani declarati sunt praelati, qui ad curam animarum subditorum delegantur a ministro generali. Sequebatur hoc necessario ex introducta exemptione, etiamsi nomen praelati minime concordabat cum spiritu S. Francisci. Repetitio resolutionis de suspensione declarationis regulae per Innocentium IV editae, in quantum contradiceret declarationibus Gregorii IX, commemorari vix meretur, quia iam anno 1262 *omnia* privilegia ordini Minorum hucusque concessa iterum sunt confirmata[2], quo abolita est haec resolutio capituli. Annis sequentibus Bonaventura, obsecundans capituli generalis precibus, incubuit scribendae *legendae S. Francisci,* quae approbata est in capitulo generali Pisis anno 1262 congregato. Sicut in omnibus, ita quoque in hoc opere Bonaventura intendebat pacificationem ordinis, quare haec legenda, praetereundo omnia, quae contentionibus fomento esse potuissent, ita omnibus placuit, ut in capitulo generali Parisiensi anno 1266 sub oboedientia praeciperetur sublatio ceterarum legendarum. Ex his patet, quare legenda S. Bonaventurae per totum medium aevum tamquam principalis fons habita sit, usquedum fontes antiquiores, praesertim legendae Thomae a Celano, iterum sint inventae. Hoc decretum capituli generalis, quod tamen non S. Bonaventuram auctorem habuit, sicut falso affirmant eius adversarii, certe approbandum non

---

[1] Cf. *A. G. Little,* Decrees of the General Chapters of the Friars Minor 1260—1282: The Engl. Hist. Rev. XIII (1898) 703.

[2] BF II 446.

est, etsi, respectu dissensionum tunc in ordine exsistentium, intelligi potest et excusari. Post capitulum generale Parisiense minister generalis alteram transmisit epistolam ad provinciales ordinis, in quo iterum conqueritur de abusibus iam notatis, quibus auctoritas fratrum minueretur apud populum et apud clerum. Relate ad paupertatem directe affirmat quosdam ore quidem confiteri paupertatem, revera autem non observare: „Foedum est profanumque mendacium, summae paupertatis voluntarium se professorem asserere et rerum penuriam pati nolle, interius divitum instar affluere et exterius more pauperum mendicare.“ Asserit denique causam horum omnium esse superiores, qui tolerarent tales abusus et ordinationes factas ad impediendos eosdem non sufficienter urgerent. Si clementia non proficeret, deveniendum esse ad expulsionem, ne per talia membra putrida totus inficeretur ordo.

Notandum tamen est, ex talibus litteris minime posse erui, quomodo in communi se habuerint res intra ordinem, quippe quae designent tantummodo abusus, amantes exaggerationem, ut maiorem faciant impressionem. Itaque qui iuste vult iudicare de statu ordinis tempore S. Bonaventurae, minime debet praeterire ordinem tunc temporis excelluisse in omnibus provinciis curae animarum, missionum et scientiarum. Ast, sicut fit in omnibus societatibus et temporibus, etiam tunc excessus committebantur vituperatione digni. Forsan Bonaventurae contigisset eosdem quoad magnam partem exstirpare, si per longius tempus ordinem gubernasset, sed Papa eum a suo munere revocavit, quod valde dolendum est. Anno 1273 enim Gregorius X eum creavit Episcopum Cardinalem Albanensem, postulans, ut acciperet hanc dignitatem sine retractatione; iam pridem enim, anno 1265, recusaverat Episcopatum Eboracensem (York). Ordinis gubernacula retinuit usque ad capitulum generale Lugdunense celebratum anno 1274. In concilio ibidem tunc temporis congregato magna praestitit ecclesiae obsequia [1] et conciliavit sibi amorem omnium, praesertim vero Graecorum, usquedum subitanea mors eum eriperet mediis ex laboribus die 15 Iulii 1274. Luctus patrum conscriptorum sincerus erat et profundus; Papa ipse intererat eius exsequiis et ordinavit, ut omnes sacerdotes totius orbis catholici eius animae parentarent Sacri unius celebratione.

Concilium Lugdunense tractabat etiam de religiosis, praesertim de numerosis mendicantibus, qui post ultimum concilium Lateranense

[1] *G. Ortolera,* S. Bonaventura e il secondo concilio di Lione, Roma 1874.

orti sunt posthabita eiusdem concilii expressa prohibitione. Concilium Lugdunense eos partim tollebat partim extinguebat paulatim, negando eis ius recipiendi novitios; excipit tantummodo ordinem Praedicatorum et Minorum propter indubiam utilitatem, quam afferunt ecclesiae[1]. Directum erat hoc decretum praesertim contra illas numerosas societates, quae aliqua tantummodo assumpserant ab ambobus magnis ordinibus mendicantium, praesertim quoad victum et vestitum, ut populi favorem lucrarent, in ceteris vero minime cum ipsis concordabant et communiter doctrinas sequebantur Ioachiticas et haereticas. Huc pertinent Saccati, qui etiam Boscarioli (homines silvestres) vocabantur, qui orti erant in Provincia Franciae (Provence), idque, ut dicitur, ex praedicationibus Hugonis de Dina[2]. Maioris ponderis et longioris vitae erat *secta spiritus liberi,* quae vocatur etiam secta Apostolicorum vel fratrum Apostolorum[3] (Apostoli, Pseudoapostoli), quae fundata est a *Gherardo Segarelli,* qui non ad habitum erat admissus apud Minoritas Parmenses. Agitationes huius sectae mox tam periculosae sunt factae ordini ecclesiastico et civili, ut maxima severitate ac armis et vi eradicarentur. Capita eorum, Segarelli (1300) et postea Dulcinus (1307), rogum ascendere coacti sunt. Immerito tamen adnumerantur interdum Fraticellis (§ 12).

Rumor in concilio decreta contra mendicantes esse facta pervenit etiam in Marchiam Anconitanam, ea tamen versione, quasi Papa intenderet eos obligare ad proprietatem in communi, quo nuntio dissidium iam diu in occulto flagrans aperte erupit. Maioritas fratrum parata erat oboedire mandato, si promulgaretur, aliqui vero censebant non esse obsequendum praecepto iniusto. Quamquam de facto veritas huius rumoris non est probata, tamen capitulum provinciale anni 1274 ab illis fratribus sibi rationem repoposcit et exegit retractationem sententiae. Pauci, inter quos erant *Thomas a Tolentino* et *Petrus a Macerata,* eam recusabant, quare habitu ordinis sunt privati et in eremitoriis inclusi. Hoc erat initium magnae illius contentionis inter communitatem ordinis et Spirituales, ad cuius meliorem intelligentiam nonnullae praemittendae sunt notae generales.

---

[1] *Mansi,* Coll. Conc. XXIV 96.
[2] *F. Glaser,* Die franziskanische Bewegung, Stuttgart 1903, 94.
[3] ALKG IV 154. *Glaser* l. c. 96.

§ 8. Quaedam generalia de factionibus circa annum 1270 in ordine exsistentibus. Regulae declarationes privatae[1].

Nomen *Spiritualium* a quibusdam derivatur e decimo regulae capitulo, secundum quod omnes fratres, „qui scirent et cognoscerent" se, quacumque ex causa, sive ex negotiis sive ex circumstantiis, regulam non posse *spiritualiter* observare, ad suos ministros possunt ac debent recurrere. Verisimilior tamen videtur declaratio nominis ex usu loquendi illius temporis, quo sub nomine „hominis spiritualis" intelligebatur homo vere et profunde religiosus[2]; nam apud Dominicanos quoque, qui utique hoc praeceptum non habebant, pars severior Spirituales se appellabat, donec illud nomen interdictum est tamquam pacem turbans.

Erantne ergo Spirituales ordinis Minorum revera hoc, quod nomen exprimebat? Generaliter ad hoc responderi non potest iam ex eo, quod inter Spirituales ipsos inveniantur diversae partes, quae minime in omnibus consentirent, quodque inter eos excellerent homines, quorum proprietates non simpliciter possint extendi ad omnes. Licet forsan dicere: inveniebantur inter eos sancti in sensu verbi stricto, simul quoque fanatici usu rationis incapaces et homines inoboedientes et superbi, immo etiam haeretici. Hoc certe magis attingit veritatem quam opinio, quae postea de eis vulgo in ordine circumferebatur. Observantes enim, praecursores suos in eis videre consueti, bonum tantummodo, quod in eis erat, commemorabant; Conventuales vero, immerito supponentes fratres de communitate tunc temporis fuisse suos socios, Spirituales condemnabant tamquam suos inimicos.

Neque minus discrepant sententiae, quando agitur *de tempore, quo Spirituales sint orti.* Arbitrarium quidem est inter ipsos numerare adversarios Eliae et Crescentii Aesini, quia in quibusdam cum Spiritualibus convenerint, ast neque veritati consentaneum est affirmare eos ortos esse anno 1274, quo incipiebat conflictus. Certum est enim eos iam antea exstitisse, praesertim in eremitoriis Italiae mediae, forsan et Franciae meridionalis; alibi vero parum de eis est animadversum. Tunc sane nondum omnes apparebant proprietates, quibus postea Spirituales agnoscebantur. In numero harum proprietatum

---

[1] *Ehrle,* ALKG III 554. *Gebhart,* L'Italie mystique[5] 237. *René de Nantes:* EF XIV (1905) 588.

[2] Cf. 1 Cor 2, 14 sq; Gal 6, 1.

inveniuntur: *Studium observandi regulam et testamentum S. Francisci ad litteram sine ulla declaratione Pontificia, nimia de paupertate ordinis aestimatio,* quae ipsis simpliciter idem est ac culmen religiosae perfectionis, quare ne Papa quidem dispensare possit ab ea. Hoc, consideratis declarationibus Pontificiis iam editis, conflictum provocare debebat, eoque magis, quod ipsi receperant *Ioachimismum* et alias deviationes a doctrina ecclesiastica. Immo diversa facta ex historia ordinis subiciunt dubium, an non Ioachimismus sit nota differens Spiritualismi, relate ad quem zelus pro paupertate sit tantummodo pars intenti, immo interdum pura species externa (§ 11). Nihilominus multi Spirituales totam merentur aestimationem nostram, quia sancte erat eis persuasum se pugnare pro almis ideis, pro quibus nec vitam tradere timebant. Certum vero est totam hanc actionem tam sibi ipsi quam ordini maiorem allaturam fuisse utilitatem, si destitisset a multis postulatis excessivis et tamquam fermentum occulte operans in ordine remansisset.

Spiritualibus ex adverso erat *communitas,* quae distinguebatur in *observantiam moderatam* et *laxam.* Contra laxismum maior ordinis pars ducentibus ministris generalibus contendere nunquam destitit, sicut iam vidimus et ulterius apparebit, quare iniuste agebant communitatis adversarii, arguendo ordinem ipsum de excessibus laxorum. In hoc praesertim peccaverunt Spirituales, quo factum est, ut concordia optanda inter moderatos et partem Spiritualium in dies fieret magis impossibilis atque tota communitas omni vi et consilio contra zelatores extremos procederet, qua in re tamen non raro modum excedebat, crudelius aequo puniens. Considerabantur videlicet tamquam ordinis destructores, quia neque oboedire ordinariis suis superioribus volebant, neque contenti esse declarationibus Pontificiis respectu paupertatis, a quibus communitas neque voluit neque potuit recedere. Efficacitas enim ordinis in tantum creverat, ut iam permanere non potuisset supposita Spiritualium sententia de paupertate. Ordo autem, ita communitas bene est ratiocinata, erat fundatus, ut largam explicaret industriam, totum se impertiendo missionibus internis et externis. Supposito, quod Spirituales propriam constituissent provinciam cum omnibus obligationibus eiusdem, e. g. educandi fratres iuniores, providendi fratribus aegrotis et senibus, certe multi eorum resipuissent. Viventes autem in gremio provinciarum facile potuerunt vituperare eos, qui curam et laborem suscipiebant pro eis, quorum igitur beneficio severiorem poterant ducere vitam. Mirum certe est inter omnes duces Spiritualium

hucusque notos non inveniri hominem tranquillum, moderatum et sympathicum, nam paene omnes erant vehementes et immoderati, immo partim et mendaces. De spiritu S. Francisci, quem ipsi renovare praetendebant, vix vestigium in eis invenitur, nisi forte sit reperiendus in illo amore paupertatis, quem ad ridiculum depravaverunt. Econtra inveniuntur inter moderatos communitatis multi serii et sympathici viri, quorum vita laxismum condemnabat quorumque sanum iudicium sententias Spiritualium reiciebat. Hi utrumque damnabant extremum, quia utrumque ordinem ducere debebat in perniciem. Excellentissimis huius inclinationis typis adnumerandi sunt inter alios *S. Antonius, Alexander de Ales, Ioannes Pecchanus* (Peckam), *David ab Augusta, Bertholdus Ratisbonensis* et ipse *S. Bonaventura.*

Patet ex eius epistolis officialibus ipsum ita obstitisse laxismo, ut ne Spirituales quidem acrius hoc fecissent. Nihilominus vero patet tam ex ipsis quam ex *ceteris numerosis voluminibus,* quas S. Bonaventura scripsit *de regula ordinis*[1], eum paupertatem ordinis tantummodo possibilem putasse suppositis declarationibus Pontificiis. Similes, inquit, sumus famulis in aliqua domo, qui accipiunt omnia, quae necessaria sunt, a dominis, quin habeant proprietatem eorum. Domina nostra etiam in temporalibus est ecclesia, relate ad quam fratres in communi sic se habent, sicut in aliis ordinibus quilibet monachus relate ad monasterium. Praefert quoque S. Bonaventura magnas domus minoribus, quia in istis melior est disciplina, et quia in ipsis melius potest prospici educationi novitiorum, cultui litterarum et curae animarum. Vult tamen et has domus aedificatas supra providentiam Dei carentes omnibus fundis et proventibus certis[2]. Contra zelantes, qui loco residentiarum stabilium pristinas optabant peregrinationes, his severis utitur verbis: „Si dicis nos tamquam advenas et peregrinos debere ire *de domo in domum,* parcat illi Deus, qui primo hanc stultitiam cogitavit.“ [3]

Idem sentit eius aequalis *Ioannes Pecchanus*[4], qui anno 1279 vocatus est ad sedem Episcopalem Cantuariensem (Canterbury). Consentiens declarationibus Pontificum, condemnat nihilominus omnem in causa paupertatis laxismum, praesertim magnos in aedificando sumptus et congregationem bonorum in cellariis et horreis. Contra-

---

[1] Opera omnia VIII 233 331 337 391.
[2] Ibid. 364. [3] Ibid. 333.
[4] Firm. IV 94. Spec. III 72.

dicit sententiae, quod fratres possent accipere hereditates, neque reticet aliquos fratres simplicem pecuniae usum putare licitum. Idem testatur pro Germania *David ab Augusta*[1], quin tamen propriam in hac re sententiam clare proponat. Magnam fratrum partem, quorum conscientia stimulatur propter praeceptum pecuniae, consolatur his verbis: „Sanctus vero pater Franciscus spiritu divino repletus non fratribus hoc laqueo perditionis nocere, *sed vias avaritiae* voluit per hoc aliquatenus obstruere.“ Candida confitetur sinceritate praeclarus ille asceta rigorem pristini temporis amplius non posse observari propter multitudinem fratrum et propter domus pro aegrotis et pro studentibus. Neque tamen pro his admittit proventus stabiles, quia hoc directe oppositum esset statui nostro.

Hugo de Dina absolute ei consentit in sua declaratione regulae[2] neque contradicit institutioni „nunciorum“ et „procuratorum“, memorabilis certe res, quia communiter numeratur inter Spirituales. Magis sane accedit ad eos in suo opere: „Disputatio inter zelatorem paupertatis et inimicum domesticum eius“[3], quo castigat laxos, gloriantes de absoluta sua paupertate, sed usum pauperem abhorrentes.

Tota secundum sensum Spiritualium est alia declaratio regulae eiusdem temporis, quae inscribitur: *Quaedam brevis expositio et verissima intentio regulae edita a sanctis patribus ordinis*[4]. Retinet ipsa antiquam, etiam a quattuor magistris receptam pecuniae notionem: „Pecunia est, quidquid recipitur, ut vendatur.“ Consequenter pecuniam dicit etiam frumenta, calices, arma et equos, qui in funeribus saepe fratribus donabantur, ut in eorum commodum venderentur. Notandum est hoc, quia post paucos annos in declaratione „Exiit“ haec sententia relicta est ex officio.

Omnes hae declarationes privatae in eo conveniunt, quod possessionem latifundiorum, excepto conventu et horto congruente, reiciunt, sicut etiam proventus stabiles. Statu hoc ordo etiam stetit adversus Pontificem, cum anno 1276 in Maiorica insula fundatio conventus intenderetur, cui proventus stabiles provisi erant[5].

---

[1] *Briegers* Zeitschrift für Kirchengeschichte XIX (1898) 345.
[2] Firm. IV 35. Mon. III 45. Spec. III 33.
[3] Firm. IV 105. Mon. III 201. Spec. III 130.
[4] Firm. IV 70. Mon. III 94. Spec. III 68 125.
[5] BF III 253.

§ 9. Ministri generales ab anno 1274 usque ad annum 1289. Bulla „Exiit“[1].

Hieronymus Asculanus (Ascoli Piceno) nondum redierat a Graecia, quo a Pontifice legationis causa missus erat, cum anno 1274 Lugduni eligeretur in ministrum generalem. Inter statuta huius capituli praecipue commemorari meretur id, quo *recursus ad saeculares* sub severissimis poenis interdicitur. Nemini fratrum licet recurrere ad personas non pertinentes ad ordinem, sive principes sive praelatos, ut illis intercedentibus aliquam adduceret mutationem vel pro toto ordine vel pro aliqua provincia vel pro aliquo loco fratrum. Servato hoc praecepto certe multae perturbationes ordini non accidissent. Magni momenti pro quaestione de paupertate erat declaratio edita a Pontifice die 25 Novembris anni 1274[2] rogatu ministri generalis, iuxta quam fratres ipsi, sine interventione procuratoris et Apostolicae Sedis, commutare et abalienare possunt sua mobilia. Facultas tam ampla erat periculosa, quare paucis annis post sufficienter est coercita per decretalem „Exiit“.

Capitulum generale Patavii anno 1277 congregatum severe vindicavit in violatores paupertatis, qui capsas introduxerant in suas ecclesias et collegerant pecuniam. Iam tunc fertur Hieronymus resignasse suum officium, quia, nimis occupatus in aliis negotiis, incapax esset ad bene gubernandum ordinem. Revera Pontifex multum ipso est usus ad omnis generis legationes. Anno 1278 Gregorius X eum misit in Galliam, ut ibi simul cum ministro generali Praedicatorum viam aperiret ad pacem cum Arragonia. Parisiis uterque coactus est admonere suos subditos ad colendam veterem amicitiam, quae tunc temporis stolidis videbatur perire discordiis. Iam ante suum reditum Hieronymus invitus Cardinalis est creatus, ita tamen, ut ordinis gubernacula retineret usque ad proximum capitulum generale. Anno 1288, non obstante strenua recusatione — prima vice electionem praefracte reiecerat — Pontificatum suscipere debuit primus ex ordine Minorum. Merito hic Papa, *Nicolaus IV*[3] nomine, collaudatur, quod pius fuerit, nil ad propriam utilitatem retulerit et assidue laboraverit pro conservatione Terrae Sanctae.

---

[1] *Ehrle*, ALKG II 287; III 585. AF III 355. *Tocco*, L'Eresia nel medio evo 484. *F. Glaser*, Die franziskanische Bewegung 111. *G. Garavani*, Gli Spirituali Francescani nelle Marche, Urbino 1905.

[2] BF III 222.

[3] *O. Schiff*, Studien zur Geschichte des Papstes Nikolaus IV., Berlin 1907.

Capitulum generale Assisiense, anno 1279 celebratum, praefecit ordini *Bonagratiam a S. Ioanne in Porseceto* (Giovanni in Persicheto), ante cuius electionem Nicolaus III gloriosam miserat epistolam ad ordinem [1], ex qua apparet ordinem, non obstantibus vitiis aliquibus, magna fuisse in auctoritate tam apud Pontificem quam apud ecclesiam. Inter alia haec scribit: „Dignis igitur plenis in Domino gaudiis exultamus, dum vos illius sectatores inspicimus, qui delicias terrestres aspernans asperitatis onera supportavit; ut inter electos Dei appareret praelucidus in excelsis, cuius vos Regulam profitentes exsistitis eximii testimoniorum Domini sectatores; nec indigne laetamur, quod in vobis eadem delectatur Ecclesia; et in fragrantia vestrorum operum odorem suavitatis assumit.“

Novus minister generalis, decernente probabiliter capitulo, se contulit ad curiam Romanam, quae durante tempore aestivo morabatur in loco Soriano nel Cimino. Petiit ibidem imprimis novum protectorem, quem Papa constituit in persona filii fratris sui, Matthaei Ursini (Orsini). Commendavit illi fratres suavissimis his verbis: „Damus tibi melius, quod habemus, damus tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorum nostrorum.“ [2] Gravius erat alterum negotium, pro cuius exsecutione Bonagratia adierat Pontificem, recognitio scilicet omnium declarationum regulae, quae hucusque a Pontificibus erant editae. Nicolaus III ipse fuerat diu protector ordinis et cognoverat adhuc aliquos S. Francisci socios, quare fratres, persuasi de ipsius benevolentia, sperabant fore, ut omnia iusta compleret desideria, quod et factum est. Papa enim adhibuit viros idoneos, inter quos erant Bentivenga et Hieronymus ab Asculo, ambo Cardinales ordinis Minorum, Benedictus Gaëtani protonotarius, qui fuit postea Bonifatius VIII, minister generalis quoque et aliqui fratres electi, quibuscum magnam feriarum aestivarum partem impendit in hanc recognitionem, quae publicata est die 14 Augusti anni 1279 per decretalem *Exiit qui seminat* [3]. Exordium praedicat ordinem haerentem in vestigiis Apostolorum et refutat adversarios, qui incitati invidia contra fratres pugnent praetendentes eorum regulam esse illicitam et inobservabilem. In declaratione ipsa, quae non raro accedit ad stilum S. Bonaventurae, praecipue adducenda sunt, quae ordinantur respectu paupertatis. *Abdicatio proprietatis omnium rerum* etiam „in communi“ meritoria est, quippe quam Christus docuerit, quamquam et ipse interdum receperit pecuniam, ut

---

[1] BF III 393. [2] AF III 368.

[3] C. 3. VI° V, 12. Seraphicae Legislationis textus originales 181. BF III 404.

etiam infirmorum esset exemplum. Non tamen prohibet fratribus talis abdicatio „usum moderatum secundum eorum regulam". Omnia, quae donantur fratribus, recipiuntur in proprietatem Sedis Apostolicae, nisi donans sibi ipsi dominium reservet. Haec valent pro omnibus mobilibus et immobilibus, etiam pro his, quae sibi emerunt fratres de eleemosynis. Si vero quis ordini locum aliquem solummodo ad habitandum concedit, fratres, mutata possessoris voluntate, recedant, quo casu tantum ecclesia et coemeterium remanent Sedi Apostolicae. *Usus rerum* paupertati debet congruere, excludens omnem superfluitatem et thesaurizationem, rationem nihilominus habens exigentiis personarum et locorum. Largissime tractatur *praeceptum de pecunia,* quia fratres hac de re maxime scrupulis stimulabantur et ab adversariis vehementissime impugnabantur. *Contractus mutui* penitus vetantur. Non tamen puritas regulae infringitur per nominationem *nuntiorum* vel *amicorum spiritualium,* qui a benefactoribus recipere possunt pecuniam, ut eam pro fratrum necessitatibus expendant. Proprietas autem huius pecuniae remanet penes dantem cum libera potestate eam revocandi. In administrationem ipsius fratres nihil iuris habent neque a persona nominata sive in iudicio sive extra iudicium rationem exigere possunt. Licet tamen fratribus suas necessitates ei insinuare, ut solvat, quibus opus habent. Neque maiorem pecuniae quantitatem apud nuntium deponere possunt, quam quae sufficit pro instantibus necessitatibus. *Receptio legatorum* conceditur, nisi agatur de obiectis, quorum usus fratribus interdicitur, e. g. de latifundiis. Casu vero, quo legantur haec cum tali conditione, quod vendi possint pro necessitatibus fratrum, nihil obstat eorum receptioni. Ad solvenda haec legata heredes liberales se exhibeant, quin tamen via iuris ad exsecutionem cogi possent. *Commutatio mobilium* ex delegatione Sedis Apostolicae fieri potest per ministros. Si vero res huiusmodi aestimato pretio *vendi* contingat, id fiat per *procuratores,* qui constituendi sunt per Pontificem vel eius nomine per protectorem Cardinalem. Deinde renovat ius provincialium ministrorum approbandi praedicatores et delegandi fratres fide dignos ad receptionem novitiorum. Denique ordinat, quod secundum bullam „Quo elongati" *unus* tantummodo custos cuiusque provinciae comparere possit ad capitulum generale, quodque testamentum S. Francisci vim non habeat obligantem. *Sublatis ceteris declarationibus Pontificiis* mandat, ut haec constitutio sicut ceterae decretales legatur in scholis, et vetat sub gravi poena omnem contradictionem et omnem expositionem, quae non concordat cum littera.

Decretalis haec habet *formam apologeticam,* quia scripta est imprimis contra impetus aliquorum adversariorum. Ordini ipsi *ne minimam quidem* attulit *relaxationem,* quia definivit tantummodo ordinationes iam datas, immo interdum easdem non mediocriter intendit. Nam ab Innocentio IV recursus ad pecuniam concedebatur quoque „pro commodis" fratrum, nunc vero tantummodo pro necessitatibus; procuratores non amplius nominantur a fratribus, sed a Sede Apostolica; abdicatio proprietatis ulterius non est mera fictio iuris, saltem non in casu, quo aedificia fratrum pertinent ad personas privatas, quia ad nutum possessoris domum debent relinquere. Certe concedendum est, talibus in circumstantiis impossibilia fuisse praecepta severiora his, quae continentur in hac regulae declaratione, quae abhinc semper numerata est inter leges ordinis fundamentales.

Attamen non ubique Pontifex scopum suum assecutus est. Donationes et legata pro fratribus iniuste retinebantur, quin ordo contra tales procedere posset via iuris; recursus enim ad ecclesiam vel ad procuratores, quorum officia non satis erant definita, multis in casibus non proficiebat. Igitur Martinus IV edicto „Exultantes" edito die 18 Ianuarii 1283 [1] huic incommodo per totum ordinem mederi conatus est instituendo oeconomicos vel *syndicos Apostolicos,* quod iam prius Clemens IV pro una tantummodo provincia [2] fecerat. Ministri et custodes iuxta indigentias singulorum conventuum probos constituant viros, qui nomine Sedis Apostolicae eleemosynas pecuniarias recipiant et pro fratribus expendant iuxta eorum preces. Gaudent hi oeconomici iure alienandi nomine ecclesiae bona ordini tradita, possunt contractus inire et causas fratrum gerere coram iudicio tam in spiritualibus quam in temporalibus rebus. Syndicos non convenientes superiores deponere possunt et alios loco eorum ponere. Erant igitur hi syndici nuntii simul et procuratores in sensu priori; sed in partibus nuntii non amplius erant vicarii benefactorum tantum, sed etiam Sedis Apostolicae, qua re perfecta paupertatis norma, designata in declaratione „Exiit", iterum est relicta iterumque adhibita constructio aliqua iuridica.

Capitulum generale Mediolani 1285 coactum, quo electus est *Arlottus a Prato* in ministrum generalem, accepit privilegium Martini IV, monens tamen simul cavendam esse multiplicationem certaminum iuris, quae ordini solum dedecori esse possent. Sententia Spiritualium ordinem sua sponte resignasse hoc privilegium anno 1282 in *capitulo*

---

[1] BF III 501. [2] BF III 24.

Argentorati celebrato, iam ex eo falsa apparet, quia illud tunc temporis nondum erat concessum. Propter alia tamen decreta hoc capitulum magni est momenti pro interiori ordinis evolutione, quia scilicet ibidem primum discussa sunt scripta Ioannis Olivi.

Petrus Ioannes Olivi[1] ex Occitania (Languedoc) iamdudum ordinis attentionem in se converterat propter sua scripta. Minus tamen propter suam de paupertate sententiam, quae, ut patet ex eiusdem scriptis[2], in summa non discrepat a sententia ceterorum fratrum observantium, quam propter suas sententias Ioachiticas factus est dux Spiritualium et offendiculum pro communitate. Concedendum quidem est fratribus laxis controversiam de doctrina Petri Olivi exoptatam fuisse ansam, ut possent procedere contra admonitores paupertatis sibi molestos, attamen hoc non valet de observantia moderata intra communitatem, quae ducebatur tantummodo hoc principio, quod ordo propter emolumentum proprium non posset concedere tales doctrinas. Ipsi enim sufficiebat recordari contentionum, quas excitaverant doctrinae Gherardi a San Donnino. Ideoque mandavit capitulum Argentinense, ut scripta Petri Olivi subicerentur censurae lectorum Parisiensium, qui multas propositiones ex ipsis condemnabant tamquam errores, quare lectio horum librorum totaliter est prohibita. Videtur Olivi in principio se subiecisse, mox tamen cum libellis defendentibus iterum in pugnam processit. In capitulo denique anno 1287 in Monte Pessulano (Montpellier) coacto videtur revocasse, quia novus minister generalis, *Matthaeus ab Aquasparta,* eum misit lectorem ad studium Florentinum, unde postea translatus est ad Montem Pessulanum. De cetero in hoc capitulo turbulentius est deliberatum, quin tamen huius facti pateant causae. Alii putant vocales desiderasse denuo ministrum generalem, qui non pertineret ad nationem Italam, alii autem censent Spirituales molitos esse motus contra declarationem „Exiit“ praesertim contra partem, in qua tractatur de constitutione ordinis. Ediderat tunc temporis minister provincialis Franciae, Nicolaus nomine[3], volumen, quo oppugnabatur integra declaratio tamquam abhorrens ab intentione S. Francisci, qui glossas in regulam prohibuisset. Contra hoc intervenit quidem minister generalis, quin tamen radices mali evellere posset, sicut mox patuit. Ad haec post regimen vix unius anni creatus est Cardinalis, quod certe non promovebat ordinis bonum;

---

[1] *Ehrle,* ALKG III 409. *René de Nantes:* EF XVI (1906) 472; XVII (1907) 146 283.

[2] Regulae declarationem eiusdem vide in Spec. III 106.

[3] Sbar. SS. 560.

nam crebra ministrorum generalium mutatio bonam provinciarum visitationem et administrationem ordinis fundatam super perfectam rerum et circumstantiarum cognitionem excludebat.

§ 10. Historia contentionum inter Spirituales et communitatem. 1289—1305[1].

In clarissimo capitulo Reatensi contra voluntatem Pontificis in ministrum generalem electus est *Raymundus Gaufredi* (Godefroy), ortus e Provincia Galliae (Provence), qui pertinebat ad severiorem communitatis partem, quare tam Spiritualium quam laxorum excessibus se strenue opponebat. Nihilominus Bonifatius VIII Raymundum non satis severe contra extremos zelatores processisse ratus esse videtur, quapropter eum coegit, ut a munere se abdicaret, postquam Episcopatum sibi oblatum recusavit. Ipse postea factus est assecla Spiritualium, moderatus vero semper et mentis compos. Probabiliter eo gubernante *constitutiones generales denuo sunt recognitae* in capitulo Parisiensi[2]. Non tamen desunt qui affirment hanc redactionem factam esse in capitulo anni 1296, quod *Ioannem Mincium a Murrovalle* ordini praefecit.

Tempus regiminis amborum generalium plenum erat controversiarum cum Spiritualibus, qui in dies magis discedebant in *tres plane distinctas catervas,* quarum una inveniebatur in *Marchia Anconitana,* altera in *Toscana,* tertia denique in *Provincia Galliae.* In ceteris ordinis partibus raro reperimus aliquos fratres, qui eis certe sunt adnumerandi.

Iam anno 1274 aliqui Spiritualium Marchiae a capitulo provinciali poenis sunt affecti (§ 7), quo facto pacificatae sunt res ad tempus. Mox tamen ibidem sententiae contrariae ita vehementer collidebant inter se, ut circa annum 1280 ministri quinque provinciarum insimul consilium inirent tam fratres a vinculis absolutos quam aliquos alios, inter quos erat *Petrus Clarenus de Fossabruno,* ad carcerem perpetuum condemnandi tamquam haereticos et ordinis inimicos. Haec sententia poenalis praelegenda erat in singulis conventibus, et quicumque audebat

---

[1] *Ehrle* l. c. II 127; III 614. AF III 419; II 109. *Annibali da Latera,* Manuale de' Fratri Minori, Roma 1776, 369. *Ranier-Franc. Marczic,* Apologia per l'ordine de' Frati Minori II, Lucca 1748—1750, 91; III 25. *L. Palomes,* Dei Frati Minori e delle loro denominazioni, Palermo 1897, 126. *René de Nantes:* EF XIX (1908) 610; XX 25 256.

[2] Cf. ALKG VI 1. Mon. III 236.

eam vituperare, eadem poena afficiebatur. Absque dubio talis modus procedendi aequo erat durior, quare anno 1289 Raymundus, minister generalis, captivos liberavit, mittens eos in missiones Armeniae, ubi testante rege Armenorum uberes colligebant animarum fructus. Iam vero anno 1293 reversi sunt in Italiam, praetendentes se non potuisse ibidem remanere propter persecutiones molitas a fratribus provinciae Syriae. Ast ministri provinciarum originalium recusabant eosdem iterum recipere, qua de causa recurrebant ad ministrum generalem, qui eos ad novum Pontificem Coelestinum V mittebat. Homo hic simplex externa specie deceptus concessit eis, ut secederent ab ordine, mandans, ut in pauperibus eremitoriis degentes observarent regulam S. Francisci sine ulla declaratione, et ut omisso nomine Fratrum Minorum sese vocarent *pauperes eremitas* vel *Coelestinos,* quin tamen per hoc aggregarentur congregationi Coelestinorum iam exsistenti. Proprium deinde superiorem acceperunt Petrum de Macerata, qui abhinc nomen sibi imposuit *Liberati,* similiter ac Petrus Clarenus, eius socius, qui se eodem tempore vocavit *Angelum.* Mirum non est ordinem hanc separationem putasse apostasiam; neque solum communitas, sed etiam ceteri Spirituales, e. g. Olivi, consenserunt in hanc sententiam. Epistola, quam dedit Petrus Olivi anno 1295[1] ad *Conradum ab Offida,* qui zelabatur pro eadem observantia, quin tamen participaret excessibus Spiritualium et persecutionem pateretur ex parte communitatis, testimonium est non suspectum, quo bene possumus iudicare de indole horum zelantium. Cognoscimus enim ex his litteris Spirituales appellasse Gregorium IX et Nicolaum III haereticos falsarios paupertatis propter eorum declarationes regulae, immo aliquos Innocentium III quoque numerasse inter haereticos, quia in concilio Lateranensi condemnasset doctrinam Ioachimi de Floris. Affirmabant Pontificem non posse resignare, quare Bonifatium VIII non agnoscebant Papam et iudicabant omnes asseclas eiusdem excommunicatos. Denique Olivi praedicit malas horum excessuum consequentias et commemorat sanctos fundatoris socios propter abusus in ordine non esse factos apostatas.

Haec epistola non tantummodo Liberati asseclas condemnabat, sed etiam Spirituales *Tuscos*, quorum caput, forsitan quoque auctor, fuit *Ubertinus a Casale*[2]. Hic simul cum Olivi moratus erat tam-

---

[1] *J. Jeiler:* Histor. Jahrb. der Görres-Gesellschaft III (1882) 648.

[2] *J. Huck,* Ubertin von Casale, Freiburg i. Br. 1903. *E. Knoth,* Ubertino von Casale, Marburg 1903.

quam lector in studio Florentino, ubi probaverat supervacaneas speculationes sui collegae, quin tamen simul eius moderationem respectu quaestionis de paupertate imitaretur. Post aliquod tempus ab officio praedicatoris, quo Perusiae fungebatur, propter suam mordacem criticam amotus in montem Alverniae poenae causa est translatus. Ibi conscripsit anno 1305 opus suum principale, quod inscribitur „Arbor vitae crucifixae Iesu Christi" atque redundat ideis Ioachiticis et cavillationibus contra Pontificem, ecclesiam et ordinem. Postea, anno 1307, invenimus Ubertinum a servitiis Napoleonis Ursini Cardinalis, quem Coelestinus V anno 1294 Spiritualibus Marchiae dederat protectorem.

Ast protectio huius Cardinalis solummodo tamdiu valebat, quam ecclesiam regebat Coelestinus, quo resignante mense Decembri anni 1294 electus est Bonifatius VIII, qui adlaboraverat decretali „Exiit" ideoque plene indolem harum contentionum perspexit. Igitur Liberatus, nihil boni inde suspicans, anno 1295 cum suis asseclis in Graeciam aufugit. Interim Bonifatius VIII omnes ordinationes sui praedecessoris aboleverat, quare, irrita sua exemptione, Spirituales nullibi consistere permissi sunt, immo Patriarcha Constantinopolitanus eos excommunicavit. Hac de causa iterum reversi sunt in Italiam, ubi undequaque contumeliis sunt affecti. Liberato anno 1305 in via ad curiam Pontificiam mortuo *Angelus Clarenus* [1] dux Spiritualium Marchiae est factus. Difficile est aequum de hoc viro iudicium, quia fontes ad iudicandum principales sunt scripta eiusdem, quae certe non tantam merentur fidem, quantam in praxi saltem invenerunt apud multos, qui indubitanter usi sunt iis, quae tradunt de communitate. Quae dicimus, valent imprimis de opere principali Angeli, quod vulgo vocatur *Historia septem tribulationum*, quodque habetur principalis fons historiae contentionum inter Spirituales et communitatem, etsi multis in rebus a veritate abhorreat, etiam in talibus, quarum veritas Angelo ignota esse non potuit [2]. Aliquid tamen heroici etiam in Angelo invenimus, sicut in ceteris Spiritualium ducibus. Pugnabat enim pro idea quadam religiosa, pro altissima scilicet paupertate, quam ipse mente conceperat tamquam producentem ecclesiae reformationem in sensu Ioachimi abbatis. In hac pugna pro ecclesia futura non dubitabat negare oboedientiam ecclesiae praesenti, quandocumque ei videbatur necessarium. Ita agebat non solum tempore Bonifatii VIII, sed etiam tempore Ioannis XXII. Quid

---

[1] *Ehrle,* ALKG I 517. [2] E. g. ALKG II 139.

tempore inter Pontificatum utriusque interiecto egerit, vix scimus: morabatur prope Romam usque ad annum 1311, quo Avenionem se contulit ad protectorem suum Iacobum Columnam (Colonna) Cardinalem. Interea Spirituales Marchiae vivebant quieti in eremitoriis Italiae mediae et meridionalis.

Molestiores erant ordini tunc temporis Spirituales *Provinciae Galliae,* qui secundum conventum eorum principalem vocantur etiam *Fratres Narbonnenses.* Originem duxisse dicuntur ab Hugone de Dina, qui utique adhaerebat ideis Ioachiticis; certum saltem est eos iamdudum exstitisse. Roborati et aucti sunt per scripta apocalyptica Petri Olivi, quem honorabant tamquam suum ducem, quamquam in modo observandi paupertatem consentiret cum observantia moderata. Hoc insimul cum aliis huius pugnae factis confirmat coniecturam paupertatem perfectam in se spectatam non fuisse Spiritualium principale intentum, sed *systema Ioachimismi,* cuius pars erat altissimae paupertatis observantia. Secus enim intelligi non potest admiratio Spiritualium pro Ioanne a Parma et Petro Olivi neque aversio eorum a meliori communitatis parte, quae in puncto paupertatis quidem eodem modo agebat sicut hi duo viri, sed Ioachimismo severe resistebat. Huc pertinet non solum S. Bonaventura, sed etiam omnes eiusdem successores, praesertim Ioannes a Murrovalle et *Gonsalvus a Valboa,* quibus Spirituales contra propriam persuasionem obiciebant laxismum. Ioannes a Murrovalle anno 1302 epistolam dederat encyclicam [1] ad totum ordinem, in qua severe invehit in violatores paupertatis, prohibet sub poena excommunicationis, ne conventus latifundia, reditus annuos et proventus stabiles accipiant neve certamina iuris de rebus saecularibus suscipiantur a fratribus. Hoc praeceptum simul cum poena renovatum est ab eius successore Gonsalvo [2] et a capitulo Patavino anni 1310 [3] adhuc est intentum, quippe quod „usum pauperem“ praecipiens omnes conventus, qui hunc non observarent, voce activa et passiva in capitulis privaret. Patet ex his ordinem qua talem, praesertim ministros et capitula, abusus exsistentes non neglexisse, sed oppugnasse, in quantum esset possibile. Hoc novum est argumentum, quod ultimum discordiae fundamentum non erat paupertatis observantia, sed resistentia communitatis contra ideas Ioachiticas.

Lites inter fratres Provinciae (Provence) denuo exarserunt circa annum 1290, idque relate ad *usum pauperem*, qui a principio etiam

---

[1] AF II 109. [2] AF II 117. Cf. *Benoffi* 115. [3] ALKG VI 69.

a communitate putabatur debitus, quique a Nicolao III praecipiebatur pro iis rebus, quae expresse in regula continentur. Laxi quidem eo tempore doctrinas publicaverant, secundum quas tota paupertatis obligatio consisteret in theoretica abdicatione proprietatis, quin exigeretur usus pauper. Ita saltem contendit Ubertinus a Casale, qui tamen studio partium ita erat obcaecatus, ut non simpliciter mereatur fidem. Hucusque saltem *unus* solummodo notus est, *Petrus Aureolus*[1], qui essentiam paupertatis ponit in abdicatione proprietatis, negans obligationem ad „usum pauperem“ *ratione voti*. Nihilominus docet Minoritas obligatos esse ad usum pauperem, ubicumque regula eundem praeciperet, quia non solum obligati essent ad observationem voti, sed etiam ad observationem regulae. Talem doctrinam opinionibus erroneis ansam praebuisse mirum non est. De cetero concedi potest partem communitatis laxam secutam esse doctrinas illudentes verae paupertati; ast Spirituales „usum pauperem“ extendebant ad omnia, ideoque exigebant plus, quam Nicolaus III praeceperat, repudiantes eius declarationem regulae similiter ac declarationes ceterorum Pontificum. Igitur Nicolaus IV mandavit, ut procederetur contra perturbatores pacis. Summam inquisitionum detulit minister generalis ad capitulum Parisiense anni 1292, cui Olivi suam propriam sententiam proponebat congruentem in omnibus cum decretali „Exiit“. Complures tamen asseclas eius poenis afficere coactus est Raymundus Gaufredi, quamquam Spiritualibus favebat.

Ultimos vitae suae annos degebat Olivi quietus in conventu probabiliter Narbonnensi, in quo mortuus est die 14 Martii anni 1298. Paulo ante mortem denuo exposuit suam de paupertate ordinis sententiam[2], cui assentiri poterant sincera quaeque communitatis membra. Simul quoque protestatus est se paratum esse ad accipienda omnia ecclesiae dogmata et ad agnoscendum Pontificem tunc regnantem, Bonifatium VIII. Statim ac mortuus erat, honorari coepit ut sanctus, usque ad impiam excisionem sui sepulchri factam anno 1318. Continuabatur post eius obitum controversia de ipsius scriptis. Capitulum generale Lugdunense anni 1298 praecepit, ut colligerentur et comburerentur, minans fratribus inoboedientibus excommunicationem. Praeterea fratribus Provinciae Galliae complures proponebantur propositiones, quas eiurare tenebantur, cumque multi non obsecundarent, severae contra eos poenae sunt latae. Persecutio eorum duravit fere usque ad Pontificatum Clementis V.

---

[1] Firm. IV 116. Spec. III 127. [2] W V 378.

§ 11. Contentionum inter Spirituales et communitatem continuatio sub Clemente V. 1305—1314. Decretalis „Exivi“[1].

Sub Clemente V conditio Spiritualium in Francia meridionali melior facta est, saltem ad tempus, usquedum ipse quoque rerum veritate perspecta propriam huius actionis indolem cognosceret. In medio relinquatur, utrum eos in principio sit tutatus, quia erant eius populares, an, quia erant adversarii Bonifatii VIII; certum saltem est positionen difficilem huius Pontificis respectu regis Galliae hoc facto esse levatam, quod etiam dicendum est de eiusdem positione relate ad partem Cardinalium, qui postulabant processum contra Bonifatium VIII. Auctor vero proxima prospiciendi fortiter causae Spiritualium facta est epistola a Carolo II, rege Neapolitano, tempore verno anni 1309 missa ad Gonsalvum ministrum generalem, qua postulavit, ut finirentur persecutiones Spiritualium in Provincia, alioquin causam deferret ad Pontificem. Huius epistolae auctor erat Arnoldus a Villanova, medicus regis, qui multum valebat apud Pontificem, cuiusque studia in multis concordabant cum Spiritualismo, quare post mortem Clementis V eius scripta partim sunt condemnata[2].

Minister generalis epistolam regis mox communicavit Pontifici. Interea communitas libellum dederat contra doctrinas Petri Olivi, ut totum hoc negotium decideretur in proximo concilio Viennensi. Clemens V aliquibus Cardinalibus et theologis non pertinentibus ad ordinem inquisitionem in hanc causam commisit, simul convocans capita Spiritualium Provinciae ad curiam. Praestantissimus et moderatissimus eorum erat Raymundus Gaufredi, qui fuerat antea minister generalis, cuius agendi ratio difficilis est intellectu, nisi supponantur etiam in eo ideae Ioachiticae. Longe vehementius et arrogantius agebat Ubertinus, qui, quamquam non pertinebat ad Provinciam, tamen erat vocatus. Inter communitatis advocatos praestabant praeter aliquos ministros provinciales: Gonsalvus, minister generalis, eiusque successor Alexander ab Alexandria, praesertim vero *Raymundus de Fronsac,* procuratur ordinis, et *Bonagratia* (Buoncortese) *a Bergamo,* similis Ubertino vehementia animi, qui erat constitutus defensor communitatis. Acta, quae collegit procurator de controversia inter communitatem et Spirituales, fons sunt maximi momenti pro hac

---

[1] *Ehrle,* ALKG II 135 353; III 1; IV 25. AF III 454; II 114. *Marczic,* Apologia per l'ordine de' Frati Minori II 125. *H. Finke,* Acta Aragonensia I, Berol. 1908, 661.

[2] ALKG II 360.

epocha historiae ordinis; certe magis sunt fide digna et obiectiva quam scripta Angeli et Ubertini. Comperimus ex hoc „codice diplomatico“ magnam libellorum multitudinem editam esse intra annos 1310—1312, qui tractabant has *quattuor a commissione propositas quaestiones:* 1. de relatione ordinis ad sectam spiritus liberi; 2. de condemnatione Petri Olivi; 3. de paupertate et disciplina ordinis in communi; 4. de persecutionibus Spiritualium ex parte communitatis.

Respectu primae quaestionis partes sibi nihil magni momenti exprobrasse videntur. Secundam quoque et quartam quaestionem Spirituales obiter tantummodo tangunt, praedicantes solum in scriptis Olivi non esse contentos errores, quare eorum condemnatio ex parte ordinis fuisset iniusta, sicut et poena pro asseclis eiusdem durior aequo. Larga tamen diligentia versantur Spiritualium libelli in tertia quaestione de paupertate et disciplina ordinis in communi. Notanda est hic imprimis sincera Raymundi Gaufredi confessio regulam et declarationem Nicolai III quoad essentialia in ordine observari. Immo Ubertinus ipse concedere debet in ordine saltem quoad mores severam vigere disciplinam: unica, ait, res, quae ordini est honori. De cetero communitatem accusat numerosarum, saepe minutissimarum regulae transgressionum, quae partim negabantur tamquam veritati non consentaneae, partim vero concedebantur cum appositione ordinem easdem semper punivisse et puniturum esse. Aperte dein Ubertinus impugnat declarationes regulae a Pontificibus editas, quia ordinem perdant, postulatque, ut agnoscatur obligatio testamenti et observetur regula ad litteram simul cum omnibus consiliis evangelicis, quae Christus docuerit. Sed quia haec attingi non possint intra communitatem, erigendos esse conventus reformatos et provincias reformatas; aliter enim contentiones nunquam esse cessuras.

Ad haec communitatis advocati bene responderunt similia exigere idem esse ac schisma introducere in ordinem, cuius officium esset observare regulam iuxta declarationes Pontificias, quibus desertis omnia pristina dubia excitarentur pristinaeque contentiones, ut praetermitteretur, quod practice esset impossibile. „Usum pauperem“ existimari in communitate officium, ubicumque regula eum praeciperet, de cetero omnem superfluitatem esse vetitam. Hoc sufficere, quia maior in hac re severitas produceret tantummodo scrupulos et conscientiam perplexam. Ubertinum tribuendo toti ordini vitia singulorum iniuste agere, quia demonstrandum esset ordinem comperisse tales excessus, quin eos puniret. Ceterum Ubertinum bene hanc rem novisse experientia propria, quia propter delicta carnalia ad

carcerem esset condemnatus, idque a suo aequali Raymundo Gaufredi. Eum potuisse adhuc plura scire de disciplina ordinis, si participatus esset vita communi ceterorum fratrum neque semper in aulis magnatorum moratus esset equitando, sicut ultimis his diebus Viennae. Relate ad quartam quaestionem de persecutione Spiritualium notat communitas verum esse, quod ordo procederet contra illos, qui monstruosas, a communi usu abhorrentes, laceras portarent vestes, qui non oboedirent, supervacaneas narrarent visiones, frequentarent domus Beghinarum et proferrent doctrinas haereticas vel saltem periculosas. Raymundum Gaufredi ipsum haec sire, quippe qui in officio ministri generalis constitutus tales fratres punire coactus esset. De cetero nominarent unicum tantummodo fratrem, qui iniuste esset punitus. Sed quandocumque ordo in ipsos vindicare coactus esset, Spirituales subito clamare se persecutionem pati propter regulae observantiam, quod verum non esset, quia de facto ipsi essent haeretici, qui sub tegumento paupertatis ineptiis suis indulgerent. Maximam vim tribuit communitas huic haeresis crimini, iterum atque iterum affirmando doctrinas Petri Olivi condemnatione esse dignas.

Quantum libelli partium commoverint commissionem et Pontificem, qui adhuc Spiritualibus favebat, quantumque commoverint concilium ipsum, optime patet ex ambobus decretis, quae litem ad interim finierunt. In tertia et ultima sessione concilii Viennensis die 6 Maii anni 1312 publicavit Clemens V decretum dogmaticum *Fidei catholicae fundamento*[1], quo condemnantur aliqui errores speculativi Petri Olivi, quin tamen nomen publicetur auctoris. Eodem die edita est constitutio *Exivi de paradiso*[2], quae tractat de disciplina ordinis. Ipsa non est declaratio totius regulae, sicut decretalis „Exiit", quam relinquit in suo vigore simul cum ordinationibus Martini IV, inculcans tantummodo praecepta iam exsistentia. In summa nihil aliud est quam *imago reflexa contentionum, quae intra ordinem immediate praecesserant.* Repetendo abusus, quos Ubertinus crimini dederat ordini, dicit eosdem a communitate, praesertim a superioribus, vel negari vel secundum antiquas constitutiones puniri. De cetero nihil praecipit novi, quando dicit fratribus non licere habere clavem ad capsam, in qua pecunia deposita asservetur, eos esse inhabiles ad accipiendas hereditates et ad possidendos proventus annuos, vineas et latifundia; non eis licere suscipere controversias iuris de rebus

---

[1] C. unic. Clem. I 1. BF V 86.

[2] C. i. Clem. V 11. Seraphicae Legislationis textus orig. 229. BF V 80.

temporalibus et fieri exsecutores testamentorum. Conceduntur eis horti ad honestam recreationem et ad cultum olerum necessariorum, quae tamen vendi non possent. Cellaria et horrea non putantur secundum intentiones S. Francisci, conceduntur tamen casu necessitatis, quando, ex iam expertis, multum est credibile fratres non posse vitae necessaria aliter invenire, de quo iudicare debent superiores cum fratribus discretis. Inculcatur denuo obligatio „usus pauperis“, ubicumque a regula praecipitur; ceteris in rebus permittitur „usus moderatus“.

Specifica proprietas decretalis „Exivi“ est *tractatio casuistica praeceptorum regulae* seu exacta definitio mensurae obligationis eorundem, cuius rei causa erant fratres extremi ad dexteram et ad sinistram, qui vel regulam leviter negligebant vel affirmabant eandem totam quantam obligare sub gravi. Hucusque ordo satis habuerat supponere in communi aliquam obligationem in conscientia, ubicumque regula adhibebat verba praecipientia vel aequipollentia praeceptis (Tenentur), quin tamen in casu transgressionis disceptaretur, utrum obligarent sub gravi an sub levi. Ita Bonaventura[1], ita decretalis „Exiit“, secundum quam fratres obligantur „solum ad illa consilia, quae in eadem Regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa“. Quia vero his Nicolai III verbis non omnia dubia erant sublata, Clemens V ad serenandas fratrum conscientias maiorem vult claritatem praebere, declarans primus omnium S. Franciscum intendisse obligare sub gravi, ubicumque utitur verbis praecipientibus vel aequipollentibus praeceptis. His expositis duodecim adducit puncta regulae, quae secundum ea, quae continent, annumeranda sunt praeceptis aequipollentibus, rationem huius reddens his verbis: „Attendentes, quod in his, quae animae salutem respiciunt, ad vitandos gravantes remorsus consulte pars securior est tenenda.“

Effectum decretalis „Exivi“, quae ex eo tempore simul cum regula et decretali „Exiit“ habebatur lex fundamentalis ordinis, optime possumus cognoscere ex declaratione regulae, quam minister generalis eodem anno vel saltem non multo post conscripsit[2]. Hoc in opere ipse discindit regulam in 27 praecepta sub gravi obligantia, in 12 exhortationes ad bonum, in 6 dissuasiones a malo, in 6 libertates et in 12 conditiones pro receptione ad ordinem. Vix credendum est

[1] Opera omnia VIII 436. Cf. Speculum Fratrum Minorum, Barchinone 1523, fol. 2.

[2] Firm. IV 73. Spec. III 71.

hunc modum tractandi regulam convenire cum intentionibus S. Francisci. Ast agitationes Spiritualium eousque perduxerant, ut ordo putaret se non posse propulsare impetus laxorum et zelatorum, nisi capita regulae maxime notabilia declararet obligantia sub gravi, deprimendo eiusdem spiritum ad conditionem purarum admonitionum. *De cetero putandum non est novam regulae declarationem continere victoriam Spiritualismi;* de facto enim succubuerant communitati, sicut etiam respectu scriptorum Petri Olivi. Vicerat enim sententia communitatis de „usu paupere“ et de obligatione regulae in communi, cum econtra Spirituales nihil aliud adepti sint quam renovationem praeceptorum iam diu exsistentium, quorum obligationem communitas semper agnoverat. Ceterum Spirituales non quaesierant novam declarationem regulae, sed abolitionem declarationum iam exsistentium, observationem totius regulae ad litteram, separationem a communitate et erectionem conventuum reformatorum.

Quae cum ita sint, ludibrio simile videtur, quod Angelus Clarenus novam regulae declarationem appellat „aquilam volantem“ inter expositiones, quae intentiones sancti fundatoris proxime attingit[1]. Mox tamen manifestatum est, quomodo Spirituales revera cogitarent. *Pars Tusca* prima videtur consequenter ad suam indolem egisse. Praetendentes se velle fugere persecutiones ex parte communitatis, elegerunt sibi proprium ministrum generalem et alios superiores, expulerunt adiuvantibus amicis saecularibus fratres de communitate ex quibusdam conventibus, et defenderunt se ibidem armis. Pars eorum degebat in domibus saecularium, ceteri vero aufugerunt in Siciliam. His auditis Papa litteras dedit ad Episcopos illius regionis, hortando, ut apostatas reducerent ad oboedientiam, cumque non obstantibus his Spirituales adhuc subiectionem recusarent, punivit ipsos anno 1314 excommunicatione et conventus eorum interdicto.

Simili modo agebant *Spirituales Provinciae,* qui paulo post publicationem decretalis „Exivi“ secesserunt a communitate, viventes cum propriis vestibus et usibus congregati in aliquibus locis suae provinciae. Pontifex videtur eos in principio tolerasse, quia quosdam superiores Provinciae severius in partium studiosos vindicantes ab officio deposuit, relegans simul Bonagratiam a Bergamo in conventum longinquum, quia vehementius contra eosdem agebat in curia. Quidquid hoc sit, certum est apostatas non redisse, etiamsi Papa id optavit et denique anno 1313 imperavit, postquam constituit nu-

[1] ALKG II 139.

merum novorum superiorum, quibus mandaverat, ut mansuete fratres zelantes tractarent. Etiam Ubertinus neglecta voluntate Pontificis non redisse videtur.

Interea ordo ipse anno 1313 celebravit capitulum Barcinonae, ubi loco defuncti Gonsalvi frater *Alexander ab Alexandria* (Alessandria) minister generalis est electus. Papa ipse honorificas dederat litteras[1] ad capitulum, monens novum ministrum, ut paterne ageret cum ducibus Spiritualium eorumque asseclis et assumeret eos etiam ad ordinis dignitates, si essent habiles. Alexander obsecundans mandato Pontificis tres Spiritualibus assignavit conventus, Narbonnensem scilicet, Biterranum (Béziers) et Carcassonnensem (Carcassonne), ubi segregati a suis adversariis quiete possent vivere. Attamen neque haec pax diu stetit. Mortuis enim anno 1314 Pontifice et ministro generali sedisvacantia supra modum longa accidit.

§ 12. Spiritualium ruina. 1314—1318[2].

Cardinalium discordia factum est, ut ecclesia viduata maneret pastore usque ad annum 1316. Cumque in ordine post obitum ministri generalis capitulum secundum constitutiones tunc vigentes celebrari non posset usque ad annum 1316, vicarius vero a Pontifice nominandus esset, accidit, ut ordo quoque careret capite usque ad capitulum generale anno 1316 Neapoli congregatum, in quo electus est *Michael Fuschi a Cesena*[3]. Committebatur in hoc capitulo recognitio constitutionum generalium electis quibusdam fratribus, qui mox Assisii convenerunt mutantes aliqua in ipsis. Paucis mensibus post minister generalis encyclicam dedit ad ordinem, in qua hortatur ad uniformitatem vestium et severiorem paupertatis observantiam, mitigans simul abstinentiam ab ordine libere receptam in tantum, ut carnes manducari possent ad prandium. Monitum vitandae monstruositatis in vestibus causatum erat per temeritatem Spiritualium, qui tempore sedisvacantiae multis in rebus arbitrarie egerant.

Spirituales Provinciae — si dubiis eorum narrationibus credere licet — lacessiti erant eo, quod superiores a Clemente V depositi iterum acceperant munera et dignitates, etiam in conventibus ab

---

[1] BF V 93.

[2] *Ehrle,* ALKG II 149; IV 1. AF II 122. W VI 220. BF V passim. *Thad. Dormicius* (= Ant. Hiquey), Nitela Franciscanae Religionis, Lugduni 1627, 74.

[3] *E. Gudenatz,* Michael von Caesena, Breslau 1876.

Alexandro de Alexandria Spiritualibus tantum reservatis. Igitur fratribus de communitate auxilio civium e conventu Narbonnensi et Biterrano (Béziers) expulsis, proprios restituerunt superiores, simul inducentes peculiarem vestiendi modum, quod omnes facere consueverunt, qui in decursu temporum schisma aliquod introduxerunt in ordinem. His peractis socii eorum in Provincia dispersi ad utrumque conventum festinabant, ut numerus eorum mox augeretur ad 120. Superioribus legitimis monentibus, ut redirent ad oboedientiam, non obsecundantes, puniti sunt excommunicatione et conventus eorum interdicto. Novus minister generalis viam insistens clementiae, plenam eis obtulit indulgentiam, si resipiscerent. At illi protestantes et appellantes futurum Pontificem remanserunt in sua pertinacia, quare communitas suas accusationes statim ad Ioannem XXII denique electum detulit.

Hic principes Spiritualium, Angelum quoque et Ubertinum, ad se convocavit, mandans simul persecutionem apostatarum in Sicilia et reditum fratrum rebellium in Provincia ad oboedientiam. Exierat edictum hoc a commissione Cardinalium, quare inefficax remansit. Igitur Ioannes XXII mense Aprili 1317 e conventu Narbonnensi et Biterrano 62 fratres nominatim citavit, quibus duo sponte adiuncti sunt, in quibus fuit famosus ille *Bernardus Dulcinus*[1] (Délicieux, Dulcino). Circa festum Pentecostes anni 1317 hi 64 fratres vespere Avenionem ingressi, recta via ad palatium Pontificis profecti sunt, ubi pernoctabant, praestolantes audientiam. Eventus eiusdem pro Spiritualibus erat iniquus: sex enim duces eorum statim sunt incarcerati, ceteri vero conventui Avenionensi traditi in custodiam, usquedum Papa ampliora decerneret.

Interim Angelus a Pontifice ante consistorium est citatus statimque declaratus excommunicatus ex sententiis Bonifatii VIII et Patriarchae Constantinopolitani, a quibus nondum erat absolutus. In domo cuiusdam Cardinalis captivus *epistolam* scripsit *excusatoriam*[2], in qua non quidem negat se excommunicatum esse, attamen hanc censuram invalidam esse contendit, quia fundata esset in mendaciis confratrum; se enim suosque asseclas tantummodo propter fidelem regulae observantiam pati persecutiones. Utrum haec epistola Pontificem commoverit, nescimus; videtur tamen Angelus iterum esse

---

[1] BF V 171 180. Ad haec confer, quomodo describat eum Angelus: ALKG II 145.

[2] ALKG I 521.

liberatus. Sperabat enim Ioannes XXII fore, ut per novam regulae declarationem totas probe finiret contentiones.

Magis quam Angelo fortuna favebat Ubertino, qui ex anno 1313 contra mandatum Pontificis morabatur probabiliter Avenione apud Iacobum Columnam (Colonna) Cardinalem. Cum enim communitas eum accusaret, concessit ei Ioannes XXII die 1 Octobris 1317, ut solutis omnibus obligationibus versus ordinem Minoritarum transiret ad Benedictinos. Ignotum tamen est, utrum revera ad ipsos transierit; fieri enim potuit, ut Benedictini eum non receperint, bene intelligentes se de eo nihil boni posse sperare. Quandocumque saltem nobis postea occurrit, sub nomine ex-Minoritae apparet, nunquam sub nomine ex-Benedictini.

His peractis Pontifex edidit die 7 Octobris anni 1317 constitutionem *Quorundam exigit*[1], in qua, laudatis declarationibus regulae Nicolai III et Clementis V, ordinat, ut superiores soli, postquam cum aliquibus probatis religiosis deliberaverint, decernere possint de qualitate vestium et de necessitate granariorum et cellariorum, cui iudicio omnes fratres sine contradictione oboedire teneantur. „Religio namque perimitur, si a meritoria subditi oboedientia subtrahantur.“ Spirituales igitur suas artas, breves et monstruosas vestes deponere teneri, superiores vero communitatis eos benigne tractare, ut unitas in ordine plene restituatur.

His actio Spiritualismi de iure erat suppressa. Neque omisit Ioannes XXII urgere exsecutionem suae legis. Maior pars Spiritualium Provinciae se subiecit et poenam luebat secundum constitutiones ordinis; 25 resistentes traditi sunt inquisitori, cui contigit, ut adhuc 20 reduceret ad oboedientiam. Ceteri vero quinque relicti sunt brachio saeculari, quorum quattuor die 7 Maii anni 1318 Marsiliae (Marseille) rogum ascendere coacti sunt, quintus autem minus pertinax condemnatus est „ad immurandum“.

Angelus Clarenus perfida agendi ratione reditum ad oboedientiam evitavit. Cum enim hucusque semper regulam et testamentum praedicasset tamquam suam suorumque asseclarum normam vitae et semper professus esset se esse verum Fratrem Minorem, nunc mandanti Pontifici, ut ordinem iam approbatum ingrederetur, respondit se pertinere iam ad quendam eorum, ad *ordinem* scilicet *Coelestinorum.* Cumque Papa instaret, ut reciperet quoque habitum illius religionis viveretque secundum eius regulam, promisit Angelus utrumque, quin

[1] C. 1 Extr. Ioann. XXII, 14. BC V 128.

tamen postea impleret. Die 30 Decembris 1317 Ioannes XXII per constitutionem *Sancta Romana*[1] ius exsistentiae subtraxit illis, qui se vocabant Fraticellos, Fratres de paupere vita, Bizocchos vel Beghinos. Paucis hebdomadibus post mandavit per constitutionem *Gloriosam ecclesiam*[2], ut severius procederetur contra illos Spirituales, qui fugerant in Siciliam ibique *Henricum de Ceva* apostatam ab ordine ministrum generalem elegerant. Constituerant ipsi proprium ordinem cum ministris provincialibus et guardianis et fundaverant ubique, etiam Romae, proprios conventus. His adhuc probabiliter anno 1318 Angelus Clarenus se aggregavit tamquam minister generalis. Ipsi diu inquisitioni erant molesti, quia multos fovebant haereticos neque liberos se custodierunt ab usibus inhonestis. Angelus ipse, ut evaderet persecutiones, delituit, suos asseclas litteris gubernans usque ad mortem, quae accidit die 15 Iulii 1337. Idem ipse videtur fuisse, qui *Philippum a Maiorica,* fratrem Sanciae, reginae Siciliae, instigavit, ut adiret Ioannem XXII pro fundatione novi ordinis, qui regulam et testamentum S. Francisci observaret ad litteram sine declarationibus Pontificum. Hic tamen petenti non annuit, sicut nec postea Benedictus XII, ostentans petentis manifestam haeresim[3].

Sordidis elementis paulatim decussis haec residua Spiritualium saeculo XV sub nomine *Clarenorum* exstiterunt congregatio proprii iuris (§ 26). Peiora quoque eiusdem membra adhuc inveniuntur durante saeculo XV sub nomine *Fraticellorum,* qui tamen nullam habebant relationem ad ordinem S. Francisci, nisi quod originem duxerant a Spiritualibus et interdum recipiebant apostatas ab ordine Minoritarum, sicut a ceteris quoque ordinibus. De cetero conceptus Fraticellorum minime certe est definitus, quia in decursu saeculorum diversissimis imponebatur societatibus, quae communiter ambiguae erant indolis[4].

§ 13. Ordinis discrimen sub Ioanne XXII. 1321—1324[5].

Spiritualium ruina certe bene accidit ordini ipsi, quippe qui, si illi vicissent, praemature periturus fuisset, partim propter eorum fanaticum

---

[1] BF V 134. [2] BF V 137. [3] BF V 490; VI 76.

[4] Cf. *Ehrle,* ALKG IV 64.

[5] BF V passim. *Raynaldus,* Annales Eccles. ad an. 1322—1323. *Nicolaus Minorita,* Chronicon de gestis contra Fraticellos: *Baluze-Mansi,* Miscell. III 206. Ad haec: *K. Müller:* Briegers Zeitschr. für Kirchengeschichte VI (1883) 63. *K. Eubel:* Histor. Jahrb. der Görres-Ges. XVIII (1897) 375; XX (1899) 767.

furorem, partim propter intrinsecam impossibilitatem modi, quo regulam percipiebant, in quantum scilicet hic modus perceptionis non tantummodo studia haeretica et ambitiosa occultabat. Exceptis enim paucis illis Spiritualibus, quibus, ut beato Conrado de Offida, sanctitatem vitae et sincerum desiderium imitandi in omnibus primos S. Francisci discipulos denegare non possumus, parum apparet in tota actione de spiritu sancti fundatoris, quem hodiedum mundus admiratur. Omissis enim ceteris paene omnibus S. Francisci virtutibus existimabant eum fuisse tantummodo hominem similem sibi amore paupertatis fanaticum. Praesertim negligebat maioritas Spiritualium finem, quem intenderat ille Sanctus fundando ordinem, conversionem videlicet orbis terrarum verbo et exemplo. Rationabilius hac in re sine dubio fratres de communitate cogitabant, qui omni modo largam volebant explicare industriam in bonum ecclesiae et saeculi, quod et revera fecerunt testantibus amicis et inimicis. Sed ut hunc assequerentur scopum, necessariam duxerunt evolutionem ordinis naturae ipsius correspondentem, qua sola efficacitas ordinis in tuto ponebatur. Ecclesia concessit fratribus residentias cum omnibus necessariis utensilibus, suscipiendo tamen proprietatem earum in se ipsam, deditque ordini necessariam facultatem negotiorum gerendorum, instituendo procuratores et syndicos. Grate accepit ordo hanc quaestionis solutionem, in qua pari modo animadversa videbatur efficacitas ordinis et principium paupertatis, abdicatio scilicet proprietatis. Hanc abdicationem valde esse praedicatam mirum non est, quia fuit differentia specifica Minoritarum a ceteris ordinibus.

Praedicatorum quidem *ordo,* sancto suo fundatore adhuc vivente, etiam abdicaverat proprietatem in communi, ast propter difficultates cum tali professione coniunctas mox possessiones iterum recepit. Cum praxi simul mutatus est theoreticus rem percipiendi modus, quod patet ex S. Thoma, qui primo defenderat propositionem: „Non possidere proprietatem in communi perfectior atque securior res est, quam contrarium“; postea vero docebat: „Non ille ordo perfectior est, qui maiorem observat paupertatem, sed ille, cuius paupertas magis convenit cum ordinis fine.“ [1] Eo tamen magis insistebant Minoritae in hoc, quod regula S. Francisci, quae excluderet omnem proprietatem, includeret eo ipso summam perfectionem religiosam, quippe quam Christus Dominus ipse et Apostoli observassent et docuissent, qua in re Spirituales simul et communitas absolute con-

[1] ALKG III 518.

sentiebant. Extra ordinem tamen haec sententia multum est impugnata, quamquam Nicolaus III in decretali „Exiit" indubitanter ei adhaeserat. Immo Papa ipse Ioannes XXII rem modo longe diverso considerabat ac Nicolaus III. Contrarius enim erat sententiae paupertatem Minoriticam esse summam perfectionis normam et veram effigiem vitae Christi et Apostolorum. Nihilominus Ioannes non solum non processit contra *Alvarum Pelagium,* studiorum Spiritualisticorum accusatum, sed eum Episcopum quoque constituerit, cum in volumine suo „De planctu ecclesiae" suprematum Pontificis etiam in rebus temporalibus acerrime defendisset[1].

Infelix igitur haec controversia exorsa est anno 1321, cum *Ioannes de Belna,* inquisitor, addubitaret sententiam Christum et Apostolos non habuisse proprietatem, neque in communi neque in speciali. Appellatione interposita causa delata est ad Pontificem et ante consistorium, in quo pars Cardinalium suffragata est veritati, pars vero falsitati huius sententiae. Ut quaestio haec liberae pateret discussioni, Ioannes per constitutionem *Quia nonnunquam,* editam die 26 Martii 1322[2], abstulit poenas obstantes ex decretali „Exiit". Deinde multas doctorum auctoritates exegit, etiam ab Ubertino, qui declarabat Christum et Apostolos tamquam personas quidem privatas repudiasse proprietatem, sed tamquam praelatos ecclesiae, ut occurrerent necessitatibus, usos esse peculio. Alii quoque theologi magis minusve implicatas declarationes ediderunt, in quibus facto paupertatis Christi et Apostolorum, in Scriptura aperte contento, servato, ius ad rerum possessionem et usum ipsis vindicare volebant.

Interim ordo ipse in *capitulo generali Perusino* anno 1322 quaestionem, quae ipsum a fundamentis commovebat, recensuerat. Litteris capitulum Pontifici supplicavit, ne novam contra ordinem bullam ederet, quippe quae maximas perturbationes esset excitatura. Simul preces pro Pontifice sunt ordinatae. Dolendum est, quod his capitulum non fuit contentum. Duobus enim in documentis, quae destinata erant ad totum orbem catholicum, declaravit unanimiter sanam et catholicam esse doctrinam credere, Christum et Apostolos nihil possedisse. Ad haec demonstranda expresse citatur decretalis „Exiit" simul cum laudibus, quibus Ioannes ipse in sua constitutione „Quorundam exigit" hanc decretalem extulerat tamquam „salubriter editam, solidam, lucidam, multaque maturitate digestam".

---

[1] W VII 99. [2] C. 2 Extr. Ioann. XXII, 14.

Ad haec Papa, de appellatione capituli summopere indignatus, in constitutione *Ad conditorem*[1] edita die 8 Decembris anni 1322, postquam edicta Gregorii IX et Nicolai III recensuit, haec respondit: „Quamquam a praedecessore nostro pia consideratione haec fuerint ordinata, ipsa tamen hactenus profuisse dictis fratribus non percepimus, sed potius ipsis et aliis multipliciter obfuisse. Ipsis quidem prodesse ad statum perfectionis nequaquam potuit reservatio supradicta. Cum enim perfectio vitae christianae principaliter et essentialiter in charitate consistat, quae ab apostolo vinculum perfectionis dicitur et quae unit seu iungit aliqualiter hominem suo fini, ad quem per contemptum bonorum temporalium et ipsorum expropriationem via disponitur per hoc praecipue, quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conservando et administrando exigunt et quae plerumque ab actu charitatis retrahit, amputatur: restat, quod, si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quae ante ipsam inerat, perseveret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio nil conferret. Constat autem, quod fratres dicti ordinis post factam retentionem dicti dominii non minus, sed satis amplius quam ante ipsam in acquirendis bonis ipsis ac conservandis tam in iudicio quam extra fuerunt solliciti, quam sint religiosi alii Mendicantes solliciti, habentes aliqua in communi, prout haec nota magistra rerum experientia cunctis recte considerantibus evidentius manifestat. Quod retentio dominii supradicta fratribus ipsis obfuerit, patet ex subsequentibus evidenter. Occasione siquidem retentionis eiusdem fratres ipsi de paupertate altissima coeperunt inaniter gloriari, quam sibi prae cunctis aliis Mendicantibus ex eo praecipue vendicant imprudenter, quod in his, quae obtinent, nihil ad se proprietatis vel dominii, sed solum nudum usum facti asserunt pertinere. Profecto si rem plus quam verba vellent attendere et veritati acquiescere, ut deberent, attento ipsorum utendi modo et ecclesiae Romanae patientia circa illum, totum contrarium affirmarent, videlicet non relictum eis usum, sed retentum ecclesiae Romanae ecclesiae dominium esse nudum. Quis enim nudum usuarium poterit dicere, cui rem usuariam licet vendere, permutare ac donare? . . . quae quidem de rebus nonnullis mobilibus fratres ipsi faciunt, asserentes sibi per ordinationem huiusmodi hoc concessum. Quod autem non sint nudi usuarii in rebus, quae usu consumuntur, evidentius declaratur, in quibus dicere, quod usus iuris vel facti a dominio separatus possit constitui, iuri repugnat et etiam rationi.

---

[1] BF V 235 A.

Nec praedecessoris nostri praedicti fuisse videtur intentio, Romanae ecclesiae talium bonorum dominium reservare. . . . Aut si eius fuit intentio, quis defendere potest, quod non realis fuerit talis retentio dominii sed verbalis quodque non vera sed ficta potius censenda?" His fusius explicatis concludit: „Nos itaque praemissis in scrutinio rectae considerationis adductis . . . hoc edicto in perpetuum valituro censemus, quod in bonis praedictis, quae in posterum conferentur vel offerentur vel quomodolibet alias obvenire contigerit fratribus seu ordini praedictis, non plus iuris in illis apostolica sedes habeat nec eidem in ipsis seu pro ipsis dominium seu ius aliquod plus acquiratur, quam quomodo habeat quamque sibi acquiratur in bonis vel pro bonis, quae fratribus aliorum Mendicantium ordinum quomodolibet acquirentur. Ac insuper statuentes, quod pro bonis praedictis recipiendis, petendis, exigendis, defendendis seu administrandis nullus quoque procurator constituatur amodo nomine summi pontificis vel praefatae sanctae Romanae ecclesiae, nisi de ipsius licentia speciali et mandato, revocamus quoque quoscumque a quibuscumque taliter constitutos, decernentes irritum et inane, si secus a quocumque fuerit attentatum."

Responsio fratrum continetur in *appellatione*[1], quam Bonagratia a Bergamo, procurator, iussu ordinis in consistorio die 14 Ianuarii anno 1323 habito Pontifici tradidit. Redundat ipsa deductionibus iuridicis de iure proprietatis et ususiure, quibus auctor probare vult abdicationem proprietatis ex parte ordinis nihilo magis includere contradictionem abdicatione proprietatis ex parte cuiuscumque monachi, qui, quamvis recipiat omnia, quibus indigeat, a monasterio, tamen revera nihil possideat. Communitatem fratrum relate ad ecclesiam eodem modo se habere ac quemlibet monachum relate ad monasterium. Praeterea haec appellatio diu moratur in exemplo Christi et Apostolorum, simul quoque in effatis Pontificum, non excepto Ioanne XXII, qui decretalem „Exivi", quamvis ipsa tractet paupertatem Fratrum Minorum modo traditionali corpori iuris canonici adiecisset. Nunc vero Pontificem, auditis quibusdam ordinis inimicis, crimini dedisse fratribus, quae partim vera non essent, partim peiora tantummodo ordinis membra attingerent. Supposito pro certo, quod constitutio haec solum inimicos ordinis haberet auctores, Bonagratia appellat Pontificem et ecclesiam, quorum iudicio se in omnibus subicit.

---

[1] BF V 237 A.

Haec audacia Bonagratiae statim incarceratione unius anni punita est. Nihilominus Papa melius esse censuit constitutionem *Ad conditorem* mutare, quo peracto denuo sub eadem arenga et die promulgata est[1]. Vehemens loquendi modus multis in locis valde apparet mitigatus.

Itaque pars ordinis — illa videlicet, quae iam hucusque paupertatem laxe observaverat — a pristina traditione totaliter recedendo magis magisque latifundia, proventus annuos et administrationem bonorum accepit. His Conventualismus etsi non de iure, tamen practice erat constitutus. Ceteri in theoria saltem proprietatis abdicationem retinere cupientes declinaverunt quaestionem, cui competeret dominium rerum casu, quo benefactores id sibi non reservassent[2]. Novi syndici ulterius non instituti esse videntur, quamquam *pro immobilibus, quae ordo possidebat* tempore, quo edebatur constitutio „Ad conditorem", concederentur, saltem secundum edicti litteram, quae tamen alio quoque modo poterat exponi.

Die 12 Novembris anni 1323 prodiit constitutio *Cum inter nonnullos*[3], in qua opinio pertinax Christum et Apostolos neque in communi neque in speciali habuisse proprietatem, vel eosdem habuisse tantummodo usum simplicem facti in sua bona, declaratur haeretica. Quamquam in hac constitutione paupertas Christi omnino omittitur, semper retinendum est eandem neque negari, *quod tunc temporis multi ex ordine negligentes credebant se de iure Pontificem haeresis posse arguere,* pro eo, ut absque ira dicerent: Christus et Apostoli de facto pauperrimam ducebant vitam, quare et paupertatis Minoriticae exempla esse possunt; ast ipsi non disputabant de notionibus dominii, ususiuris et simplicis usus facti, quare neque applicandae sunt eorum vitae. Quod cum nihilominus factum esset, error erat ex parte ordinis, qui tamen historice loquendo facilis est intellectu. Abdicationem proprietatis, quam S. Franciscus praescripserat, fratres in summa saltem observare cupiebant, quod vero alio modo fieri non poterat quam per translationem dominii in Sedem Apostolicam et in procuratores, quem modum Pontifices ipsi fratribus suaserant. Donec hi procuratores a Pontifice instituebantur eorumque administratio independens erat a fratribus, defendi poterat hic modus; sed ex quo Martinus IV procuratores totaliter voluntati fratrum

---

[1] C. 3 Extr. Ioann. XXII, 14. BF V 233.
[2] AF IV 403.
[3] C. 4 Extr. Ioann. XXII, 14. BF V 256.

tradidit, amplius non aderat causa de hac abdicatione tam insolenter gloriandi, sicut faciebant quidam fratres, quo ceteri mendicantes lacessiti contendere coeperunt contra ordinem et victoriam reportarunt sub Ioanne XXII. Ex his omnibus legitima fuit conclusio haec: ordo et imposterum fideliter persistet in observatione normae, super quam est fundatus, in imitatione scilicet pauperis vitae Apostolicae. Si totalis abdicatio proprietatis non pertinet necessario ad ipsam, recipiet ordo ea, quibus indigebit: residentias et mobilia necessaria, sicut ceteri pauperes faciunt; relate vero ad necessitates quotidianas iactabit et in futuro curam suam super Dominum, quia cura de rebus temporalibus neque evangelica est neque Franciscana. Hoc tamen non est factum, sed pars ordinis pristinam normam totaliter reliquit, pars vero priorem sententiam retinuit, in quantum probabatur a constitutione „Ad conditorem".

§ 14. **Discrimen ordinis.** (Continuatio.) 1324—1334 [1].

Ultimum Ioannis XXII edictum ordinem magnopere concitavit. Maioritas quidem fratrum se subiecit, cum in capitulo anni 1325 minister generalis eos hortaretur, ut cum moderatione et reverentia tractarent novas decisiones, attamen magnus numerus fratrum ubique terrarum perstitit in sua sententia Pontificem reum esse haeresis, etiamsi non ulterius procederent. Alii vero et publice suam proferebant sententiam, alii denique directe transierunt ad inimicos Pontificis, quorum auxilio validius contra eum pugnare intendebant.

Tunc temporis Ioannes XXII ex occasione belli de throno Imperiali ita se gessit contra Germaniam, ut Imperium id tolerare nollet, quae res tam Pontificatui quam Imperio aeque nocebat. Contra Pontificis consilia *Ludovicus Bavarus,* qui victor exstiterat, protestatus est in sua appellatione Norimbergensi, edita die 8 Decembris anni 1323, in qua eum obiurgat de negligentia respectu Minoritarum, qui violarent sigillum sacramentale. Veritas huius accusationis, quae saepius repetebatur, nunquam est probata, neque Papa ei valorem tribuit, quamquam in decursu horum annorum non ita elegans fuit in probris versus ordinem. Longe aliter res se

---

[1] *Nicolaus Minorita,* Chronicon: *Baluze-Mansi,* Miscell. III 206. *E. Marcour,* Anteil der Minoriten am Kampfe zw. Ludwig d. B. u. Johann XXII., Emmerich 1874. *S. Riezler,* Die literar. Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwigs d. B., Leipzig 1874. *K. Müller,* Der Kampf Ludwigs d. B. mit der röm. Kurie, Tübingen 1879—1880. *E. Knotte,* Untersuchungen zur Chronologie von Schriften der Minoriten am Hofe Ludwigs d. B., Wiesbaden 1903.

habebat in *appellatione Sachsenhusana,* quam Ludovicus publicavit die 22 Maii anni 1324. In ipsa enim defenduntur Minoritae contra Pontificem, qui propter sua edicta relate ad paupertatem arguitur haeresis. Totus tenor huius appellationis omne excludit dubium, quin Minoritae ipsi componendae interfuerint[1], quia depromuntur in ea quaedam de scriptis Petri Olivi et de appellatione Bonagratiae de Bergamo, quae tantummodo per Fratres Minores regi potuerunt suppeditari. Inter hos imprimis erunt nominandi fratres ex provincia Germaniae superioris, cuius minister, *Henricus de Thalheim,* subscripserat encyclicam capituli Perusini anno 1322. Degebat etiam ibidem tunc temporis solivagus quidam ex caterva Spiritualium, *Franciscus de Lautern,* qui ubique iram suam adversus Pontificem palam eructabat. Forsitan quoque ad Imperatorem iam fugerat Ubertinus a Casale, qui tamen post suam Avenione evasionem disparet.

Appellatio haec Sachsenhusana Papam summopere ad iram concitavit. Ut ergo ipsi occurreret, edidit die 10 Novembris anni 1324 constitutionem *Quia quorundam*[2], in qua maiorem obiectionum partem refutare conatur, praecipue convicium se contradicere declarationibus praedecessorum suorum. Inter alia haec dicit: „Honorius quidem praefatam regulam absque declaratione aliqua confirmavit. In cuius confirmatione de praedictis (sc. de paupertate Christi) mentio aliqua non habetur, ut liquere potest cuilibet confirmationem huiusmodi intuenti, nisi in quantum de vita evangelica habetur mentio in ipsa regula confirmata ibi, cum dicit: ‚haec est regula fratrum Minorum, videlicet domini nostri Iesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio et in castitate‘. Ex quibus verbis concludi non potest, quod per ipsum praedecessorem nostrum ea, quae ibi in verbis praedictis asseruntur, fuerint diffinita, immo potest concludi potius, quod vita evangelica, quam Christus et apostoli tenuerunt, habere aliqua in communi non excludit, cum sine proprio vivere non exigat, quod sic viventes nihil habeant in communi. In declarationibus quoque Gregorii, Innocentii et Alexandri praedictorum, qui eandem regulam absque confirmatione alia declaraverunt, similiter nulla prorsus fit mentio de praedictis, immo per eas evidenter ostenditur, eorum, quae licet habere ipsis fratribus, usum iuris ad ipsum ordinem pertinere.

---

[1] *J. Schwalm,* Die Appellation König Ludwigs des Bayern vom Jahre 1324, Weimar 1906.

[2] C. 5 Extr. Ioann. XXII, 14. BF V 271.

Gregorius quidem in sua declaratione quantum ad hoc inseruit, quae sequuntur: ‚Dicimus, quod nec in speciali nec in communi debent habere proprietatem, sed utensilium et librorum, rerum mobilium, quas licet habere, ordo usum habeat, et fratres, secundum quod generalis minister et provinciales ordinandum duxerint, hiis utantur.' — Innocentius autem et Alexander praefati in suis declarationibus sic dixerunt: ‚Dicimus insuper quod, cum in ipsa regula contineatur expresse, quod fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem, quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere, sed . . . eorum, quae licet habere, ordo usum habeat, et fratres, secundum quod generalis et provinciales ministri praedicti ordinis ordinandum duxerint, hiis utantur'. Cum enim dicatur in declarationibus supradictis, quod ordo usum habeat rerum praemissarum, ad usum iuris necesse est hoc referri. Facta quidem, quae singulorum sunt, personam veram exigunt et requirunt, ordo autem persona vera non est, sed repraesentativa et imaginaria potius est censenda: quare quae facti sunt, sibi vere convenire nequeunt, licet ei possint congruere, quae sunt iuris. — Adhuc, licet declaratio Nicolai III praedicti contineat, quae sequuntur: ‚Hii sunt illius sanctae regulae professores, quae evangelico fundatur eloquio . . .'; et post in eadem declaratione subiungit: ‚Dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta, quam et Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit et exemplo firmavit . . .': ex verbis tamen praedictis nequaquam potest colligi, quod praefati praedecessoris nostri Nicolai intentio fuerit dicere, quod dicta regula quoad omnia, quae continentur in ea, evangelico fundetur eloquio, vitae Christi roboretur exemplo, nec quod apostolorum vita et actibus sit firmata. Constat enim in dicta regula multa contineri, quae nec Christus docuit nec exemplo firmavit, utpote quod praecepit conditor regulae fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam, nec non et de multis contentis in dicta regula, quae utique nec Christus nec apostoli verbo docuerunt nec firmaverunt exemplo. Nec obstat, quod Christus portare pecuniam apostolis prohibuit et discipulis, dum ipsos ad praedicandum mitteret, quod tamen antequam eos mitteret, ipsis fuisse non legimus interdictum, quodque post reditum portaverint pecuniam, in plerisque locis evangelica veritas et apostolica dicta testantur. . . . Sed et hoc idem praedecessor noster Nicolaus praedictus quoad tria principalia vota, scilicet in obedientia vivere et sine proprio et in castitate, ac

alia, si qua evangelica reperiantur expressa in dicta regula, videtur intellexisse et dicere in declaratione praedicta, quod utique nostris declarationibus in nullo obviat supradictis.“ In fine tandem huius edicti adversariis constitutionis „Cum inter nonnullos“ stigma inuritur haeresis, adversariis autem constitutionis „Ad conditorem“ nota rebellionis. Eodem quoque mense Ioannes sua quattuor ultima decreta in quaestione de paupertate transmisit ad maiores universitates, ut cum ceteris decretis legerentur in scholis.

Diffidentia multorum fratrum in Ioannem XXII non est minuta ex eo, quod anno 1326 Petri Olivi postillam in Apocalypsim condemnavit, quia ratio huius decreti probabiliter erat nexus huius operis cum appellatione Sachsenhusana.

Anno 1327 Michael a Cesena citatus est Avenionem, probabiliter quia ambigue se gesserat in quaestione paupertatis et occulte conspiraverat cum Ludovico rege. Pontifex eum benigne recepit postulans tantummodo depositionem quorundam ministrorum provincialium, qui eiusdem edictis obstitisse videntur. Mox tamen Ioannes conquestus est de decreto in capitulo Perusino anno 1322 edito, quo facto Michael ei in faciem restitit et coram aliquibus fratribus familiaribus libellum legit, ex quo dilucide patet eum non ex animo se decretis Pontificiis subiecisse. Quo comperto Papa ordini alium ministrum praeponere conabatur, quare vetuit, ne Michael compareret ad *capitulum generale Bononiae* anno 1328 celebrandum, cui praesidebat Bertrandus Poyeti Cardinalis, qui secundum instructiones a Pontifice datas patribus congregatis suggessit, ut novum ministrum generalem eligerent. Ast capitulum generale insinuationem hanc repudians Michaelem in suo officio confirmavit. Priusquam nuntius de hac re Avenionem venisset, ipse aufugerat contra mandatum Pontificis, qui causam contra eum instituerat. Simul cum eo disparuerant Guilelmus Occam et Bonagratia a Bergamo, quibus idem imminebat periculum.

Ipsi se contulerunt ad Ludovicum regem, quocum abhinc pacti sunt contra Pontificem, quod tamen neque ordini neque regi erat bono. Ludovicus interea fines Italiae ingressus Romae die 12 Maii anni 1328 antipapam constituerat *Petrum Rainalducci a Corbara* Minoritam, qui nomen sibi imposuit Nicolai V[1]. Huius tamen conditio mox post Ludovici reditum ita desperata est facta, ut iam

---

[1] *J. Pflugk-Harttung:* Briegers Zeitschr. für Kirchengeschichte XXII (1901) 566. *K. Eubel:* Histor. Jahrb. der Görres-Ges. XII (1891) 277.

anno 1330 se prosterneret ante pedes Ioannis XXII, qui ipsi plenarie indulsit, retinens eum Avenione in honesta detentione usque ad annum 1333, quo mortuus est[1].

Agendi ratio capituli generalis Bononiensis Pontifici demonstraverat superiores ordinis consentire cum ministro generali, qui iterum Avenionem citatus reverti recusavit dicens Ioannem esse iniustum ordinis persecutorem, qui magis ageretur passionibus quam ratione. Ut igitur periculo schismatis in dies crescenti occurreret, Ioannes die 6 Iunii anni 1328 ministrum generalem deposuit ab officio ipsumque simul cum Bonagratia et Guilelmo de Occam excommunicavit. Deinde Bertrandum de Turre Cardinalem, qui ipse pertinebat ad ordinem, constituit vicarium generalem usque ad capitulum generale Parisiis anno 1329 coactum, in quo maiori parte vocalium non comparente electus est *Geraldus Odonis* (Eudes), qui amicus erat Pontificis. Iam in capitulo Lugdunensi anno 1325 proposuerat hic abolitionem praecepti de pecunia, quin tamen successum haberet, quia minister generalis cum maiori fratrum parte ei restiterat. Non obstante hac electione Michael et imposterum se gerebat tamquam minister generalis legitimus et recusabat traditionem sigilli ordinis. Ipse quoque extra ordinem tantam sibi comparaverat auctoritatem, ut multi principes intercedendi causa Pontificem adirent, quin tamen ullum haberent successum, aeque ac Michaelis eiusque asseclarum appellationes. In quadam earum pristinus minister generalis Ioannem accusat, quod apostatas aliaque mala diversorum ordinum membra Avenione consistere pateretur eorumque calumnias contra ordinem audiret, ex quibus sua contra Minoritas edicta hauriret[2]. „Item notorium est in curia Avinionensi, quod ipse dominus Ioannes haereticus sceleratos viros, apostatas et haereticos, volentes maledicere de statu et ordine fratrum Minorum sive de communitate ipsius ordinis, fovebat, nutriebat et exaltabat et eis gratias et beneficia concedebat eosque diversis et variis viis iducebat et provocabat ad detrahendum ipsius ordinis statui et communitate et eorum detractiones, diffamationes et blasphemias accepit et acceptavit et in suo consistorio ad diffamandum dictum ordinem et statum ipsius legi et publicari et in actis curiae suae redigi faciebat. . .“

---

[1] *F. X. Glasschröder*, Die Unterwerfung des Gegenpapstes Petrus von Corbara: Festgabe zum 25jähr. Stiftungsfeste der akad. Verb. Austria, Innsbruck 1889, 23.

[2] BF V 409 nota.

Contra novum ministrum generalem Michael alio loco scribit[1]: „Et in ipso fratre Geraldo et suis sequacibus demonstrative adimpletur, quod beatus Franciscus Spiritu sancto dictante, prophetizavit dicens: ‚Vae illis, qui de sola specie religionis confisi tepescent nec resistent temporibus ad probationem electorum permissis‘, cum ipse frater Geraldus scribat seu scribi faciat per sequaces suos verba fallacia, dicens, quod dominus papa reputat regulam et perfectionem nostram sanctam et modum vivendi secundum se sumptum bonum: quam tamen regulam et perfectionem per dicta statuta haereticalia realiter pronuntiat et asserit non esse regulam nec vitam secundum evangelium, sed contrariam vitae et doctrinae Christi et sancti evangelii; immo evidenter pronuntiat haereticum fore asserere, quod Christus et apostoli non habuerint proprietatem et dominium rerum temporalium in speciali et in communi. Et post pauca dictus frater Geraldus in suis scriptis contradicens sibi subiungit dicens in haec verba: ‚Qui dominus papa modum vivendi fratrum reputat discrepare a mandatis regularibus et papalibus et suadet, quod alium modum vivendi bonum inquirant.‘ Si enim discrepat a mandatis regularibus et papalibus et ideo alium modum bonum vivendi suadet eligi, sequitur manifeste, quod praecedens modus hactenus a sanctis patribus observatus non fuit bonus nec licitus, sed illicitus et erroneus. Et ut alium modum vivendi ab illo, qui a sanctis patribus et fratribus dicti ordinis est observatus hactenus, et per consequens aliam perfectionem et vitam eligant, mandat ipse frater Geraldus, quod sequaces sui congregentur in festo Pentecostes apud Perpinianum: et hoc facit, ut dicit, de mandato dicti domini Ioannis, quem papam sanctissimum appellat. Et ad monstrandum manifeste per professiones pseudofratrum sequentium dictum Iacobum haereticum, quod dicta professio et status dicti ordinis sunt haereticales, fertur publice, quod ipse haereticus vult et intendit omnino, quod illi, qui congregabuntur in dicto loco Perpiniani, abiurent litteram et determinationem praefati capituli generalis, quae est eadem cum determinatione facta in decretali Exiit, in qua professio et status dicti ordinis sunt fundati.“ . . .

Contra hanc appellationem Ioannes die 16 Novembris 1329 edidit constitutionem *Quia vir reprobus*[2] solito longiorem, in qua suas de paupertate dissertationes repetit, et iustificare conatur actionem suam ecclesiastico-politicam per ostentationem universalis dominii Christi.

---

[1] Ibid. 437 nota. [2] BF V 408.

Contra hanc constitutionem Michael eiusque asseclae complures ediderunt libellos, quorum unus ad fratres in *capitulo generali anno 1331 Perpiniaci* (Perpignan) congregatos directus est subscribentibus praeter Michaelem Henrico de Thalheim, Francisco Asculano (Ascoli), Occamo et Bonagratia, qui tunc temporis omnes morabantur Monachii. In ipso Michael suam positionem defendit, reicit postulatum redeundi ad ecclesiam et ordinem, quia nunquam ab eis defecisset, et admonet capitulum, ut caveat omnem regulae mutationem. Fama enim percrebruerat novum ministrum generalem talia in animo volutare, quare etiam multi principes, obsecundantes petitioni fratrum regulae fidelium, litteras dirigebant ad capitulum instanter rogantes, ne haec ullo modo admitteret. Praesertim *Sancia, regina Siciliae,* vehemens adversaria Geraldi et fidelis fautrix Michaelis, tali libertate de regula scripsit, ut nihil unquam quid audisse videretur de Ioannis XXII decretis. Geraldus his omnibus minime perterrefactus, antecessorem suum ex ordine eiecit et proposuit iterum mutationem praecepti de pecunia. Ast maioritas fratrum contradixit ei et decrevit, ut nullus minister vel alius superior posset petere privilegium contra puritatem regulae. Non obstantibus his minister generalis 14 provincialibus persuasit, ut simul secum Pontificem libello adirent, in quo postulabatur abolitio omnium declarationum Pontificiarum, quae ordinem tantummodo perturbarent, et facultas, qua ministri provinciales dispensare possent a praeceptis regulae. Denique petebant, ut prohibitio pecuniae quam maxime restringeretur. Ioannes tamen videns resistentiam capituli et nonnullorum Cardinalium, haec probare dubitavit, ne novas excitaret perturbationes. Memorabile nihilominus est circa finem epochae declarationum regulae a duabus factionibus in ordine a diametro sibi oppositis totalem omnium declarationum abolitionem postulatam esse.

His omnibus Geraldus non amisit favorem Pontificis, cuius quoque defendebat sententiam de *visione beatifica,* iuxta quam animae defunctorum non prius assequerentur plenariam visionem Dei quam post iudicium universale. Sed etiam in hac quaestione ordo contradicebat suo ministro. Similiter extra ordinem quoque haec sententia Pontificis privata ita acriter est oppugnata, ut ipse brevi ante mortem eam retractaret, declarans: „Praedicta omnia et *alia quaecumque* dicta et praedicata et scripta per nos de *quacumque materia* . . . submittimus determinationi ecclesiae ac successorum nostrorum."

Sane quidem non excusatur per hoc *Michaelitarum* rebellio. Cetera, quae his viris acciderunt, non amplius cohaerent cum historia ordinis. Michael mortuus est die 29 Novembris anni 1342. Utrum recon-

ciliatus sit cum ecclesia, dubium est, quod etiam valet de Bonagratia a Bergamo, qui e vita discessisse videtur anno 1343. Sepulti sunt ambo in ecclesia Minoritarum Monacensium simul cum Occamo, qui reconciliatus ecclesiae mortuus est anno 1349, postquam sigillum ordinis legitimo ministro generali tradidit. His schisma in ordine in summa erat sedatum, etiamsi quaedam eiusdem residua in proximis decenniis inveniantur.

Sectio III.

Origo et progressus Conventualismi. Coniunctio Observantium ad eundem reprimendum. 1334—1430.

§ 15. Conventualismi notio et causae[1].

Nomine „conventualis“ in principio nihil aliud intellectum est quam ea omnia, quae aliquo modo pertinebant ad quendam conventum. Conventus vero dicebatur vel domus capitulorum collegiatorum aut societatum religiosarum, vel universitas habitatorum ipsius. Mature in ordine Minoritarum quoque conventus vocabantur residentiae maiores relate ad eremitoria. Horum conventuum ecclesiis Innocentius IV primus dedit nomen *ecclesiarum conventualium,* cum ipsis iura ecclesiarum collegiatarum vel conventualium concederet, v. g. ius sepulturae et ius asservandi Sanctissimum. Ex illo tempore ecclesiae in ordine distinguebantur in conventuales et non conventuales; interdum fratres quoque vocabantur „conventuales“ vel „non conventuales“, prout in residentiis maioribus vel eremitoriis vivebant. Unusquisque frater erat „conventualis“ illius domus, cui ascriptus erat, ac „non conventualis“ quoad ceteras ordinis domus. Significationem aliam hoc verbum tunc temporis non habebat.

Alia tamen facta est res decurrente saeculo XV. Illis enim temporibus in unoquoque ordine, praesertim in ordinibus mendicantium, duae factiones exsistebant, quarum laxiores vocabantur Conventuales, quia „loca conventualia“ cum „ecclesiis conventualibus“ inhabitare consueverunt, cum severiores, Observantes vocati, in principio se reciperent in residentias minores et eremitoria. Utriusque factionis origo pertingit usque ad saeculum XIV. Quo magis utraque procedebat in suis studiis, eo magis in diversis ordinibus apparebat tendentia reducendi *Conventualitatem* ad *regularem Observantiam.* Dominicanis contigit, ut adiuvante Pio V Conventualismum in suo ordine

---

[1] *Marczic* I 1.

totaliter eradicarent, in ceteris vero religionibus orta sunt schismata, quia sectatores vitae laxioris suas consuetudines, in quantum admitti poterant salva vita religiosa, sibi lege confirmari curabant, constituentes hoc modo legitimas quidem, sed ab Observantibus separatas societates. Ab hoc temporis momento *differentia* specifica *inter Conventuales et Observantes ordinis Minoritarum* posita erat in relatione eorum ad paupertatem ordinis. Observantes retinuerunt abdicationem proprietatis in communi, resignantes proventus stabiles et latifundia, Conventuales vero admittebant proprietatem in communi, proventus et latifundia. Ast in principio, *praesertim durante saeculo XV, differentia inter ipsos non tantummodo relate ad paupertatem vigebat, sed magis relate ad disciplinam ordinis in communi, in qua Conventuales valde remiserant.* Hac in re situs erat defectus eorum principalis et simul causa, quare Observantes tam a populo quam a clero maioris aestimarentur. Non tamen omittendum est etiam in numero Conventualium multos fuisse viros egregios, sicut et inter Observantes peiora inveniebantur membra.

Causae producentes Conventualismum in ordine Minorum fere eaedem sunt ac in ceteris ordinibus, excepto quod *controversia de paupertate sub Ioanne XXII* fuit tempore prima. Hic Pontifex principium ordinis, abdicationem proprietatis in communi, in summa quidem intactum reliquit, attamen in omnibus suis edictis evidentem contra ipsum aversionem ostentavit, cogens simul fratres per partialem syndicorum abolitionem, ut susciperent curam pro multis bonis temporalibus atque instituerent *fratres procuratores*[1]. Studia sub Geraldo ministro generali gliscentia demonstrant magnam ordinis partem intendisse ulterius procedere in via hac proclivi. Qualem impressionem haec omnia in animos fratrum fecerint, patet ex eo, quod abhinc transitus ad alios ordines supra modum augebantur. Praetendebatur quidem his in casibus magna ordinis rigorositas, ast propria huius facti causa revera erat taedium paupertatis Franciscanae, quam summus ecclesiae rector tam foede repudiaverat. Mirum igitur non est, si per haec numerus et influxus fratrum peiorum, praesertim in observantia paupertatis laxiorum, valde crevit.

Perniciosum exercebat influxum in ordinem *contentio inter Pontificem et Imperatorem,* praesertim propter *interdictum,* quo punitae erant omnes illae regiones, quae adiuvabant Imperatorem. Illi ergo

---

[1] Cf. *Minoricas* decisiones clari illius iurisperiti *Bartoli de Sassoferrato:* Spec. III 187.

fratres, qui observare volebant interdictum, coacti sunt relinquere suos conventus, ceteri vero agebant contra suam conscientiam. Quare aliquae communitates Minorum in Germania, quibusdam fratribus, qui non celebrabant officia divina, in conventu relictis, peregrinatae sunt de civitate in civitatem, quod certe bonum non poterat esse disciplinae ordinis[1].

Multo tamen maius detrimentum attulit ordini lues illa contagiosa, quae, communiter *mors nigra* vocata, circa annum 1348 totam populavit Europam, quaeque duas partes Minoritarum devorasse dicitur[2]. Cumque numerus residentiarum imposterum potius augeretur quam minueretur, ordo defectum fratrum quam citius resarcire studebat. Ideoque sine delectione recipiebantur homines sine vocatione et adolescentes, qui vix aetatem puerilem transgressi erant[3]. Sed talis recipiendi levitas semper certam ordinum ruinam adduxit, quare mendicantes, qui antea ab omnibus erant aestimati, magis magisque suam bonam amiserunt famam. Praeterea tunc temporis in unaquaque familia propter mortem plurimorum membrorum divitiae augebantur, quae etiam in ordines redundarunt, sed non in bonum vitae religiosae.

Accesserunt ad haec multis in terris diuturnae perturbationes bellicae, praesertim *bellum 100 annorum in Gallia,* quod omnia ordinis et disciplinae vincula dissolvit[4].

Ut perficeretur fatum, ortum est in ecclesia *schisma* illud 40 annorum, quo durante membra unius eiusdemque ordinis nolentes volentes diversis Pontificibus, ministris generalibus et provincialibus oboediebant. Ad haec saepius ipsa oboedientia est mutata ex causis, quae ex ambitione aliquorum tantummodo prodibant. Superiores quoque, ut impedirent secessionem ad alteram oboedientiam, concesserunt suis subditis, quae disciplinae ordinis prodesse non poterant.

Haec omnia sensim sine sensu laxationem disciplinae adducendo favebant progressui Conventualismi. Conatus vero ad impediendum hoc malum ubique suscepti ad irritum cadere debebant, quamdiu ipsae causae non erant ablatae. Meliora omnium ordinum membra quaerebant reformationem, i. e. restaurationem pristinae observantiae regularis, et pars ipsorum eam optime consequi putabat secedendo

---

[1] *Ioannis Vitodurani* O. F. M. Chronicon: Archiv für Schweizer Gesch. XI (1856).

[2] AF III 544. [3] Firm. III 3.

[4] *H. Denifle,* La désolation des églises, des monastères et hôpitaux en France pendant la guerre de cent ans, Paris 1899.

a communitate. Hoc modo in diversis ditionibus orti sunt conventus reformati, qui postea se congregantes resistebant parti ordinis non reformatae.

§ 16. Series et acta ministrorum generalium usque ad schisma occidentale. De constitutionibus Caturcensibus et Farineriis. 1334—1378[1].

Benedictus XII, qui prodierat ex ordine Cisterciensium, tam Benedictinis quam Minoritis novas dedit constitutiones, quibus conficiendis non allaboraverat totum capitulum generale, sicut hucusque mos fuerat, sed selecti tantummodo quidam fratres, in quibus erat minister generalis. Haec statuta, quae vel *constitutiones Benedictinae*[2] vocantur, quia a Benedicto XII edita sunt, vel *constitutiones Caturcenses,* quia in capitulo Caturcensi (Cahors, a. 1337) iussu Pontificis recepta sunt, promulgata sunt die 28 Novembris anni 1336 per constitutionem „Redemptor noster". In numero statutorum ordinis ipsa singularem occupant locum, quia, evolutione ordinis totaliter neglecta, magis conveniunt antiquis monachorum ordinibus quam mendicantibus. Non enim sequuntur textum regulae, sed incipiunt ab *obligatione ad chorum,* quae in statutis hucusque editis non quidem est omissa, ast occasionaliter solummodo tractata[3]. Sequuntur deinde praecepta exacte disposita de silentio, de introductione librorum, qui continent nomina benefactorum, de clausura et dormitoriis; denique definitiones magni momenti de studiis et constitutione ordinis (cap. III IV). De paupertate vero et prohibitione pecuniae nihil omnino continent, econtra tamen praescribunt totalem abstinentiam a carnibus in refectorio.

Aversio contra novas constitutiones iam in capitulo Caturcensi ipso apparuit, in quo multi fratres exigebant depositionem ministri generalis, sed sine successu, quia Papa eum sustentabat. Cum vero Clemens VI, successor Benedicti XII, ministrum generalem nominasset Patriarcham Antiochensem, decrevit capitulum generale anno 1343 Marsiliae (Marseille) congregatum, ut denuo introducerentur veteres constitutiones Narbonnenses, novis quibusdam ordinationibus appositis. Quamvis novus minister generalis *Fortanerius Vassalli* allaborasset conficiendis constitutionibus Benedictinis, tamen iuxta voluntatem capituli dispensationem de ipsis petere debebat apud novum Pontificem, saltem de quibusdam ordinationibus maioris momenti (§ 39).

---

[1] AF II 162; III 528. W VII 175; VIII. [2] BF VI 25. Spec. III 201.
[3] ALKG VI 52 99 109 138.

Postquam Fortanerius vocatus ad sedem Archiepiscopalem Ravennensem gubernationem ordinis anno 1348 tradidit *Guilelmo Farinier,* cum meliori successu cogitari poterat de statutorum recognitione, quam novus minister capitulo generali Assisiensi anno 1354 perfectam proposuit. Hae constitutiones, iuxta suum auctorem vocatae *Farineriae*[1] vel *constitutiones Guilelmi,* in materia et forma magis iterum accedunt ad constitutiones S. Bonaventurae. Ordinantes praelectionem repetitam decretalium „Exiit" et „Exivi" totaliter reticent edicta contraria Ioannis XXII, quo facto autem, proh dolor! non sunt annihilata. Adducentes praeterea constitutionem Ioannis contra Spirituales praecipiunt superioribus, ut benignos se ostendant versus fratres, qui profitentur severiorem observantiam. De cetero patet ex his constitutionibus observantiam vitae communis tunc temporis valde remisisse in ordine. Nam depositum pecuniae pro singulis fratribus conceditur sub certis conditionibus, immo in quibusdam casibus fratres directe remittuntur ad recursum ad amicos spirituales, quo demum non proficiente superiores obligantur, ut procurent necessaria. Administratio mobilium totaliter commissa esse videtur fratribus, praesertim fratri procuratori ex eorum gremio desumpto. Hospitalitas praecipitur praesertim quoad Dominicanos, qui recipiendi sunt tamquam fratres eiusdem ordinis. Denique omnes priores constitutiones sublatae declarantur. In hoc tamen decreto constitutiones Benedictinae non erant comprehensae, quia a Pontifice ipso erant ordinatae, quare per ordinem non simpliciter poterant aboleri, quo factum est, ut in decursu saeculi sequentis constitutiones Benedictinae longe saepius sint adhibitae quam constitutiones Farineriae. Immo capitulum in Monte Pessulano (Montpellier) anno 1446 congregatum mirum illud edidit decretum, quo fratres (Conventuales) obligantur ad observationem constitutionum Benedictinarum *simul et* Farineriarum[2].

In memorialibus huius capituli Assisiensis invenitur decretum contra *Episcopellos;* sic enim cum aliquo aculeo appellabantur fratres, qui ambitione sua adepti erant sedem quandam Episcopalem. Hi inordinate vivendo ordini erant scandalo, quare vetatur, ne unquam recipiantur in domus fratrum neve concedatur eis socius ex ordine, sicut ceteris praelatis, qui talem optent.

Guilelmus Farinier anno 1356 Cardinalis creatus gubernacula ordinis retinere debuit usque ad electionem successoris sui *Ioannis*

---

[1] BF VI 639. Spec. III 211. [2] AF II 321.

Bouchier, qui iam post annum est defunctus. Itaque Farinier administrationem ordinis tamquam vicarius generalis iterum suscepit usque ad proximum capitulum generale anno 1359 congregandum, in quo electus est *Marcus a Viterbio* plaudentibus Italis, qui timuerant, ne generalatus officium totaliter transiret ad fratres Aquitanos, e quorum gremio quattuor ultimi ministri originem duxerant. Postquam Marcus multum boni tamquam apostolus pacis per totam Italiam produxit, creatus est anno 1366 Cardinalis, quin tamen, sicuti hucusque mos fuerat, ordinem amplius administraret. *Nicolaus a Bessa* enim, protector Cardinalis, qui nunquam pertinuerat ad ordinem, ipse suscepit gubernium. Causae huius facti extraordinarii hucusque non patent. Denique anno 1367 capitulum praesidente protectore elegit *Thomam de Frignano* ministrum generalem. Mox post eius electionem mortuus est clarissimus ille Cardinalis *Albornoz,* magnus ordinis fautor, qui procuraverat sibi locum sepulturae in conventu Assisiensi; iubente ministro generali totus ordo celebravit pro ipso exsequias. Iam anno sequenti Thomas apud Pontificem calumniatus suspensus est per annum et medium, usquedum eius innocentia plenarie probaretur. Postea, anno 1372, vocatus ad sedem Patriarchalem Gradensem, denique creatus est Cardinalis anno 1378.

Leonardus de Rossis a Giffone successor electus est in capitulo Tolosano (Toulouse) anno 1373. Ad hoc capitulum Gregorius XI litteras dedit[1], in quibus ordinem laudat, sed neque severas reticet veritates. Conqueritur de multis „dissensionibus et scandalis" in ordine, vetans sub poena excommunicationis omnes subornationes ex occasione electionis ministri generalis. Magni momenti sunt haec verba, quia Gregorius XI verus erat amicus ordinis, cuius postea ipse suscepit protectoratum, et quia non pepercit laudibus, quando loquebatur de ordinis industria. In altera encyclica ad ordinem missa exigit abolitionem abusus, quo minister generalis in aliquibus locis vicarios constituebat, qui non pertinebant ad ordinem, v. g. Episcopos vel Cardinales. Similiter vetuit, ne fratres recurrerent ad Cardinalem protectorem in causis privatis neve protectores quocumque modo se ingererent administrationi ordinis. Quomodo sentiret circa quaestionem de paupertate, patet ex litteris anno 1374 missis ad custodiam Barcinonensem (Barcelona)[2], in qua fratribus propter magnam necessitatem concedit exactionem legatorum iuridicam, expresse definiendo, quod mobilia sic exacta statim debeant venumdari et lucrum

---

[1] BF VI 503. [2] BF VI 529.

in fratrum necessitates converti. Ut reformatio ordinis facilius posset exsequi, Gregorius ministro generali extraordinarias concessit facultates, quibus ei licuit inhabilibus ministris provincialibus substituere alios et fratres in aliqua provincia discordias seminantes transmittere in aliam provinciam longe distantem. Dolendum est, quod hic Pontifex iam anno 1378 mortuus est, paulo postquam Romam iterum repetiit. Post eius mortem gravis venit desolatio super ecclesiam et ordinem.

§ 17. Ordinis sors durante schismate occidentali. 1378—1417[1].

Romae anno 1378 canonice est electus Urbanus VI, qui tamen maioritati Cardinalium mox ita displicuit, ut eodem quoque anno eligerent novum Pontificem Clementem VII, qui residebat Avenione. Schisma hoc facto introductum ulterius continuatum est, quia Cardinales utriusque oboedientiae decedente suo Pontifice semper eligebant successorem. Ita Urbanum VI secuti sunt Bonifatius IX, Innocentius VII et Gregorius XII; Clementem vero VII unicus tantummodo secutus est Benedictus XIII. Dubium non est, quin Pontifices Romae residentes fuerint veri S. Petri successores, ast per machinationes Cardinalium factum est, ut tunc temporis etiam optimus quisque nesciret, quis eorum esset legitimus. Dubitatio de hac re longe diuturnior erat quam schisma ipsum, ut postea omnes Pontifices huius temporis aestimarentur aequivalentes et designarentur tamquam Pontifices „in oboedentia sua sic vocati“. Simili modo se habebat res respectu *superiorum generalium* diversorum ordinum. Nunc quidem scimus, quae genuina eorum fuit successio, ast tunc temporis ministri generales utriusque oboedientiae legitimi habebantur.

Leonardus minister generalis, quaestione, utri Pontifici adhaereret, discussa, elegit Clementem VII, instigante probabiliter Ioanna, regina Neapolis — erat enim Neapolitanus —, quae eidem oboediebat Pontifici. Accesserunt praeterea ad oboedientiam Avenionensem Gallia, Hispania et Scotia, cum ceterae ditiones in summa fideliter persisterent apud Urbanum VI. Nihilominus invenimus etiam aliquos ministros provinciales Genuae, Mediolani, Umbriae et Germaniae superioris, qui transierunt ad oboedientiam Avenionensem, id quod ipsis provinciis fatalissime accidit, quia his in casibus semper duo

---

[1] BF VII. AF II 212. W IX. *O. Hüttebräuker,* Der Minoritenorden zur Zeit des großen Schismas, Berlin 1893. *K. Eubel,* Die avignonesische Obedienz der Mendikantenorden zur Zeit des großen Schismas, Paderborn 1900.

ministri diversae oboedientiae eandem gubernabant provinciam, quod necessario omnia disciplinae vincula dissolvebat. Mox Clemens VII ministro generali contulit Cardinalatum, quem antea ab Urbano VI sibi collatum resignasse dicitur. Anno sequenti Leonardus suos asseclas, i. e. oboedientiam Avenionensem, convocavit ad capitulum Neapolitanum, in quo successorem accepit *Angelum a Spoleto,* quo anno 1391 mortuo nominavit Clemens VII *Ioannem de Chevegneyo* ministrum generalem. Postquam ipse mortuus est, elegit capitulum Avenionense anno 1403 *Ioannem Bardolini* zelantem pro ordinis reformatione, qui adhuc anno 1417 officium suum exercebat intra districtas limites.

Urbanus VI indignatus Leonardum ministrum generalem propter apostasiam deposuit ab officio, declarans vicarium *Ludovicum Donatum,* qui in capitulo generali Strigonii (Gran) in Hungaria celebrato electus est minister generalis (anno 1379). Duodecim solum provinciae ipsum elegerant, quia ceterae vel oboediebant Clementi VII vel fluctuabant inter ambos. Decrevit hoc capitulum instituendos esse fratres selectos ad elaborandas constitutiones de abolitione abusuum; in omnibus capitulis generalibus deliberandum esse de reformatione, idque feria III post Pentecosten; ministrum generalem habere facultatem dispensandi a constitutionibus generalibus. Ludovicus anno 1381 Cardinalis creatus ordinem adhuc per duos annos rexit. Anno 1385 cum aliquibus aliis Cardinalibus ab Urbano VI capite plexus est propter suspicium coniurationis. *Petrum a Conzano,* qui regnaverat per unum tantummodo annum, secutus est anno 1384 *Martinus a Sangiorgio,* qui tribus annis post mortuus est. Denique electus est *Henricus Alfieri*[1], qui regnavit per duodeviginti annos. In multis capitulis, quae celebravit, studuit reformare disciplinam ordinis, quae schismate durante multum remittebat. Pontifices enim utriusque oboedientiae, quaerentes retinere suos asseclas, non parcebant concessionibus privilegiorum omnis generis, quae ordini ipsi utilitati non erant, neque mederi illis poterat per contraria edicta Pontificia[2], quippe quae non diu observarentur. Pessima huiuscemodi privilegia erant illa, quae subditos eximebant ab oboedientia erga suos superiores, et illa, quibus singulis Minoritis concedebantur proventus personales, qui post mortem eorum perveniebant ad conventum. Hoc enim malo exemplo semel dato naturale erat, quod alii quoque illud imitarentur, etiam sine privilegio[3].

---

[1] *H. B. Vasallo,* Enrico Alfieri, Asti 1890.

[2] BF VII 29 31. [3] *Eubel* l. c. xvi. AF II 243.

Accessit ad haec, quod multi superiores ordinis non satis attendebant sua officia, quod patet ex repetita depositione ministrorum provincialium et ex querelis *Bartholomaei a Pisis*, qui fuit eius temporis aequalis[1]. Huius viri liber, qui inscribitur „Liber Conformitatum", a capitulo generali anni 1399 approbatus est, concesso auctori praemii gratia habitu S. Francisci.

Sub eodem ministro generali *iterum introducti sunt syndici* iuxta concessionem Martini IV. Renovavit enim Bonifatius IX die 16 Februarii anni 1395[2] decretum sui antecessoris, ambigue sane apponendo: „Per hoc autem nullum ius vobis volumus de novo acquiri, sed antiquum tantum conservari." Abolitionem vero constitutionum Ioannis XXII in hoc privilegio non commemorat, sed in privilegio, quo die 24 Novembris 1395[3] provinciae *Germaniae superioris* syndicos Martini IV reddidit, expresse notando hoc privilegium non posse extendi ad ceteras ordinis provincias.

Antonio a Pireto, qui anno 1405 in capitulo Monacensi (München) electus est minister generalis, difficilis mox data est optio. Ut enim unitatem ecclesiae adducerent, Cardinales utriusque oboedientiae in concilio Pisis congregato utroque Pontifice deposito elegerunt Petrum Philargum Cretensem Minoritam, qui nomen sibi imposuit *Alexandri V,* quique excellebat doctrina, benevolentia et infinita beneficentia erga pauperes. Solebat quippe dicere se Episcopum (Mediolanensem) fuisse divitem, Cardinalem pauperem, Pontificem vero mendicum[4]. De eius actibus pro interiori ordinis evolutione maioris est momenti illud decretum, quo die 31 Decembris anni 1409[5] nonnullis conventibus in Gallia concedebat receptionem fundationum, quae hucusque non licuerat, excludens tamen verbis expressis acceptationem latifundiorum. Eius Pontificatu, iniuria calumniato[6], post breve tempus morte finito, electus est Ioannes XXIII. Uterque quidem „Pontifex Pisanus" speculative loquendo illegitimus erat, quia concilium non poterat sic procedere contra voluntatem Gregorii XII legitime electi, ast in tanta perturbatione res tunc temporis erant, ut longe maior christianitatis pars ipsos sine dubitatione agnosceret legitimos, quare non comparari possunt ceteris antipapis. Quia vero Gregorius adhuc aliquos asseclas habebat per Italiam et Germaniam atque Bene-

---

[1] AF IV 445. Eius regulae declarationem vide ibid. 373. Firm. IV 54. Mon. III 76.
[2] BF VII 45. [3] Ibid. 58.
[4] AF II 227. [5] BF VII 426. [6] W IX 338.

dictus XIII agnoscebatur ab Hispanis, factum est, ut tunc temporis tres Pontifices regnarent in ecclesia.

Quasi necessario consequebatur ex hoc, ut et ordo acciperet tres ministros generales. Cum enim Antonius a Pireto se subdidisset oboedientiae Pisanae, depositus est a Gregorio XII versus finem anni 1408, quo non obstante ille sub protectione Pontificum Pisanorum de facto maiorem ordinis partem gubernare non desiit. Angelus Salvetti vicarius generalis a Gregorio constitutus etiam maioritatem secutus esse videtur, quare anno 1410 idem Pontifex nominavit *Antonium a Cascia* ministrum generalem, qui probabiliter usque ad annum 1415 regnavit, quamvis paucae tantummodo provinciae ei oboedirent. Theoretice loquendo ipse erat legitimus minister, practice vero Antonius a Pireto agnoscebatur paene ubique, excepta Hispania, quae subdita erat Ioanni Bardolini. Cumque omnes hi tres ministri celebrarent capitula, immo saepissime sectatores reliquarum oboedientiarum deponerent, facta est perturbatio in ordine inexplicabilis cum maximo disciplinae damno. Ut igitur haec detrimenta resarcirentur, capitulum Romae anno 1411 sub Antonio a Pireto congregatum decrevit, ut omnes ordinationes durante schismate a diversis oboedientiis editae annullarentur, quod tamen non multum profecit, quia schisma ipsum adhuc per plures annos duravit, usquedum *concilium Constantiense* (1414—1418), convocatum a Ioanne XXIII, instante Sigismundo Imperatore, denique illud finiret. Gregorio XII anno 1415 libere resignante depositi sunt Ioannes et Benedictus, quo perfecto Martinus V, electus mense Novembri anni 1417, iterum unicus erat ecclesiae pastor „cum omnium laetitia, ut prae gaudio homines vix loqui possent“ [1]. Simul et ordinis unitas restituta est, quia non plures remanserunt asseclae Ioannis Bardolini quam Benedicti XIII.

Concilium Constantiense, quo minister generalis quoque et 33 doctores sacrae theologiae ex ordine Minorum participati sunt, saepius etiam ordinis res attigit. Praeter decretum illud, quod pro nova Observantia in Gallia maximi erat momenti (§ 20), tractabat aliquoties de doctrinis *Ioannis Parvi* [2] (Jean Petit, † 1411) Minoritae, Doctoris Parisiensis, qui defenderat sententiam tyrannicidium etsi non absolute, tamen conditionate licitum esse. Damnaverat universitas Parisiensis hanc doctrinam, quin tamen adversus omnia Gersonis cancellarii studia confirmationem suae sententiae apud concilium efficere posset.

---

[1] AF II 268. [2] *Hefele,* Konziliengeschichte VII 175 266 284 300.

§ 18. Studia reformationis inter Minoritas Italos usque ad concilium Constantiense[1].

Percurrentes hucusque ordinis historiam, iam vidimus non defuisse studia abusuum abolendorum, quae tamen effectum stabilem et universalem habere non poterant, quamdiu illae abusuum causae permanebant, quae ab ordine ipso non dependebant. Igitur reformatio de facto nunquam ultra singulas domus vel singulos fratres se extendebat, qui sane ubique inveniebantur. Praeter hos „Observantes" erant et alii, qui in decursu saeculi XIV se coadunabant in domibus reformatis. Minime tamen huiuscemodi communitates unum eundemque sequebantur modum vivendi, immo nec eosdem fines, quia alteri contenti erant seclusi a communitate vitam agere eremiticam, alteri econtra per suum exemplum ordinem ipsum reformare studebant. Quapropter fratres reformati saeculi XIV non simpliciter identificandi sunt cum Observantibus saeculi XV; erant quippe tantummodo viae duces horum et elementa, e quibus cristallizata est postea ipsa Observantia, quae valent imprimis de residentiis reformatis Italiae.

Ibi iam anno 1334 *Ioannes a Valle* a ministro generali licentiam acceperat sese recipiendi cum quattuor fratribus in solitudinem ibique observandi regulam secundum pristinum rigorem, sine declarationibus Pontificiis. Elegerunt ipsi locum *S. Bartholomaei de Brugliano* prope Fulgineum, qui etiam vocabatur „locus Pistiae", ubi Ioannes subditus ordinariis superioribus vivebat usque ad annum 1351, quo mortuus est. Consuluerat hoc Ioanni Angelus Clarenus, si credere licet Mariano Florentino, qui nobis haec tradit. Quo facto multi novam in ordine separationem timuisse videntur, quare Clemens VI anno 1343[2] ministro generali mandavit, ne illis fratribus, qui regulam observare ad litteram praetenderent, ullam concederet exemptionem, usquedum Sedes Apostolica aliter decerneret. Mox tamen idem Pontifex sententiam suam mutavit relate ad *Gentilem a Spoleto* fratrem laicum, socium Ioannis, qui magnum numerum fratrum reformationis studiosorum collegerat. Anno enim 1350[3] concessit eis, ut in quattuor eremitoriis, inter quos erant Carceres Assisienses (Le Carceri), duodenos collocarent fratres, qui regulam S. Francisci in tota puri-

---

[1] *Ehrle,* ALKG IV 181. W VII—IX. Gub. II 1. *L. Lemmens,* B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantiae, Romae 1902, 6.

[2] BF VI 139. [3] Ibid. 245.

tate observare vellent; simul permisit eis, ut novitios recipere possent, eximens eos practice a iurisdictione ministri provincialis. Sicut saepius, ita et hoc in casu privilegium causa ruinae est factum. Comparaverunt sibi namque proprias vestes, artiores et breviores habitus, simul imprudenter agentes in receptione novitiorum, quo factum est, ut apostatae et haeretici admitterentur. Hi forsan erant Fraticelli, qui sub praetextu privilegii Pontificii suos fines intendebant. Quapropter ordo contra eos in capitulo Assisiensi anno 1354 protestatus est, quo contigit, ut Innocentius VI anno 1355 [1] decretum sui antecessoris auferret. Societate dissoluta Gentilis cum quibusdam complicibus incarceratus est; membra vero bona societatis redierunt ad oboedientiam erga priores superiores, qui eis permiserunt, ut suas austeritates quiete continuarent.

Ad hos pertinebat *Paulus de Trincis* (Paoluccio Vagnozzi da Trinci; Paulutius) [2] frater laicus, qui anno 1368 instante cognato suo Hugolino de Trincis licentiam a ministro generali obtinuit redeundi cum aliquibus sociis in eremitorium de Brugliano, ubi in maxima paupertate vitam ducebant austerrimam, quae adhuc difficilior reddebatur per multos serpentes, qui eis ubique molesti erant. Ut se ab eis custodirent, induebant calepodia de lignis (zoccoli), quibus per longum tempus usa est familia Observantium, ex quo nomen sibi acquisivit *zoccolantium* (zoccolanti) vel *lignipedum.* Ast non omnes austeritatem sui magistri imitari poterant, quare tot redibant ad conventus, ut Paulus quandoque unicum tantummodo haberet socium, immo interdum nullum. Sincero tamen suo studio et perseverantia sua tantam sibi comparavit admirationem, ut iterum atque iterum fratres eum adirent, qui eum non amplius relinquebant. Eremitorium de Brugliano ampliari debuit et mox ulterius non sufficiebat. Anno 1373 iam decem domunculas occupaverant [3], ad quas paulo post accessit residentia apud S. Damianum prope Assisium. Haec omnia facta sunt consentiente ministro generali, etiamsi aliqui ministri provinciales et custodes in principio huic operi minime favebant. Contra hos superiores anno 1374 Gregorius XI severum edidit decretum [4], ex quo inter cetera etiam cognoscimus fratres reformatos regulam observasse *ad litteram.* Utrum haec intelligenda sint in sensu Spiritualium, vel, ut aliis verbis dicatur, utrum intenderint regulam observare sine declarationibus

[1] BF VI 291. [2] *Faloci Pulignani:* MF VI (1896) 97.

[3] Brugliano, Le Carceri, L'Eremita, Scarpola, Montegiove, Stroncone, Giano Greccio, Fonte Colombo, Poggiobustone. Cf. MF VI 112.

[4] BF VI 533.

Pontificiis, plus quam dubium est. Probabile enim est his verbis significari strictam praeceptorum exsistentium observantiam relate ad laxismum ubique grassantem, quod patet ex tota agendi ratione Pauli de Trincis et superiorum ordinis. Paulus enim procurabat sibi privilegia Pontificia, portabat vestes communitatis, accipiebat residentias stabiles, quin in ius proprietatis scrupulose inquireret, et pugnabat ubique maximo cum successu contra Fraticellos praetendentes se veros esse S. Francisci filios. Superiores econtra, dubiis solutis, considerabant in fratribus reformatis non factionem propriam, sed fratres eiusdem ordinis, qui excellebant ceteris zelo pro regulari observantia. His de causis fratres e domibus Pauli nulla re obstante transferri poterant in conventus communitatis, quod ipsi actioni reformatoriae proficere debebat. Igitur nota differens eosdem a ceteris neque vestis erat neque nomen — propriam enim appellationem non habebant —, sed tantummodo spiritus, qui a Paulo suisque sociis procedebat et grandes effectus producebat. Haec omnia mox superioribus innotuerunt, quare minister provincialis Paulum anno 1380 commissarium super duodecim conventus reformatos Umbriae constituit, adiungens anno 1384 facultatem recipiendi novitios. Minister vero generalis, Henricus Alfieri, nominavit eum anno 1388 commissarium generalem, concedens ei receptionem aliquarum domorum in Marchia Anconitana et facultatem mittendi fratres in omnes Italiae, Bosnae et Corsicae regiones, ut ibidem provincias bono spiritu fermentarent. Minime ergo tunc temporis intendebatur separatio, quae postea accidit, sed renovatio totius ordinis per fratres zelosos sperabatur. Ita res se habebant, cum Paulutius die 17 Septembris anni 1390 e vita discederet.

Eius successor factus est *Ioannes de Stronconio* († 1418), qui per prudentem moderationem extendere novit actionem reformatoriam. Concessum est ipsi, ut tamquam vicarius generalis fratres convocare posset ad capitulum, stante tamen iure inspectionis ex parte ministri generalis et provincialis, quo ipsi benevole sunt usi. His suppositis difficile est intellectu, quare Ioannes anno 1403[1] Pontificem adierit, petens, ut duo nova eremitoria cum ecclesiis, coemeteriis et officinis in Italia fundare posset sine licentia alicuius tertii. Patet quoque ex rescripto Pontificis in hac causa Ioannem solummodo pro domibus reformatis Umbriae et Marchiae fuisse commissarium generalem, quamquam in provincia Romana quoque exsistebant conventus refor-

[1] BF VII 164.

mati. Quapropter aliqui ministri provinciales restitisse videntur etsi non ipsis fratribus reformatis, tamen exemptioni eorum. Quidquid hoc sit, certum est numerum domorum reformatorum in tantum crevisse, ut circa annum 1414 iam 34 exsisterent, quibus anno sequenti (1415) coniuncta est *Portiuncula,* ea vero conditione, ut oblationes in ecclesia factae Sacro Conventui traderentur. Omnes hae residentiae erant eremitoria vel minores conventus extra urbes aedificati, quorum 200 habitatores quoad maximam partem erant laici, qui propriae studebant sanctificationi. Neque tamen totaliter deerant sacerdotes, qui in cura animarum quoque se occupabant.

Meliores adhuc evaserunt res, cum mox plures sacerdotes, excellentes praedicatores et docti reformationi se adiungerent, inter quos eminent „quattuor Observantiae columnae", praesertim *S. Bernardinus Senensis*[1], qui anno 1402 ordinem ingressus est in sua patria, unde mox in vicinum conventum reformatum de Colombaio se contulit, ubi regulam professus est. Hoc factum tunc temporis non putabatur transitus a Conventualibus ad Observantes, quia ambo adhuc unum efficiebant corpus. Postea mandante ministro generali Bernardinus praedicabat sub nomine quidem Fratris Minoris, sine aliqua appositione, plenus tamen spiritu, quem hauserat in conventu reformato. Mirum non est, quod ipse vi et efficacia suae eloquentiae spiritum hunc quoquoversus diffuderit, ubique tam sibi ipsi quam actioni reformatoriae auctoritatem comparans. Praeterea studuit introducere in domos Observantium scientias, ut vires asceticas reformationis magis expediret in bonum animarum. Ita Observantiae sequenti maxime omnium viam praeparavit, quo factum est, quod interdum celebraretur tamquam *fundator Observantiae*, quodque decurrente saeculo XV nomen Paulutii quasi penitus dispareret.

Clarissimus discipulorum eius erat *Ioannes a Capistrano*[2], qui anno 1414 Perusiae apud Observantes receptus est. Anno sequenti *Albertus a Sartiano* (Sarteano)[3] se subdidit regimini S. Bernardini, postquam per decem annos in conventibus non reformatis vixit.

---

[1] A. SS. Mai. V 257; VII 821. Anal. Boll. XXII (1902) 53. *P. Thureau-Dangin,* S. Bernardin de Sienne[3], Paris 1896. *F. Alessio,* Storia di S. Bernardino e del suo tempo, Mondovi 1899. Cf. *Chevalier* 570.

[2] A. SS. Oct. X 269 915. *A. Hermann*, Capistranus triumphans, Coloniae 1703. *L. Kerval,* S. Jean de Cap., son siècle et son influence, Paris 1887. *E. Jakob,* Joh. v. Cap., Breslau 1903—1905. *Chevalier* 2379.

[3] *B. Neri,* La vita e i tempi del B. Alberto da Sarteano, Quaracchi 1902. Sbar. SS. 7.

Denique anno 1416 *Iacobus de Marchia*[1] Portiunculae se adiunxit Observantiae.

Quattuor hi viri, etsi indole diversi, tamen eodem studio pleni, actionem reformatoriam firmiter ducebant per omnia pericula, quae proximis decenniis durantibus instabant.

§ 19. Historia domorum reformatarum in Hispania et Lusitania usque ad concilium Constantiense[2].

Maxima obscuritas, etiam inter chronistas Hispanos ipsos, viget circa initia Observantiae in Hispania, quare pro sequenti tractatu usi sumus tantummodo diplomatibus Pontificiis. Per hoc quidem eveniet, ut non omnes evolutionis observantiae phases comperiamur, attamen firmos inveniemus terminos, qui possibilem efficient viam rectam per labyrinthum chronicarum. Peninsula Iberica durante saeculo XIV divisa erat in tres provincias, sitas a regione septentrionali ad meridionalem, quae vocabantur: provincia Portugalliae (S. Iacobi), provincia Castiliae et provincia Aragoniae. In omnibus his provinciis exsistebant circa annum 1400 domus reformatae, quae independenter ab invicem ortae esse videntur.

Plurimum passa erat tempore schismatis *provincia S. Iacobi,* cuius pars, quae hodie dicitur Lusitania, non oboediebat Pontifici Avenionensi, sicut regnum Castiliae et Aragoniae, sed Pontifici Romano, quo facto in ipsa provincia ortum est schisma producens deordinationes omnis generis. Igitur Bonifatius IX anno 1398[3] ministrum provincialem Angliae adiit, ut visitatores mitteret in hanc provinciam, quia minister generalis adversus omnia monita nihil in hac re egisset. Hoc tamen facile est intellectu, quia magna illius provinciae pars non ipsi, sed Ioanni de Chevegneyo oboediebat. Quapropter fratres observantiae studiosi, qui pertinebant ad oboedientiam Romanam, male iniquitate rerum contenti, secedere a ceteris conati sunt. Iam anno 1392[4] fratres Didacus Arias, *Gundisalvus Marini* et Petrus Diaz licentiam a Bonifatio IX acceperant ducendi vitam eremiticam in loco postea aedificando. Intra annos sequentes Gundisalvus plures adhuc residentias fundavit pro sociis de novo advenientibus, qui vero

---

[1] *G. Nicolai,* Vita storica di S. Giacomo della Marca, Bologna 1876. *Léon,* Vie de S. Jacques de la Marche, Paris 1894.

[2] BF VII passim. *Cornejo-Gonzalez,* Chronica Seraphica V—VI VIII. Appendix 28. Gub. I 657; II 27.

[3] BF VII 85. [4] Ibid. 29.

brevi post oboedientiae Avenionensi se subdiderunt, petentes anno 1407 a Benedicto XIII, ut ratificaret domos sine licentia Sedis Apostolicae erectas [1]. Annuit hic precibus, dolens, quod fundator ipse adhuc persisteret in oboedientia Romana. De cetero nescimus, quales leges observaverint hi fratres et quomodo se distinxerint a ceteris. Novimus praeterea anno 1407 domum *S. Antonii* prope Ulissiponam occupatam esse a fratribus, qui se appellabant „de Observantia" [2], quod traditur etiam de magno conventu *Ovetensi* (Oviedo), qui certe iam anno 1409 transiit ad strictiorem observantiam regulae [3]. Praeter eremitorium *S. Mariae de radicibus* prope Ovetum, quod anno 1413 Ferdinandus Gundisalvi fundavit [4], de studiis reformatoriis in hac provincia usque ad concilium Constantiense nihil amplius innotescit. Si ex edicto edito anno 1427 concludere licet in praeteritum, Observantes huius provinciae valde se occupabant in libris et scientiis [5].

In *provincia Aragoniae* iam anno 1389 aliqui fratres a legato Pontificis licentiam ducendi vitam eremiticam sine permissu superiorum obtinuisse et domus de *Xelva* et *Mantanera* fundasse dicuntur. Certum est has communitates „sub regulari Observantia" [6] vixisse iam ante annum 1424, quo constituebant propriam custodiam simul cum residentia *S. Spiritus in Eremo* [7], fundata anno 1403 a Maria regina prope locum Murviedro et cum domo *S. Mariae de Angelis* [8], fundata anno 1413 prope locum Segorbe a guardiano conventus de Murviedro, Bernardo Escoriola, et a fratre Bartholomaeo Borraz. Utraque domus iam ante annum 1424 amplas habebat exemptiones, quippe quae guardianum suum triennalem ipsa eligeret, fratres recipere et ad professionem admittere posset et libera esset ab obligatione conferendi pecuniam in bonum provinciae. Ex anno denique 1424 hae quattuor communitates *proprium* sibi eligebant *custodem*, qui practice independens erat a ministro provinciali. Intendebant autem tam strictiorem regulae observantiam quam studium theologicum et officium praedicationis.

Maxime necessaria et penetrans reformatio videtur fuisse in *provincia Castiliae.* Iam anno 1374 duo fratres Aquitani visitaverant mandante Pontifice hanc provinciam et deposuerant finita visitatione

---

[1] BF VII 355. Reperienda sunt in hoc diplomate nomina conventuum reformatorum. Cf. ibid. 404.

[2] Ibid. 685. [3] Ibid. 388. [4] Ibid. 379.

[5] Ibid. 675. [6] Ibid. 615. [7] Ibid. 321.

[8] Ibid. 379.

ministrum provincialem [1]. Dubium est, an tunc temporis iam initum sit consilium, quod commemoratur anno 1413 [2], quod scilicet in unaquaque custodia erigenda esset domus, in qua fratres vivere possent ac deberent „secundum regulam et totalem traditionem B. Francisci". Hucusque saltem desunt argumenta, quibus probare possimus hoc decretum, casu quo revera editum sit, exsecutioni esse mandatum. Demum unius hominis aetate post invenimus ibidem domos reformatas, quae tamen non uno eodemque modo erant organizatae, sed ad diversas pertinebant congregationes.

Primae congregationi annumerandae sunt: domus *S. Francisci de Villaverde* fundata ad minimum anno 1401 [3] in dioecesi Hispalensi; residentia *S. Michaelis a Monte* fundata ante annum 1407 [4] in dioecesi Cuenca, et domus *S. Mariae de la Rabida,* quae anno 1412 in dioecesi Hispalensi erecta est a Ioanne Roderici [5]. Istae tres communitates paene eisdem legibus et privilegiis usi sunt [6], viventes „sub regulari Observantia" cum declarationibus Pontificiis et statutis ordinis. Sacerdotes eorum suscipiebant labores in cura animarum. Superiores locales, qui mox vocantur guardiani mox vicarii, in principio nominabantur a ministro generali vel provinciali, ex anno tamen 1417 eligebantur a fratribus, saltem in residentia S. Francisci de Villaverde. Hic guardianus fungebatur officio delegati provincialis, poterat admittere fratres ad professionem et inhabiles remittere ad ministrum provincialem.

Simili modo dispositae erant constitutiones eremitorii *S. Francisci de Arrizafa* [7] fundati a Ferdinando de Rueda prope Cordubam, in quo *S. Didacus* [8] ad habitum admissus est. Fratres ibidem degentes non potuerunt amoveri contra suam voluntatem, quamdiu vivebant in observantia regulae et declarationum Papalium, quod valebat etiam pro fratribus eremitorii *S. Mariae del Castamar* [9], quod anno 1415 Garsias de Roales in dioecesi Toletana erexit.

Maioris momenti erat introductio reformationis in quasdam custodiae Segoviensis residentias. Percurrentes Bullarium ordinis invenimus iam anno 1413 fratres in conventu de *Cuellar* [10] regulam iuxta declarationes Pontificum stricte observantes, qui hoc anno ab inspectione custodis totaliter exempti sunt, quo privilegio omnes Observantes gavisi esse videntur. Sed et ministri provincialis facul-

[1] BF VI 543. [2] BF VII 384. [3] Ibid. 404.
[4] Ibid. 332. Cf. 694. [5] Ibid. 378. [6] Ibid. 404 711. [7] Ibid. 391 399.
[8] *Cornejo-Gonzalez,* Chronica Seraphica VI 292. W X 138; XIII 281.
[9] BF VII 393. [10] Ibid. 382.

tates restrictae sunt, quippe qui stipes pecuniae ab eis exigere ulterius non valeret et guardianum confirmare deberet, quem communitas istius conventus ipsa sibi singulis annis eligebat. Hic guardianus gaudebat iure recipiendi fratres et remittendi inhabiles ad ministrum provincialem, qui ipse e conventu Observantium neminem poterat amovere contra propriam voluntatem. „Fratribus conventualibus" residentiae *Medinae del Campo,* qui iam ab aliquo tempore vivebant „sub regulari observantia", concessa sunt anno 1414 eadem privilegia[1]; similiter anno 1417 conventui de *Arévalo*[2]. Ex quo tempore hi tres conventus iam introduxerint vitam reformatam, nescimus; certum vero est quartum conventum de *Santander,* qui postea eis se adiunxit, reformatum esse anno 1417, quo tempore etiam privilegia ceterorum adeptus est[3].

Brevi ante conventus S. Dominici de *Silos* eisdem privilegiis acceptis vicinum eremitorium de Aguilera sibi incorporare studuerat[4]. Hac in re restitit ei *Petrus Villacretius* (de Villacreces), fundator huius residentiae, quod patet ex decreto Pontificis, in quo incorporatio solummodo consentiente ipso conceditur, quo recusante privilegium non ante eius mortem confirmari posset. Petrus Villacretius a chronicis fundator Observantiae in Hispania dicitur. Ipse in diplomatibus Pontificiis primum occurrit anno 1396, quo in gradu baccalaurei constitutus Benedictum XIII adiit, ut ad magisterium theologiae promoveretur[5]. Concessa est ei haec petitio, quod patet ex litteris eiusdem Pontificis datis anno 1413, quibus Villacretio mandatur reformatio conventus *S. Facundi* (Sahagun)[6], qui iuxta decretum capituli provincialis constitutus erat pro fratribus reformatis. Quia vero haec ordinatio exsecutioni non est mandata, Villacretius cum aliquibus sociis ad Pontificem confugit, qui conventui S. Facundi eadem concessit privilegia, quibus conventus reformati custodiae Segoviensis gaudebant, ex quo concludere licet Villacretium in evolutionem illarum quoque domorum influxum exercuisse, etsi hucusque certa pro hac coniectura argumenta desint. Certe ei ascribenda est fundatio eremitorii de Aguilera; de ceteris, praesertim de clarissimo illo conventu *S. Mariae de la Salzeda,* nihil patet ex diplomatibus Pontificum eius temporis, neque commemorantur in ipsis discipuli eius, *S. Petrus Regalatus,* qui vivebat in eremitorio de Aguilera, *Lopez de Salezar* et *Petrus de Santoyo.* Quo iure haec actio refor-

---

[1] BF VII 387. [2] Ibid. 405. [3] Ibid. 403.
[4] Ibid. 402 A. [5] Ibid. 305. [6] Ibid. 384.

matoria postea vocata sit *Recollectio Villacretiana,* indecisum maneat; certum saltem est vitam in illis conventibus usque ad annum 1417 nulla in re discrepasse a regulari Observantia.

Econtra quidam alii Villacretii aequales non obstante apparentia externa vix dici possunt Observantes, quia privilegia sibi comparaverunt, quae Observantiam magis destruere quam promovere debebant. Ad numerum eorum pertinent Ferdinandus de Villaquiran [1], Gometius Fernandi [2] et Ferdinandus de Illescas [3], qui etiam Clarissarum reformator fuisse traditur.

Inter veros ordinis reformatores numerandi sunt *Petrus de Pernia* et *Ioannes de Baeza,* qui anno 1416 a Pontifice licentiam acceperunt fundandi conventum in una ex insulis Canariis, *Fuertaventura* nomine, cuius guardianus singulis annis a fratribus eligendus et a ministro provinciali Castiliae confirmandus esset [4]. Anno 1423 Ioannes de Baeza erectis tribus novis residentiis in vicinis insulis constitutus est a Martino V vicarius generalis pro insulis Canariis [5].

Haec valida actio reformatoria simul cum exemptionibus a Sede Apostolica concessis necessario magnos excitabat motus in provincia Castiliae, eoque magis, cum praeter residentias, quas iam nominavimus, etiam aliae domus, e. g. *Castro de Ordiales* (1406) [6] et *Soria* (1415) [7], acciperent reformationem, quin tamen ceteris conventibus Observantium se adiunxisse videantur. Mirum igitur non est, quod haec provincia in rescripto Pontificio anni 1417 divisa appareat in duas partes [8]. Benedictus XIII enim definit, ut in proximo capitulo provinciali pro parte non reformata duo fratres zelosi constituendi essent visitatores, qui, si necessarium esset, etiam contra ministrum provincialem procedere possent. Similiter decernit, ut Observantes insimul pro singulis trienniis duos visitatores eligere deberent, qui respectu Observantium gauderent iuribus ministri provincialis, cui tamen rationem reddere tenerentur. Superiores locales domorum reformatarum a fratribus eligendi sunt et a ministro provinciali atque visitatoribus confirmandi. Praedicatores et lectores pro domibus Observantium instituendi sunt eodem modo ac pro ceteris conventibus.

Patet ex dictis, quod probari non possit Observantiam in Hispaniam introductam esse ab extra, quodque in hac ordinis parte actio reformatoria usque ad concilium Constantiense maioris fuerit momenti et extensionis quam in Italia. Per descriptionem magis explicatam

---

[1] Ibid. 369. [2] Ibid. 403. [3] Ibid. 373. [4] Ibid. 395.
[5] Ibid. 591. [6] Ibid. 341. [7] Ibid. 392. [8] Ibid. 401.

huius actionis — quae enim narravimus longe non omnia comprehendunt — forsitan magnum lumen ad historiam evolutionis totius Observantiae admovebitur.

§ 20. Historia actionis reformatoriae in Gallia usque ad concilium Constantiense[1].

Mirum est, quod actio reformatoria in utraque provincia Franciae meridionalis, in Provincia (Provence) scilicet et Aquitania, ultima omnium sit coepta. De Provincia namque, in qua tot olim fuerant Spirituales usque ad concilium Constantiense, nihil omnino innotescit, de Aquitania vero exiguus tantummodo conatus anno 1402 a Petro de Villanova factus esse videtur[2]. A Bonifatio IX enim, cui oboediebat pars Anglica Aquitaniae, accepit ipse cum aliquibus sociis facultatem fundandi duas residentias, in quibus regula „spiritualiter", i. e. (sicut apponitur), iuxta declarationes Pontificum observanda esset. Attamen neque hoc exsecutioni mandatum esse videtur, quia postea nihil amplius audimus de hac reformatione, et quia Petrus ipse anno 1408 tamquam capellanus Gregorii XII ex historia disparet.

Plura scimus de reformatione trium provinciarum septentrionalium, Burgundiae, Franciae et praesertim Turoniae, in qua Observantia forse iam anno 1358 incipiebat[3]. Certum saltem est iam anno 1388[4] aliquos fratres deordinationum in provincia pertaesos iuxta mandatum regulae recurrisse ad ministrum generalem, qui eosdem ad *Ioannem Philippi*, ministrum provincialem, remittebat. Hic ipsis magno cum gaudio susceptis concessit conventum in loco *Mirabeau,* in quo quieti sub guardiano reformato vivere poterant. Inde reformatio propagata est in residentias de *Laval* et *Bressuire*[5] de novo fundatas et in alios conventus iam pridem erectos. Quicumque ibidem regulam „ad litteram", i. e. „iuxta traditiones et declarationes Apostolicas" observare nolebat, cedere debebat fratribus Observantiae studiosis[6]. Dolendum est, quod aurea haec aetas desierit moriente Ioanne Philippi ministro provinciali.

---

[1] BF VII passim. Quaerimoniae propositae in concilio Constanciensi: Spec. III 151. W IX. Gub. II 17; III 78.

[2] BF VII 142.

[3] *Jacq. Fodéré,* Narration historique et topographique des convens de l'ordre de s. François . . . en Bourgogne, Lyon 1619, 653.

[4] Spec. III 153. W IX 80. [5] BF VII 311 329 343.

[6] BF VII 349. *Eubel,* Avign. Obed. 145, n. 1077.

Similiter in provincia Franciae reformati erant circa annum 1400 conventus de *Amiens* et *Péronne,* quibus anno 1406 a Pontifice mandatum est, ut introducerent observantiam in conventum de *Hesdin*[1]. Possibile est, quod hoc in negotio influxum exercuerit decisivum S. Coleta, sicut accidit in reformatione conventus de *Dôle* in provincia Burgundiae[2].

Rem magni momenti susceperunt fratres reformati trium istarum provinciarum, cum anno 1407 ducentibus communitatibus de Mirabeau et Bressuire Benedictum XIII adirent, ut sibi auxilium ferret contra ministros provinciales, impedientes vitam secundum principia Observantiae. Papa enim mandavit Ioanni Bardolini, ut eximeret hos conventus reformatos a iurisdictione ministrorum provincialium et constitueret vicarium provincialem e gremio reformationis[3].

Anno sequenti, postquam conventus in locis *St. Jean d'Angely* et *Loches* reformationem introduxerunt[4] et conventus in locis *Cholet* et *Fontenay-le-Comte* de novo fundati sunt[5], Papa ulterius est progressus, mandans die 13 Maii anni 1408, ut *Thomas a Curte* institueretur vicarius generalis Observantium in his tribus provinciis exsistentium, quia decretum anni praecedentis non erat exsecutum[6].

Etiam Alexander V vicarium generalem hoc modo institutum in principio comprobavit et concessit ei fundationem novae residentiae in loco *Amboise.* Sed iam duabus hebdomadibus post sustulit exemptiones a suo praedecessore datas[7], exprobrans Observantibus (pro quibus universitas Parisiensis modo favorabile tulerat votum[8]), quod proprias portarent vestes, quod legitimis superioribus negarent oboedientiam, quodque adiuvantibus magnis fautoribus privilegia sibi compararent a Sede Apostolica, quae accusationes postea quoque in decursu huius saeculi centies sunt repetitae. Patet, quod hoc decretum poena excommunicationis sancitum intra limites oboedientiae Pisanae tantummodo successum habuerit, quare in Hispania omnia remanserunt sicuti prius. Alexandro mortuo Observantes Ioannem XXIII successorem illius adierunt, qui causam tradidit Cardinali protectori, quo factum est, ut per breve tempus iterum acciperent vicarium generalem, Nicolaum de Britannia minori (Bretagne), qui vero mox instigantibus ministris iterum est sublatus. Anno enim 1414 Ioannes

---

[1] BF VII 347.

[2] A. SS. Mart. I 534. *A. Pidoux,* S. Colette, Paris 1907, 81.

[3] BF VII 350. [4] Ibid. 358 360. [5] Ibid. 355 359. [6] Ibid. 361.

[7] Ibid. 417.

[8] *[Magister Yvo,]* Ocularia et Manipulus Fr. Min., Parisiis 1582, pars tertia.

decretum sui antecessoris renovavit, inculcans simul ministris provincialibus officium non inquietandi Observantes in suis studiis.

Ast ministri provinciales in tantum neglexerunt hoc mandatum, ut in quibusdam conventibus magnae perturbationes acciderent et scandala. Auxilio ministri generalis in vanum implorato 200 circiter Observantes, in quibus multi erant sacerdotes, praedicatores, immo et multi gradibus academicis insigniti, *concilium Constantiense* adierunt, pessimum describentes statum ordinis in Gallia. Quapropter supplicaverunt, ut eis liceret observare regulam iuxta declarationes Pontificum exceptis illis privilegiis nocivis, quae solummodo rixas excitarent inter clerum et ordinem. Non novos conventus esse fundandos, sed veteres reformandos. In unaquaque custodia duo conventus tradendos esse fratribus reformatis, quibus quilibet frater se adiungere posset, immo et quilibet conventus, cuius maioritas id exigeret. Casu quo in aliqua provincia duodecim conventus reformati exsisterent, ipsis ius esse concedendum eligendi proprium ministrum provincialem, qui subesset ministro generali aeque ac ceteri; secus propriam saltem custodiam esse constituendam, cuius superior ministro provinciali subesset sicut ceteri custodes. Subscripserant huic petitioni ex provincia Turoniae conventus de Laval, Clisson, Amboise, St. Jean d'Angely, Bressuire, Cholet et Fontenay-le-Comte; ex provincia Burgundiae conventus de Dôle et ex provincia Franciae conventus de Séez, Saint-Omer et Varennes, qui hoc loco primum vocantur conventus Observantium. Concilium Constantiense, quod reformationem ecclesiae sibi proposuerat, prompte suscepit hanc causam. Quapropter omnibus perpensis a commissione, ad quam pertinebant Cardinalis protector, vicarius ministri generalis et complures theologiae magistri, litigantes his sub condicionibus sunt pacti[1]: conventus supra memorati, quibus adiungitur conventus de Mirabeau, quia ibi „stricta Observantia regularis" coeperat, in unaquaque provincia proprium eligere possunt vicarium provincialem, qui a ministro eiusdem provinciae confirmari quidem debet, de cetero autem Observantes independenter gubernat. Competit tamen ministro provinciali ius visitationis, qua durante fratres punire potest consentientibus quibusdam Observantibus probatis. Hi tres vicarii provinciales simul cum delegatis conventuum proprium eligere possunt *vicarium generalem,* qui eisdem iuribus gaudet ac minister generalis, a quo confirmari debet. Pro prima vice concilium ipsum talem con-

[1] BF VII 493.

stituit vicarium *Nicolaum Rodolphe.* Salvum vero manet ius inspectionis ex parte ministri generalis, qui Observantes quoque visitare et punire potest. Si maioritati fratrum vicarius quidam provincialis vel generalis inhabilis videbitur, simpliciter deponi potest. Ipsorum principale officium est, sartam tectamque servare observantiam regulae iuxta declarationes Pontificum in conventibus sibi subditis atque removere et vendere superflua, quae paupertati non conveniunt. Praeterea decrevit concilium, ut imposterum tam singuli fratres quam integrae domus iuxta beneplacitum maioritatis reformationem accipere et vicario generali se submittere possent, a cuius oboedientia postea recedere non liceret sine ipsius expresso consensu. Permittitur tamen, ut conventus reformati persistant apud ministrum provincialem, exceptis conventibus in diplomate nominatis, pro quibus exemptio est lex.

Decretum concilii Constantiensis magna erat *Observantiae victoria.* Nihilominus dubitandum est, utrum ipsa non sit dolenda respectu boni totius ordinis. Nam decisio concilii, quae postulata Observantium adhuc excessit, viam aperuit, quae aliquando schisma in ordinem introducere debebat, idque modo animos superiorum laedenti. Exemptio quippe fratrum reformatorum a ministris provincialibus nihil aliud significare poterat quam ipsorum inhabilitatem vel aversionem relate ad reformationem introducendam. Numquid hoc revera contigit? Observantes hoc praefracte affirmabant, saltem illi, qui concilium adierant. Notandum tamen est non omnes residentias reformatas, immo fortasse nec maioritatem earum [1], petentibus se adnumerasse. Ne domus matrix de Mirabeau quidem eis interfuit, sed quasi vi, etsi honorifico modo, congregationi exemptae adiuncta est. Concludere ergo licebit ex his omnibus Observantes ipsos circa recursum ad concilium discordasse [2]. Accedit, quod coniunctio undecim domorum recursum capientium non totaliter probe sit perfecta, quia ambitiosi toti causae interfuere. Ita saltem fratres conventus de Dôle tradunt, qui anno 1426 iterum se submiserunt ministro provinciali [3]. Etiam conventus de St. Jean d'Angely iam anno 1418 cum ministro generali discrepabat, quia exemptionem non comprobabat [4].

Maxima tamen huius eventus culpa imponenda erit tribus ministris provincialibus tunc temporis ibidem regnantibus, qui, si pares fuissent officio, quod post abolitionem exemptionis per Alexandrum V

---

[1] Firm. I 34. [2] Cf. *J. Fodéré,* Narration 160 163.
[3] BF VII 660. [4] Ibid. 507.

illis contigit, decretum concilii Constantiensis supervacaneum reddidissent. Hi enim domus Observantium sibi iterum subiectas non solum non protexerunt et reformationem non adiuverunt, sed fratres zelosos represserunt. Irati quippe erant de exemptione, quam Observantes contra suam voluntatem pridem sibi procuraverant, forsitan quoque, quia aliqui fratres reformati insolenter se gesserant versus communitatem. Sed neque his omnibus obcaecari debuerunt erga bonum, quod actioni reformatoriae inerat, quodque bene cultum toti ordini poterat esse utilitati. Huic officio ministri intra annos 1409 ad 1415 non satisfecerunt. Igitur magnae Observantium parti videbantur adversarii studiorum reformationis, sine quibus vel forte etiam contra quos perficienda esset regulae observantia. Consensit concilium totaliter huic sententiae et eximebat illos ab oboedientia erga ministros provinciales; sed ulterius quam ipsi petentes intenderant, progressum est solvens eos a capite ordinis per institutionem proprii vicarii generalis. Hoc modo minister generalis quasi coactus est fieri adversarius Observantiae et vitricus meliorum e filiis suis. Fides ex utraque parte debilitata erat et reformatio victoriam prosequi debebat pugnando contra ordinis caput.

Fatali hoc decreto edito, Observantia proficere conabatur in via a concilio praescripta. Anno 1416 vicarius generalis in conventu de Bressuire capitulum celebravit, cuius decreta clare nobis proponunt tendentias Observantiae in Gallia[1]. Constitutiones generales et declarationes Pontificum servari debent exceptis dispensationibus relate ad praeceptum pecuniae non acceptandae. Fratres in quantum possibile remaneant in conventibus, nisi officium, e. g. praedicatio verbi divini, eos cogat exire. Lectores diligenter fratres habiles in diversis instituant disciplinis, ceteri vero fratres laborent de laboritio manuum. Omnes contentiones cum parochis et praelatis ecclesiasticis scrupulose vitentur. Paupertas ubique, praesertim in ecclesiis et conventibus, stricte observetur. Quoad vestes superiores dispensare possint. Denique capitulum affirmat haec omnia nihil novi continere, sed esse tantummodo renovationem praeceptorum iam pridem exsistentium, ne quis exprobrare posset Observantes esse transgressores statutorum vel inventores novarum obligationum.

Patet ex his Observantes Gallos nihil aliud intendisse quam exsecutionem constitutionum ordinis et reformationem disciplinae relaxatae. Ipsi non erant eremitae, sed vivebant in communitate

[1] Gub. III 79.

studentes curae animarum et scientiis, quo differunt ab Observantibus Italis, qui postea demum secuti sunt exemplum fratrum Gallorum et partim quoque Hispanorum. Falsum ergo videtur affirmare Observantiam ab Italia ultra Alpes propagatam esse.

§ 21. A fine concilii Constantiensis usque ad capitulum generale anni 1430[1].

Concilio finito ordo mox capitulum generale celebravit Mantuae, in quo sub gravi poena vetitum est, ne quis ad personas ad ordinem non pertinentes recurreret, ut aliquam in ipso mutationem adduceret. Omnes fratres suis ministris provincialibus oboedire, capitulum provinciale frequentare et guardianum accipere teneantur, qui eis a capitulo praeponitur. Hoc bene erat ordinatum, sed in vanum, quia auctoritas concilii et Pontificis aliud decreverat. Observantes Galli enim minime erant contenti de pura admonitione facta ad ministros provinciales, ut benigne tractarent fratres reformationi studiosos, sed vindicabant sibi suam exemptionem, usquedum reformatio ordinis in capite et membris perfecta esset, quia secus Observantia iterum deleretur[2]. Ut tutiores esse possent, adierunt Martinum V, ut decretum concilii Constantiensis confirmaret, qui anno 1420 eis obsecundavit, ut liberarentur ab infestationibus ministrorum provincialium[3]. His suppositis intelligi non potest, quomodo capitulum generale anno 1421 in Foro Iulii (Forli) congregatum excommunicare potuerit fratres, qui non ministris sed vicariis oboediebant[4]. *Angelus Salvetti* in hoc capitulo electus minister generalis per magnam praeceptorum multitudinem reformationem alere et incredibiles abusus respectu paupertatis abolere studuit, sed sine successu, quia in fine capituli decretum est, ut minister generalis eas provincias dispensare posset, in quibus exsecutio istarum ordinationum difficultatibus esset coniuncta; et per puram formulam „salva semper ordinis bona reformatione" res melior non evasit.

Angelum Salvetti, qui primus ministrorum generalium tamquam abbas titularis de Palignano in Italia inferiori insignia portabat

---

[1] AF II 271. BF VII 496. *L. Lemmens*, B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantiae, Romae 1902, 16. W X. Gub. III 81.

[2] Magistralis quaestio *Ioannis Brixii*, doctoris Parisiensis, super decreta concilii Constanciensis. Invenitur saepissime tamquam appendix ad diversas editiones libri *Minorica elucidativa*, e. g. ed. Venetiis 1505, fol. 40. Compositus est hic tractatus circa annum 1434. W X 213.

[3] BF VII 534. [4] AF II 277.

abbatialia[1], secutus est *Antonius de Massa,* electus anno 1424 in capitulo generali Ferrariensi, qui publicus erat Observantiae adversarius[2]. Augebat decreta contra Observantes sub propriis vicariis viventes praecipiendo, ut excommunicatio contra illos lata promulgaretur in ecclesiis. Patet, quod tali per leges non licito modo agendi studia contradictoria creverint. Capitulum Casalense (Casale) anni 1427 eadem ratione permotum in memoriam revocavit poenas a Ioanne XXII latas contra illos, qui vestes a communi usu differentes portarent, et vetuit, ne quidquam apponeretur ad nomen „ordinis Fratrum Minorum", quod ordini ab ipso fundatore impositum fuisset. Observantes enim quarundam regionum, ut ad extra quoque a communitate differrent, proprios portare habitus coeperant et imponere sibi titulum „de Observantia", quo diplomata Pontificum iam ex decenniis usa erant. Minime tamen putandum est fratres reformatos tunc temporis iam concordes fuisse in suis studiis. Nam chronista quidam nobis tradit: „Coeperunt diversi diversimode vivere" [3], quo factum est, quod multae orirentur contentiones scandalosae, quodque actio ipsa totam vim suam explicare non posset.

Nihilominus numerus Observantium semper crevit, non solum in ditionibus, in quibus illi iam exsistebant, sed etiam alibi, ubi hucusque vix noti fuerant, e. g. in Germania, *Austria*, *Hungaria,* Polonia etc. Iam circa annum 1380 observantes in Hungaria exstitisse dicuntur[4]; certum saltem est in principio saeculi XV numerum domorum reformatarum ibidem sub Sigismundo Imperatore crevisse[5]. Observantes Hungari sicut Galli quoque regulam iuxta declarationes Pontificum et traditiones ordinis „ad litteram" observare volebant, quare „fratres de Observantia" appellabantur. Non tamen exempti sunt a iurisdictione ministri provincialis vel generalis, sed tantummodo a iurisdictione custodis. Tandem progressus maioris momenti Observantia in Austria, Hungaria et Polonia circa annum 1450 faciebat, quando Ioannes Capistranus ibidem causam ipsius suscepit[6]. Observantes ipsi his in regionibus postea nomen *Bernardinorum* acceperunt, iuxta nomen S. Bernardini, cui ascribebatur fundatio Observantiae.

In *Germania* reformatio ordinis coepisse videtur in Marchia *Brandenburgensi.* Domus ibi exsistentes anno 1428 a Pontifice facultatem impetrarunt eligendi pro singulis trienniis vicarium provincialem, qui

---

[1] *L. Palomes,* Dei Frati Minori 475. [2] Firm. I 34.
[3] AF II 288. [4] ALKG IV 189. [5] BF VII 605 627 666.
[6] *Ioannis de Komorowo* Tractatus cronice fratrum minorum observancie, ed. *X. Zeissberg:* Archiv für österr. Geschichte XLIX (1872) 332 341.

suberat inspectioni ministri generalis [1]. In *Germania superiori* adiuvantibus fratribus ex provincia Turoniae [2] primus reformatus est conventus *Heidelbergenis* (1426), qui iam anno sequenti facultatem adeptus est eligendi proprium vicarium, de cuius relatione ad ministrum provincialem et generalem plura desiderantur. Anno 1428 reformatus est conventus Metensis [3], ex quo tempore Observantia ducente *Nicolao Caroli* maiores faciebat progressus in hac ordinis parte.

In provincia *Bosnae* mature introduci coepta est Observantia, quae iam in principio saeculi XV dicebatur prior reformatione Itala [4]. Testimonia tamen fide digna non pertingunt ultra saeculum XV [5].

Verisimile est Observantiam a Bosna circa annum 1427 propagatam esse in vicarias *Russiae* et *Tatariae* [6]. Rector harum missionum, Franciscus de Spinolis, qui fuit simul vicarius provincialis earundem regionum, ipse pro introductione reformationis curam gerebat, quod tamquam exceptio commemorari meretur.

In *Gallia* fratres reformati novas semper acceperant residentias, sed etiam discordia inter ipsos et communitatem creverat, non sine Observantium culpa. Anno enim 1421 Pontifex prohibere debuit, ne persequerentur illos fratres, qui oboedientia vicariorum relicta ad ministros provinciales recederent [7]. Anno sequenti ministro Burgundiae contigit, ut Martinus V prohiberet extensionem ulteriorem Observantiae in illa provincia [8], quo factum est, ut actio reformatoria in Burgundia ad tempus saltem consisteret.

In *Hispania* vero Observantia sub protectione privilegiorum, quae iam adduximus, secure semper proficiebat ita, ut etiam in regnum Marochiae translata sit, ubi ex anno 1420 *Ceutae* residentiam reformatam invenimus [9]. Ad provinciam Aragoniae anno 1425 decretum concilii Constantiensis est extensum [10]. In Castilia anno 1427 necessarium ducebatur restringere ipsam actionem per pactum inter Observantes et *Claustrales* [11] (quod nomen hic primum invenitur in diplomate publico). Non patet, immo dubium est, utrum haec capituli sententia perfecta sit consentientibus Observantibus, quippe quorum

---

[1] BF VII 699.

[2] BF VII 640 659 684. AF II 282. Cf. *K. Eubel*, Gesch. d. oberdeutsch. Minoritenprovinz, Würzburg 1886, 61; *P. Schlager*, Beiträge zur Gesch. der köln. Franziskanerprovinz, Köln 1904, 78.

[3] BF VII 710. [4] *Bernardini Aquil.* Chronica 11. [5] BF VII 506.

[6] Ibid. 670. [7] Ibid. 554. [8] Ibid. 581.

[9] Ibid. 497 514 533 537 553 562 646 658 702. [10] Ibid. 632.

[11] Ibid. 692.

iura restringerentur. Igitur per auctoritatem Pontificis hoc pactum in tuto ponere conabantur, sed sine stabili successu. In hoc forsitan inquirenda est causa, quare anno 1428 aliqui fratres cum suis guardianis Pontificem adierint[1], ut eis licentiam concederet observandi in „habitu originali“ regulam S. Francisci ad litteram, quia ipsa per declarationes Pontificum et decreta capitulorum varie esset modificata et dispensationibus enervata. Addunt, quod ipsi timerent, ne a superioribus, qui has declarationes sequerentur, impedirentur et tamquam inoboedientes punirentur, nisi Pontifex misericorditer eis faveret. Martinus V obsecutus est ipsis laudans eorum zelum. Haec non concordant cum ratione agendi Observantium Hispanorum, quare vel de ortu novae congregationis agi videtur vel de nova propagine ex Observantia, forsitan de „recollectione Villacretiana“, quae post mortem magistri et ducis hoc modo evolvi potuit.

Observantes proprie dicti, sicut iam saepius commemoravimus, a principio insistebant legibus iam latis, i. e. regulae cum declarationibus authenticis, nihil aliud cupientes quam abolitionem abusuum, qui in totam regularem disciplinam, praesertim in observationem paupertatis irrepserant. Latifundia, proventus annui et peculium non amplius erant exceptiones rarae in ordine, quippe quae ab ipsis Pontificibus quibusdam fratribus vel conventibus essent concessa. Scopus ergo Observantium erat, ut occurrerent huic ruinae, non vero ut paupertatem in sensu Spiritualium iterum introducerent. Hoc enim facto omnes pugnae priorum temporum renovari debuissent, ad quas auferendas Pontifices ipsi intervenerant edentes illas declarationes, quae factae sunt leges ordinis fundamentales et conditio sine qua non pro unitate ordinis. Eo difficilior est intellectu agendi ratio Martini V relate ad fratres supra memoratos. Et proh dolor! saepius adhuc in decursu saeculorum talia acciderunt. Igitur non pro omnibus schismatibus in ordine factis inculpari potest ordo ipse, qui saepe omnibus viribus contra illa se defendebat, ast sine successu, quia maior auctoritas schismaticos adiuvit. In omnibus ordinibus inveniuntur membra proclivia ad segregationes et extrema, quae, si semper apud supremas auctoritates adiutorium invenissent, in omnibus ordinibus unitatem scidissent.

Haec omnia semper bene attenderunt magni duces *Observantiae in Italia,* qui studio indefesso laborabant in eius propagatione; suc-

[1] BF VII 702.

cessu gaudebant optimo, ita ut in insula *Creta* quoque plures possent fundare domos [1]. Simul sensim sine sensu vitam eremiticam reliquerunt et scientiis magis incubuerunt, ut fratres fierent habiles ad curam animarum. Ipsis forsitan est ascribendum, quod ordo studuerit syndicos Apostolicos iuxta decretum Martini IV iterum introducere, cui Pontifex annuit die 1 Novembris anni 1428, expressis verbis auferendo constitutionem „Ad conditorem" [2]. Hoc facto simul sublata est excusatio, quam per centum annos praetenderant isti, qui paupertatem violabant.

Respectu *unius* tantummodo rei Observantes Itali amicos suos in Gallia, Hispania et Germania non sunt imitati, scilicet respectu exemptionis. Semper enim subditi manebant ministris generalibus et provincialibus, et vicarii, qui ipsis concedebantur, non plures habebant facultates, quam accipiebant a superioribus ordinariis. Interdum ipsis permittebatur, ut proprium celebrarent capitulum generale et suos superiores sibi ipsis eligerent; sed in capitulis totius ordinis non poterant suffragari. Transitus a parte severiori ad communitatem licitus erat, quod multis quidem Observantibus non placuit, de facto autem bono erat actioni reformatoriae. In summa vigebat concordia inter utramque, quamdiu communitas ab Observantibus superari non timebat. Cum vero fratres reformati numero et auctoritate augerentur, cumque per labores suos publicos animos populi ad se converterent, ut vita utriusque partis pateret, etiam in Italia orta est contentio. Signa eiusdem apparent iam anno 1429, quo Papa precibus ministrorum generalium diversorum ordinum permotus vetuit [3], ne Observantes fundarent residentias in locis, ubi conventus mendicantium exsisterent. Iure canonico hoc iam prohibitum erat, ast Pontifices saepe de hac lege dispensaverant. Notatu dignum est ministros generales Observantibus substituisse tendentiam extensionis proprii instituti „sub fictione melioris vitae".

Sed Martinus V his non est deceptus. Egregii enim Observantiae viri, quos ipse noverat, sufficiens ei argumentum praebebant pro iustitia causae, quam defendebant. Ipsis suggerentibus grande cepit consilium uniendi ordinem mediante reformatione perfecta. Ideoque omnes, ad quos pertinebat, etiam Observantes Gallos, *ad capitulum generale Assisii anno 1430* celebrandum convocabat, „ut iuxta desiderium nostrum debita in dicto ordine *reformatio* fieret" [4].

---

[1] Ibid. 612. [2] Ibid. 712.
[3] Ibid. 723. [4] Ibid. 733.

Sectio IV.

Contentio inter Conventualismum et Observantiam usque ad huius victoriam. 1430—1517.

§ 22. A capitulo generali Assisiensi usque ad capitulum generale Patavinum. 1430—1443. Constitutiones Martinianae[1].

Praesidem primi capituli generalissimi cum titulo „Reformatoris Ordinis Minorum“ Papa destinavit Ioannem Cardinalem Cervantes, quia ministrum generalem inhabilem depositum iri iam antea constitutum erat. Cui successit *Guilelmus Casalensis* (de Casale).

Caput vero spirituale capituli Assisiensis erat Ioannes Capistranus, qui, ardens zelo pro unitate ordinis, iam pridem exemptionem Observantium Gallorum impugnaverat eisque crimini dederat, quod ordinem scidissent. Convocatum erat hoc capitulum, ut unionem denuo restitueret, non via suppressionis Observantiae, quam multi optabant, sed via reformationis in toto ordine aequaliter perficiendae. Ut hoc assequeretur, S. Ioannes simul cum quibusdam aliis fratribus novas exaravit constitutiones, quae, mediam inter laxismum et rigorismum viam ingredientes, bona voluntate supposita suscipi poterant ab utraque ordinis parte. Hae *constitutiones* vocari consueverunt *Martinianae*[2], quia approbatae sunt a Martino V. Ipsae, tollentes omnes vicarios generales et provinciales hucusque legitime concessos, postulant reformationem totius ordinis iuxta leges iam exsistentes. Quoad paupertatem praecipiunt, quod syndici Apostolici iterum ubique introducendi sint, et quod stricte servandum sit interdictum pecuniarum, a quo si minister generalis dispenset, eo ipso depositus habeatur, nec fratres amplius ei obtemperare teneantur. Illos conventus, qui in decursu temporum possessiones acceperint, immobilia sua vendere et pecunia soluta obligationibus suis vel necessitatibus communitatis satisfacere debere. Ordinationes vero, quae de constitutione interna ordinis tractant, valde exiles, immo ineptae sunt.

Novis constitutionibus, quae nihil nisi vetera praecepta repetebant, partim quoque mitigabant, a Capistrano clara voce praelectis omnes capituli vocales assentiti sunt, clamantes: „Volumus stare et vivere et mori in dicto ordine nostro sancto fraternaliter secundum

---

[1] *Bernardini Aquil.* Chronica 27. AF II 289. *Ioannis de Komorowo* Tractatus cronice fratrum minorum observancie, ed. *H. Zeissberg:* Archiv für österr. Geschichte XLIX (1872) 297. W X 147. Gub. II 66; III 82.

[2] W X 150. Chron. I 90. Gub. III 82. Mon. III 231. Spec. III 11.

Institute of Mediaeval Stu

Constitutiones et Reformationes praedictas." Minister generalis solemne iuravit iusiurandum se istas constitutiones exsecuturum neque unquam dispensationem de hoc iureiurando postulaturum et dispensationem ultro oblatam repudiaturum esse. Simili modo omnes fratres in capitulo praesentes iureiurando se obligarunt ad observationem horum statutorum. Ministro generali, ut melius posset exsequi constitutiones, adiunctus est Ioannes Capistranus, quo facto reformatio et unitas ordinis in tuto posita videbatur. Nam desideriis Observantium completis omnes separandi causae sublatae erant, quo facto communitas simul assecuta est suum finem, reductionem scilicet fratrum segregatorum sub oboedientiam superiorum legitimorum. Quasi *cardo* in historia ordinis advenerat.

Ast inaudita res! Durante adhuc capitulo iam aliqui fratres dispensationem a iureiurando petiisse dicuntur. Certum saltem est ministrum generalem ipsum die 27 Iulii anni 1430, sex fere hebdomadibus post capitulum, talem dispensationem sibi procurasse simul cum quibusdam statutorum novorum relaxationibus [1]. Die 23 Augusti eiusdem anni impetravit a Pontifice breve *Ad statum* [2], quod omnia, quae capitulum de reformanda paupertate decreverat, annihilavit. Concedebatur enim, quod domibus, quae latifundia vel proventus stabiles possidebant, vel in *futuro* accepturae erant, liceret eadem retinere, ita ut procuratores nomine Sedis Apostolicae eodem modo de ipsis decernere possent sicut de bonis in ordine hucusque licitis. Fratrem munere procuratoris fungi posse non continetur in decreto Pontificis, attamen mox ita est expositum et practice exsecutioni mandatum [3]. Hoc edictum *Magna charta Conventualium* est, quae ipsis usumfructum omnium bonorum concedebat, quo facto ratione paupertatis ordinibus possidentibus in omnibus sunt assimilati, excepto dominio theoretico, quod usque ad concilium Tridentinum apud ecclesiam remansit. Hucusque nonnulli Pontifices quibusdam quidem conventibus talia iura concesserant, sed expressis verbis tamquam exceptiones, quae ordinis legibus contradicerent. Martinus V denique exceptionem loco regulae approbavit.

Quomodo haec agendi ratio ministri generalis eiusque sociorum iudicanda est? Egerantne forsan ita inconsiderate aut praecipitate, ut postea demum intelligerent, quantus valor inesset statutis? An ordo eousque pervenerat, ut decreta amplius peragi non posset reformatio? Eiusmodi quaestiones sponte exoriuntur, nisi hos viros con-

---

[1] BF VII 737. [2] Ibid. 739. [3] *Benoffi* 169.

siderare velimus tamquam homines, quibus iusiurandum erat ludus. Certe numerosos illos abusus, de quibus tot audiebantur querelae, abolere non erat leve quoddam opus. Praesertim tollendis latifundiis et reditibus, quae partim fundationes piae erant, multae difficultates se opponere debebant. Sed Observantes non obstantibus eisdem difficultatibus constitutiones exsecuti sunt, etiam in illis conventibus, quos a communitate suscipiebant. Quod vero illi, quorum officium fuit, ne conati quidem sint servare suum iusiurandum; quod porro abusus tunc exsistentes legitimis dispensationibus sanciri procuraverint; quod denique facultatem sibi comparaverint introducendi in futuro usus contra regulam, ubi nondum exsisterent, evidenter demonstrat *reformationem in sensu decretorum capituli revera nunquam sincere fuisse intentam.* Ast communitas non solum pro se ipsa reformationem recusavit, sed studuit etiam progressum Observantiae impedire, quippe cuius exsistentia sola laxismum religiosum continue condemnaret. Quapropter Conventuales nefanda cum iniuria ordinationes constitutionum Martinianarum servari quidem postulabant, in quantum scilicet Observantium privilegiis obtrectabant, dum econtra dispensari se faciebant ab illis praeceptis, quae sibimet ipsis displicebant. Huiuscemodi agendi ratio Observantes ad summam amaritudinem provocare et omni fiducia in bonam voluntatem communitatis privare debebat. Ipse sanctus Capistranus, qui hucusque strenue pro unitate ordinis steterat, paulatim in sententiam illorum abire coactus est, qui in exemptione Observantium unicam salutem sperabant. Ex quo autem communitas sua culpa hunc virum verbo et facto potentem adversarium sibi fecerat, simul quoque decisum erat eius fatum. Contentio, inaudita vehementia ab utraque parte suscepta, adhuc diu quidem fluctuabat, attamen vincere debebat naturaliter illa pars, cui maiores inerant vires morales, Observantia scilicet regularis. Ipsa amplius non conata est pacem et unitatem reducere, quod suppositis, quae praecesserant, mirum non est. Conatus vero ab altera parte suscepti semper ad irritum cadebant, quia communitas reformationem, Observantia autem superioribus non reformatis oboedientiam recusabat.

Martino V mortuo Observantes ab *Eugenio IV,* qui ipse pertinuerat ad societatem quandam reformatam, protectionem et auxilium petierunt, quare Eugenius anno 1431 omnes sui praedecessoris mitigationes irritas fecit et ministrum generalem astrinxit, ut servaret iusiurandum, quod in capitulo iuraverat. Iam vero anno sequenti instantiis ministri generalis cedens breve „Ad statum“ iterum con-

firmavit [1]. Nihilominus et Observantium mansit amicus favens eorum incremento. Interim S. Iacobus de Marchia Observantiam propagare studebat in Bosnia, et Capistranus id saltem assecutus est, ut Observantes Itali iterum propria capitula generalia celebrare et suos vicarios eligere possent, in omnibus sane dependentes a ministris generalibus et provincialibus. Stricte quoque ipsi observabant constitutiones anni 1430 non obstantibus dispensationibus a Pontifice concessis, quare tunc temporis ad *Martinistas* pertinebant, quo nomine comprehensi sunt omnes, qui reformationem accipiebant iuxta tenorem constitutionum Martinianarum, i. e. sub oboedientia superiorum legitimorum. Observantibus in *Graecia* Papa proprium concessit vicarium a ministro provinciali independentem per edictum „Super gregem" die 1 Octobris anni 1431 editum [2], in quo *primum* occurrit *vocabulum Conventualis* in significatione abhinc usitata. Designat enim fratrem, qui contrarius Observantibus regulae laxationes sibi vindicat.

Capitulum generale Bononiae anno 1433 congregatum frontem habuit urgendi ordinationes capituli Assisiensis, in quantum Observantibus erant contrariae, simul proponens novas mitigationes pro Conventualibus per *Matthiam Doering* [3], ministrum provinciae Saxoniae, qui maximus erat Observantiae inimicus. Igitur Observantes Galli primi adierunt *concilium Basileense* (Basel) tunc temporis adhuc canonice congregatum, cui etiam minister generalis mandante Pontifice intererat. Ipsi auxiliante suo rege renovationem decreti Constantiensis appetebant, cum minister generalis, a multis Observantibus Italis adiutus, perpetuam eius abolitionem posceret. Capistranus quoque tunc temporis adversarius fuisse videtur omnimodae exemptionis. Accusationibus Conventualium Observantes Franciae intrepide responderunt totam de exemptione controversiam ortam esse ex sola invidia, quia populus se ipsos pluris aestimaret quam Conventuales. Authenticam informationem de utriusque partis vita demonstraturam esse differentiam inter eas maiorem esse quam inter duos ordines totaliter diversos, ex quo pateret, quod ambo nequirent regi ab uno eodemque capite. Neque Observantes a Conventualibus efficaciter gubernari posse neque viceversa. Vanum esse sperare bonas electiones et bonos superiores, quia Observantes in capitulis plerumque vocem non haberent vel saltem maioritatem non possiderent. Conventuales

---

[1] WX 506 511. [2] Ibid. 495.

[3] *P. Albert,* Matth. Döring, ein deutscher Minorit des 15. Jahrh., Stuttg. 1892, 57.

vero semper fratres eligere, qui sibi faverent et Observantiae adversarentur. Falsum esse, quod Observantibus crimini daretur, eos magistros non habere et scientias negligere. Verum solummodo esse eos nondum habere conventum cum studio generali, quem desiderarent, et Observantes studiis incumbentes a superioribus ordinis non insigniri gradibus academicis. Quapropter se concilium implorare, ut prospiceret hisce quoque rebus, ut Observantibus liceret studiis incumbere sicut Alexandro Alensi, Bonaventurae et Scoto.

Disceptationes hae finitae sunt anno 1434 per victoriam Observantium Gallorum, qüibus licentia data est vivendi iuxta decretum Constantiense. Idem concesserat Papa eodem anno Observantibus Hispanis [1] instante regina Castiliae.

Simul quoque Observantia Itala non obstantibus plurimis adversis [2] bene proficiebat. Praeter multas alias residentias accepit anno 1431 venerabilem conventum in monte *Alverniae,* quem iam anno 1420 ad tempus occupaverat. Anno 1434 Eugenius IV ei custodiam *Terrae Sanctae* tradidit, quia Conventuales ibi degentes multis querelis ansam praebuerant. Denique anno 1438 minister generalis coactus est instituere iuxta desiderium Pontificis *vicarium generalem* etiam *pro Observantibus Italis.* Elegit ipse *S. Bernardinum Senensem,* qui ab Eugenio statim est approbatus, ne unquam in exercitio sui muneris impediri posset. Ministro generali autem id aegre ferente Bernardinus sua sponte privilegium Pontificis renuntiavit, ut sola auctoritate ministri generalis instructus etiam speciem desiderii separationis vitaret. Quadriennio suae administrationis vetera studia Spiritualistica inter fratres sibi subditos aliquomodo revixisse videntur, quare anno 1440 encyclicam edidit ad Observantes Italos [3], quos semper „fratres devotorum locorum“ appellabat, ne Conventuales per verbum invisum „Observantium“ laederet. Plenum est hoc edictum spiritu clementiae et moderationis, etiam respectu paupertatis. Remittit in rebus dubiis fratres ad iudicium superiorum, cui acquiescendum sit, et vituperat paupertatis fanaticos, qui omnes res, quae eis videbantur superfluae, e domibus auferre tentabant, quamquam non ipsi eas comparassent, sed a prioribus possessoribus accepissent.

Bernardinus iam anno 1440 ob senium se abdicare voluit a munere, quod invitus susceperat; Pontifex tamen non consensit, sed licentiam

---

[1] W X 213 536; cf. XI 137.

[2] Cf. *Albertus a Sarteano,* Apologeticum pro fratribus observantibus contra Poggium Florentinum. W X 170.

[3] AF II 302. W XI 102.

ei concessit instituendi coadiutorem, quemcumque vellet, cui quaslibet facultates committere posset. Anno 1441 ergo elegit S. Ioannem Capistranum. Quamquam sensus S. Bernardini ubique nota erat, tamen illo quoque gubernante quidam Observantium magis magisque studebant, ut totaliter eximerentur a iurisdictione Conventualium. Quo tempore minister generalis morabatur in Gallia, ut regem a concilio schismatico ad partes Eugenii IV perduceret, occasio data eis videbatur. Igitur *Nicolaus Auximanus* (Osimo), qui antea fuerat vicarius generalis Observantium Italiae inferioris, anno 1440 a Pontifice licentiam impetravit, ut Observantes Itali eodem modo independentes essent a ministris provincialibus sicut Galli. His tamen Bernardinus ipse probabiliter non consenserat, quod concludi posse videtur ex tota agendi ratione ipsius, quare minister generalis reversus facile abolitionem huius exemptionis assequi potuit. Paulo post, tempore verno anni 1442, minister generalis devotissime mortuus est. Pertinet ipse ad illos viros in historia ordinis occurrentes, quorum vita omnibus numeris absolute describenda est, priusquam ultimum de illis possit ferri iudicium. Partim quidem causae rationis agendi eiusdem relate ad ordinis reformationem res sunt satis perplexa, partim vero eius studia pro unitate ecclesiae revera magna erant et summa Pontificis gratitudine digna. Praeterea etiam eius individualitas extraordinaria debuit esse, quia S. Bernardinum, immo Capistranum destinavit, ut non obstantibus factis anni 1430 fideliter ei adhaererent. Mortuo ministro generali etiam Bernardinus a munere se abdicavit, quin tamen hoc facto facultates vicariorum generalium sub oboedientia ministrorum exspirarent.

Eugenius IV vicarium generalem totius ordinis nominavit *Albertum a Sartiano,* qui paulo ante minister provinciae Venetae erat electus, ex quo facto Papa concludere se posse putavit Albertum Conventualibus non minus esse gratum quam Observantibus. Igitur ordo prima vice ex tempore separationis acceperat caput, quod aperte profitebatur Observantiam. Hac re satisfactum erat desiderio Capistrani, eratque proximi capituli generalis eligere secundum voluntatem Pontificis Albertum ministrum generalem et sic reformationi ex intrinseco ordinis viam aperire.

Eodem anno (1442) Papa S. Capistranum constituit visitatorem et reformatorem provinciarum ad Italiam non pertinentium, imponens ei simul munus reducendi ad unitatem ecclesiae asseclas Felicis antipapae, quorum imprimis in Germania multi inveniebantur etiam intra ordinem. Hi eousque progressi sunt, ut anno 1443 *in capitulo Bernensi*

(Bern) *proprium* eligerent *ministrum generalem,* Matthiam Doering supradictum, qui a concilio Basileensi confirmatus est. Eius potestas, iam diu valde debilitata, anno 1449 exspiravit resignante antipapa. Felix V fautor fuerat Conventualium, cum concilium Basileense in generali Observantes praeferret.

§ 23. A capitulo generali Patavino usque ad promulgationem constitutionum Barcinonensium. 1443—1451[1].

Capitulum generale Patavii anno 1443 coactum bene erat frequentatum tam ab Observantibus quam a Conventualibus, cum ad 2000 fratres affuisse dicantur. Praesidebat ibidem Albertus a Sartiano, quem Papa constituerat candidatum pro munere generalatus. Cum vero Conventuales eum abhorrerent, parum honesti tumultus sunt exorti, quare S. Bernardinus, animos placare studens, ipsis Observantium ducibus dissuasisse videtur *Alberti* electionem, quam magis detrimento quam utilitati fore arbitrabatur. Igitur electus est *Antonius Rusconi* de Como, Conventualis moderatus. Hac re Papa valde est offensus, praesertim cum ab Observantibus res in capitulo gestas comperisset. Capistranus suam relationem conclusit aperte edicendo: „Beatissime Pater, cum ista hominum generatione nulla ratione concordare valemus.“ [2] Itaque Eugenius fratribus reformatis proprium concedere ministrum generalem cogitabat, attamen Observantes Itali id fieri recusabant, quia sic schisma in ordine perfectum fuisset, quod S. Bernardinus minime intentabat, neque Capistranus tunc temporis probabat. Instructus autem rebus in proximo decennio gestis non amplius contradicebat regimini pro Observantibus proprio; spes enim reformandi integrum ordinem totaliter destructa erat. Igitur modum excogitavit, quo, Observantiae progressu in tuto posito, ordinis unitas non totaliter auferretur. „Erat optimus canonista“, tradit quidam ex eius aequalibus, significando eum sine magna difficultate Pontifici ea proponere potuisse, quae etiam a Cesarini Cardinali protectore omnino sint approbata.

Mandante ergo Pontifice minister generalis *duos* debebat constituere *vicarios generales,* S. Ioannem a Capistrano pro familia cismontana et Ioannem Perioche de Maubert pro familia ultramontana. Nomina *familiae cismontanae et ultramontanae* in decursu historiae

[1] *B. Bernardini* Chronica 29. AF II 307. *Ioannes de Komorowo,* ed. *Zeissberg* 330. W XI 175. Gub. II 68; III 94.

[2] *B. Bernardini* Chronica 33.

ordinis innumeris paene vicibus occurrunt significantque, quia conceptus relativos supponunt, iuxta diversum chronicarum originem diversas ordinis partes, quod non raro obscuritatem inducit. Igitur in hoc libro his notionibus utimur *in sensu absoluto,* qui cum modo loquendi diplomatum Pontificiorum concordare consuevit. Sub nomine familiae cismontanae comprehendimus Italiam et totum Orientem simul cum Austria, Hungaria et Polonia; ceteras vero ditiones, Galliam scilicet, Hispaniam, Germaniam, totum Septentrionem et Occidentem simul cum America appellamus familiam ultramontanam[1]. Ex saeculo XVI denique etiam extremus Oriens annumeratus est familiae ultramontanae, quia fratres ibidem laborantes plerumque Hispani et Lusitani erant.

Ambo vicarii generales creditam sibi familiam cum monasteriis Clarissarum plenaria quasi facultate gubernabant, ita tamen, ut suprematus ministri generalis non totaliter auferretur. Minister generalis, qui abhinc ponderose se vocabat „ministrum generalem *totius* Ordinis Fratrum Minorum", ambos vicarios eorumque subditos visitare et punire atque celebrationem *congregationis generalis* (capituli generalis Observantium), quae pro unaquaque familia seorsim et non pro omnibus Observantibus simul licita erat, suo arbitrio obnoxiam facere poterat. Similiter minister provincialis adiri debuit pro celebratione *congregationis provincialis* (capituli provincialis Observantium) et pro confirmatione vicarii provincialis in ipso electi. Superiores locorum ab Observantibus electi in communi tabula provinciae inscribendi sunt. Transitus ab Observantibus ad Conventuales prohibetur, econtra Conventuales Observantibus se adiungere possunt; conventus vero eorum a vicario occupari nequeunt. Ita superioribus ordinis non totaliter sepositis Observantes omnia, quae optaverant, sunt assecuti. Quas ministri generalis ordinationes, ne denuo mutari possent, Papa statim confirmavit edicto *Fratrum ordinis minorum,* edito die 11 Augusti anni 1443[2].

Vicarius generalis familiae cismontanae, Ioannes a Capistrano, statim cum zelo sibi proprio manum operi admovit. In solitudine montis Alverniae pro subditis suis nova composuit statuta (Constitutiones B. Ioannis Capistrani)[3], quae respectu iuris constitutionis (droit de constitution) graviter deficiunt, quare iam anno 1446 Ob-

---

[1] Aliqui rerum ordinis scriptores alias significationes introducere conati sunt, velut: „Familia orientalis et occidentalis", vel „familia septentrionalis et meridionalis", sed sine successu.

[2] W XI 179. [3] Gub. III 95. Chron. I 102. Spec. III 223.

servantes Itali decernebant, ut servarentur in posterum constitutiones Martinianae. Maiora consecutus est Capistranus per influxum suae individualitatis, quo fratres pro disciplina ordinis et tolerantia ad martyrium usque inflammabat. Simul fidus exemplo magistri sui Bernardini fratres ad studii officium admonuit, cui aliqui Observantium cismontanorum et Hispanorum se opposuerant.

Capistrano ex eis, quae tempore sui regiminis expertus est, de insufficientia edicti anno 1443 editi persuasum esse videtur. Quare contentionibus et querelis non cessantibus Pontificem magnopere sibi faventem adiit, obtestans se ex tempore Martini V nihil omisisse, quominus ordinem ad pacem et concordiam revocaret, sed frustra. Nihil aliud reliquum esse nisi separationem, quae tamen ita perficienda esset, ut familia Observantium non totaliter a ministro generali, a capite ordinis abscinderetur. Igitur Capistranus ipse bullam separationis *Ut sacra Ordinis minorum religio*[1] composuit, quam Papa die 11 Ianuarii anni 1446 promulgavit. Institutum vicariorum generalium, quod hucusque provisorie tantummodo concedebatur a capitulo ad capitulum, stabile effecit. Simul minister generalis ipsos vicarios nominare amplius non poterat, sed tantummodo intra triduum confirmare. Eadem valent de ministris et vicariis provincialibus. Congregationes generales et provinciales independenter a ministris celebrantur. Minister generalis Observantes visitare quidem potest in propria persona, sed cavere debet, ne quovis colore se ingerat in regimen ipsorum. Sub excommunicationis poena prohibetur, ne Observantes redeant ad Conventuales, viceversa tamen Conventuales ad Observantes transire possunt, supposito, quod non in fraudem fiat.

Per bullam „Ut sacra“ *Observantes de facto independentiam* sunt assecuti, etsi de iure adhuc sub ministro generali manerent. Mirum igitur non est Conventuales de his omnibus iratos Observantes ludibrii causa appellasse *Fratres de Bulla* vel *Bullistas,* pro quo hi adversariis suis vices rependebant per nomen *Fratrum de Bursa.* Augebatur invidia communitatis, cum Papa anno 1446 capitulum generale in Monte Pessulano (Montpellier) congregatum prohiberet, ne quocumque modo se ingereret in causas Observantium, quippe qui in dies augerentur numero et auctoritate apud populum, quare toti ordini essent honori.

---

[1] W XI 251. Explanationem huius bullae simul cum bona regulae declaratione scripsit *Iacobus de Alcalá* sub titulo: *Lucerna Fratrum Minorum,* s. a. (ca 1510).

Adhuc ante capitulum generale Capistranus congregationem generalem Romae celebraverat in magno conventu *Aracoelitano,* quem Papa anno 1445 reformatum Observantibus tradiderat. Postquam Sanctus a munere se abdicavit, ibidem electus est *Iacobus de Primadizzi.* Inde in utraque familia quartò quoque anno capitulum cum novis electionibus est habitum, nisi extraordinariis de causis capitulum prius congregare necesse erat.

Paulo ante mortem Eugenius IV litteras edidit, quae maximi momenti pro Observantiae incremento fuissent, si exsecutioni essent mandatae. Nam in bulla *Dum praeclara,* die 9 Februarii anni 1447 promulgata [1], repetiit, quae iam anno 1446 mandaverat, scilicet quod omnes domus reformatae vicariis generalibus et provincialibus sub poena excommunicationis se subdere deberent. Exsistebant enim tam in Gallia quam in Hispania et Germania multi Observantes, qui sub ministris generalibus et provincialibus constitutiones Martinianas sine dispensationibus observabant. Hi „Martinistae" etiam *Observantes de communitate* vel „Observantes sub ministris" (Ministeriani) vocabantur relate ad *Observantes de familia* vel „Observantes sub vicariis" (Vicarianos). Si his iam deerat unio, quippe qui in duas familias divisi nunquam haberent capitulum generale insimul, tamen in Martinistis adhuc amplius desiderabatur unitas. Aliqui eorum quidem propriam formaverant congregationem, sicut postea patebit, de cetero autem totaliter dissentientes, concordes tantummodo erant in pugna contra Observantes sub vicariis degentes, quod ipsi actioni reformatoriae maximo erat detrimento. De huius rei causis in communi iudicari non potest. Possibile enim est, quod multis sincere fuerit persuasum se vi regulae obligari ad oboedientiam erga ministrum generalem et provincialem, quare vicariis oboedire non possent. Attamen maioritas eorum scire debuit quaestionem hanc esse de nomine, non de re, quia vicarii essent loco ministrorum, etsi aliud portarent nomen, ne ordo totaliter scissa videretur. Praeterea Papa ipse saepius sensum suum de hac re clare aperuerat. De cetero, si tantum dependisset de nomine, fratres neque vicario generali oboedire potuissent, quem Papa mortuo ministro generali semper constituebat. Patet ergo, quod certe aliae causae hoc factum produxerint. Plurimum probabiliter valuit apud multos quidem odium separationis, ad quam indubie perducere debuit bulla Eugenii, attamen non pauci certe rationibus parum honestis ducebantur, praesertim illi fratres, residentiae et congregationes, qui

[1] W XI 269.

sententiam suam secundum proprium emolumentum mutabant. Aliqui etiam *nomine* Observantium contenti videbant secundum beneplacitum proprium, quia ministri provinciales exiguam de eis curam habebant, supposito, quod non transibant ad familiam. Quare Observantes Itali decreverunt, ut tales simpliciter tractarentur tamquam Conventuales [1]. Secundum ea, quae vidimus, iudicandum est de valore illius affirmationis saepe repetitae vicariorum gubernationem omnino supervacaneam esse, quia Observantia sub ministris non minus esset possibilis. Certum est, quod, si Observantia firmum robur vicariorum non habuisset, tota actio reformatoria non tantum profectura fuerit, sicut revera accidit. Quod multorum annorum experientia demonstratum est.

Mox post mortem Eugenii IV minister provinciae Turoniae a Nicolao V impetravit [2], ut non obstante bulla „Dum praeclara" Observantes ultramontani, qui hucusque sub oboedientia ministrorum remanserant, etiam in futuro remanere possent, et ut Observantes sub vicariis degentes tam singuli quam integrae communitates iuxta maioritatis beneplacitum redire possent sub oboedientiam ministrorum, in qua semel reversi perpetuo remanere deberent. Magno erat hoc detrimento Observantiae praesertim in Gallia. Vicario enim ex officio vindicanti timendum erat, ne frater vel communitas poena affecta ab eius oboedientia in perpetuum recederet. Hoc non solum tam foedas dissensiones inter congregationes Observantium in Gallia excitavit, sicut nullibi invenimus, sed impedivit etiam perfectionem intrinsecam totius actionis, quod damnum progressu externo resarciri non potuit. Adhuc per multa saecula Observantia Galliae sequelas huius plagae fatalis pati debuit. Neque Conventuales ex hac concessione incrementum habuere, quia Observantes sibi subditos secundum proprias ipsorum leges regere debuerunt neque invitos in Conventualium domos collocare potuerunt. Immo et facultatem recipiendi novitios ipsis concedere debuerunt, quo factum est, ut ministri harum provinciarum duo totaliter diversa novitiorum et professorum genera sub se haberent. Talis rerum condicio bonos fructus poterat producere, si minister provincialis ipse ad reformatorum numerum pertinebat ac reformationem in sua provincia propagare intendebat, quia hoc in casu successus erat certus. Ubicumque autem hoc non accidit, necessario subsistere debebat actio reformatoria aut exoriri contentio inter utramque partem.

---

[1] *B. Bernardini* Chronica 84. [2] W XI 290.

Quot domus post concessionem Nicolai V oboedientiam Ioannis Maubert, vicarii generalis, reliquerint, non patet, certum tamen est eum omnia esse conatum, ut notabilem defectionem impediret. Adhuc anno 1447 in conventu de St-Omer provinciae Turoniae congregationem generalem celebravit, in qua uniformitatem vestium praescripsit. Color habitus iuxta ordinationes antiquas *griseus* esto. Deinde eodem anno in Hispaniam profectus est, ubi quinque conventus provinciae S. Iacobi proprium constituerant vicariatum, cum alii fratres in Castilia ministris se subicerent.

In Italia condicio iuris integra remanserat fortiter defensa a Ioanne Capistrano, qui anno 1449 vicariatum iterum susceperat. *Canonizatio S. Bernardini Senensis* anno 1450 magna cum pompa celebrata prospere evenit Observantiae eiusque auctoritatem apud magnates et populares auxit. Paulo post Capistranus mandante Pontifice Germaniam et Austriam petiit, ut haeresim profligaret. Quo in itinere ubique tantopere Observantiam propagavit, ut sine ulla exaggeratione affirmare liceat Capistranum maxime omnium laborasse pro incremento reformationis. Potentem invenit adiutorem *Nicolaum Cusanum* Cardinalem legatum, qui etiam praescripsit, ut omnes ordines intra Germaniam in spatio unius anni acciperent Observantiam regularem. Dolendum est, quod ipsi defuerit potestas urgendi suum mandatum.

Eodem tempore, anno 1451, familia ultramontana congregationem generalem celebravit Barcinonae, in qua per nova statuta unitatem et robur consequi conabatur. *Constitutiones Barcinonenses*[1] ibidem compositae per multa saecula valuerunt apud Observantes ultramontanos. Ipsae revera multis proprietatibus bonis excellunt, quippe quae quam proxime ad constitutiones Narbonnenses accedentes non praetermittant experientias proximis saeculis factas. Quaecumque ex statutis hucusque editis bona et apta videbantur, breviter collecta sunt in novem capitulis; ceterae vero ordinationes expressis verbis abolentur, quo facto omnis ambiguitas iuris legislationi tam noxia auferebatur. Statutis paris stabilitatis et valoris familia cismontana nunquam est gavisa. Finito capitulo novus vicarius generalis Theodoricus Auriga (Voiturier) *Alphonsum Boroxium* commissarium generalem constituit pro Observantibus Hispaniae. Hic per quindecim annos munere suo fungens excellebat in propaganda reformatione per Hispaniam.

---

[1] Mon. III 249. *R. Howlett,* Monumenta franciscana II, Londini 1882, 81.

§ 24. De studiis unionis sub Nicolao V et Calixto III. 1452—1458[1].

Angelus Serpetri anno 1450 in conventu Aracoelitano electus vicarius generalis nihil omisit, quin bullam Eugenianam tollendam perficeret, quo in studio quaedam circumstantiae peculiares ei favebant. Imprimis S. Capistranus, inimicissimus Conventualium, ultra Alpes tantopere erat occupatus negotiis, ut eius reditus in proximo non esset timendus. Praeterea inter Observantes ipsos, praesertim inter egregios praedicatores erant aliqui, qui severitatis vitae sensim sine sensu pertaesi connexum cum Conventualibus quaerebant. Inter ipsos imprimis erat *Robertus Lyciensis* (Lecce)[2], qui tamquam praedicator longe maiori admiratione est dignus quam ut homo et religiosus. Quamquam graves accusationes ab Observantibus contra eius vitam prolatae cum grano salis sint credendae, tamen certum est eum adhuc sub Observantia degentem breve a Pontifice sibi procurasse, quo eximebatur ab oboedientia erga suos superiores, eumque ad Conventuales reversum denuo admissionem ad Observantiam petiisse, quo concesso iterum ad communitatem transiit. Hoc facto Robertus eiusque complices Observantiam praedicatione et scriptis impugnabant[3], quo Observantes coacti sunt eadem defensionis arma arripere cum magna populi scandalo. Bene locutus est de eis S. Iacobus de Marchia dicens tales praedicatores perpetuo esse incarcerandos[4].

Coram curia Pontificia quoque minister generalis cum Roberto et 24 aliis praedicatoribus sententiam defendit Observantes peccare, nisi oboedientiae ministrorum se submitterent, bullamque Eugenii IV subreptitiam esse declarandam; de cetero maioritatem provinciarum, praeprimis Observantes ipsos, eius abolitioni favere. Quo audito Nicolaus vicarium generalem *Marcum Bononiensem* ad se arcessivit, ut ab eo praedictorum veritatem exquireret. Hic de propria sententia firmiter persuasus Pontificem adiit, ut singulos vicarios provinciales inquirendi causa citaret. Quo facto Nicolaus cognovit eos ad unum omnes stare pro regiminis forma hucusque observata ipsosque iniuste esse calumniatos. Ut denique bullae Eugenianae valorem cognosceret, Papa 35 doctorum sententias consuluit, quas peculiari Cardinalium et Episcoporum congregationi comprobandas commisit. Hi omnes unanimiter declarabant hanc bullam esse validam et licitam,

---

[1] *B. Bernardini* Chronica 38. AF II 344. W XII 170; XIII 29. Gub. II 82 94; III 111.

[2] *F. Torraca,* Fra Roberto da Lecce: Arch. stor. Napolet. VII (1882).

[3] Sbar. SS. 552 638. [4] Arch. I (1908) 95.

i. e. nullo modo contrariam vitae a S. Francisco praescriptae, quod Nicolaus V anno 1453 coram delegatis utriusque partis confirmavit, simul eos ad pacem cohortans. Vetuit quoque, ne Conventuales bullae ullimode contradicerent neve Observantes a Conventualibus domos acciperent. Transitus inter partes permittebatur, quod Papa in bonum communitatis concessit inductus forsan ex eo, quod aliqui Observantium non obstante contradictione suorum sociorum minarentur se appellaturos esse concilium Constantiense, i. e. ecclesiam universalem, si Nicolaus concilii decretum infringere attentaret. Talis stultitia Pontificem provocare debebat, qui in summa Observantibus favebat. Attamen per exiguam hanc concessionem, quae in ultima analysi Observantibus proderat, fama evulgata Pontificem favere Conventualibus fidem invenit. Igitur multi fratres male contenti Observantiam reliquerunt et transierunt ad Conventuales, qui eos libentissime receptos privilegiis et honoribus auxerunt, quo factum est, ut non pauci timerent, ne Observantia iterum periret. Capitulum generale Perusiae anno 1453 congregatum adversus oraculum Pontificium decrevit, ut omnia conarentur pro annihilatione bullae Eugenianae. Ministro generali paulo post mortuo *Iacobus Bussolini a Mozzanica,* eius successor, causam suscepit.

Observantes igitur se accingebant ad defensionem. Imprimis Capistranum ipsum revocabant, qui cum redire omnino non posset, a Pontifice, Imperatore et diversis principibus litteris auxilium petiit pro sua familia. Quapropter a multis principibus et praelatis litterae Romam missae sunt, quae fortiter exigebant, ut conservaretur libertas Observantium. Maximi momenti erat epistola *Aeneae Sylvii* Cardinalis protectoris, qui postea factus est Papa nomine Pii II[1]. Commemorat ipse magnum Capistrani influxum, qui movendo manum maximam posset excitare procellam; magnam Observantium multitudinem, quae iam ad numerum 20 000 pertingeret; praeprimis vero differentiam omnibus notam, quae intercederet inter efficaciam et vitam Observantium et Conventualium cum magna horum ignominia.

Dolendum est, quod Nicolaus paulo post receptionem istarum litterarum mortuus est. *Calixto III* regnante Conventuales sua studia renovabant impugnantes bullam Eugenianam, quia Cardinalibus inconsultis composita esset et edita contra intentionem Pontificis[2].

---

[1] W XII 265.

[2] Tunc temporis, instante ministro generali, clarus ille iurisperitus *Andreas Barbatia* scripsit: „Consilium divo ordini fratrum minorum editum. . . . Si Eugenius papa potest facere duos episcopos in una dioecesi aut duo capita in ordine sancti Francisci.“ Inc. s. a.

Porro Observantes non amplius Fratres Minores, sed Fratres de Bulla vel Fratres privilegiatos esse nominandos. Tamquam causa huiuscemodi ridicularum machinationum vix supponendus est amor unitatis et regulae S. Francisci, sed magis obcaecata dominandi cupido, quae consulto praetermisit, quod in Observantia spiritus vigebat S. Francisco longe affinior quam spiritus Conventualismi. Itaque nixi regulae verbo ac littera, quae praecipiebat oboedientiam erga ministros, non erga vicarios, negabant impudentissime illos veros esse Minoritas, qui sub oboedientia Pontificis et superiorum a ministro generali confirmatorum regulam ipsam sincere observare intendebant.

Calixtus III pacem facere cupiens die festo omnium Sanctorum anni 1455 ministros communitatis et vicarios Observantium Assisium convocavit, ut ibidem ambae partes praeside Blasio Mediolanensi, abbate iuveni, lites pacifice finiret. Postquam factiones separatae deliberaverunt, praesidi proposuerunt suos „articulos"[1]. Articuli Conventualium exigebant, ut vicarii tollerentur, quorum loco in unaquaque provincia propria Observantium custodia esset formanda, ita tamen, ut potestas ministri generalis totaliter, potestas vero ministrorum provincialium saltem quoad maximam partem servaretur. Altera series desideriorum aperte intendebat ulteriorem Observantium propagationem impedire, quippe qui non amplius novas residentias accipere deberent sine Pontificis *et* superiorum Conventualium licentia, neque praedicare in locis, ubi Conventualium conventus exsisterent, neque habere proprios procuratores in curia Romana. Articuli Observantium non tam distincte compositi sunt quam articuli adversariorum et adhuc minus praestant obsequium Conventualibus, retinentes simpliciter statum iuris praesentem, concedentes tantummodo ministro generali aliqua iura.

Deinde utraque pars in pace discessit, promittens se esse se subiecturam in omnibus, quae Papa respectu unionis decerneret. Tum Callixtus compromissum conficiendum tradidit *S. Iacobo de Marchia,* qui propter suam placabilitatem et clementiam etiam a Conventualibus magni aestimabatur. Difficillimum erat hoc mandatum, praesertim membro Observantiae, quod tamen S. Iacobus ita perfecit, ut in iudicio universali, sicut aiebat, sine timore rationem posset reddere. Quapropter eius articuli maximi sunt momenti pro solvenda quaestione, utrum Observantes sincere egerint procurantes sibi proprios superiores, quod Sanctus in favorem Observantiae decidit.

[1] W XII 273.

Concedit quidem ministro generali omnia iura, ita, ut Observantibus eodem modo praecipere posset quam Conventualibus, supposito, quod utraque pars in propriis remaneret conventibus, a quibus ad invicem transire non possent sine superiorum licentia. Attamen institutum quoque vicariorum pro Observantibus remanet. Hi convenire debent ad capitula generalia totius ordinis, ubi gaudent voce activa. Ibidem quoque praesidente ministro generali uterque vicarius generalis eligitur.

Iacobus igitur in bonum unionis privilegia Observantium valde diminuerat, salvo tamen iure se ipsos gubernandi et adiuncta compensatione parva, iure scilicet simul cum communitate eligendi ministrum generalem, quo factum est, ut neque Conventuales neque Observantes compromisso essent contenti. Denique post multas consultationes cum Cardinali protectore Capranica, qui hucusque ab actis manserat exclusus, Papa die 2 Februarii anni 1456 edidit *bullam Concordiae*[1], secundum quam vicarii provinciales in capitulis generalibus tres fratres ministro generali proponere debent, qui unum ex ipsis „vicarium custodum seu vicariorum" instituere tenetur. In electione ministri generalis Observantes quoque voce activa gaudent. „Custodes seu vicarii provincialium" eliguntur praeside ministro provinciali, a quo confirmandi sunt. Electiones congregationum Observantium in tabulis provinciae eodem modo praelegendae sunt ac ceterae. Qui ad Observantes transire intendit, superiorum licentiam rogare debet, qua non concessa nihilominus transire potest. Transitus vero ad Conventuales a consensu vicariorum dependet.

Bona voluntate supposita utraque pars his ordinationibus contenta in pace vivere et victoriam finalem suo valori intrinseco relinquere potuit. De facto autem neutra erat contenta, praesertim propter electionem ministri generalis. Conventualibus enim non placuit ius electionis Observantium, Observantes vero aegre ferebant, quod soli Conventuales voce passiva gaudebant, qua ratione reformatio totius ordinis impossibilis reddi videbatur. Vicarius generalis cismontanus quidem suos subditos ad observationem bullae Concordiae cohortabatur; Observantes autem ultramontani consternati erant de abolitione bullae Eugenianae. Capistranus quoque brevi ante mortem litteris ad Pontificem datis pro familia sua intercessit, cuius exemplum secuti sunt multi principes ecclesiastici et saeculares Germaniae, condemnantes vitam Conventualium in suis ditionibus[2]. Immo Observantes Galliae appellabant Papam melius informandum et concilium

---

[1] W XII 423. Gub. III 82. [2] AF II 355.

futurum[1]. Tamen a vicario generali cismontano in tantum pacati sunt, ut proximo *capitulo generali* anno 1457 *Mediolanum* convocato interessent. Ibi autem Observantes contra ordinationes bullae Concordiae ab electionibus exclusi sunt, quod accidit etiam in capitulo Romano anni 1458, in quo instante Pontifice electus est *Iacobus de Sarzuela.* Calixtus vero, qui ipse hac vice Observantes ab electione excluserat, concessit eis compensationis loco, ut libere eligerent suum vicarium generalem, qua ordinatione erant contenti. De cetero autem cautum erat, ne hoc factum bullae Concordiae praeiudicaret. At novus minister generalis fretus favore Pontificis eam totaliter auferre conabatur, donec Calixtus, postquam diu haesitavit, affirmavit, se in ipsa componenda sanguinem sudasse, quare se eam minime esse mutaturum.

Nihilominus conditio Observantium iniqua erat, quia incommoda bullae perferre debebant, quin simul commodis in ipsa concessis uti possent. Tum Pontificis mors res celeriter immutavit.

§ 25. A renovatione bullae Eugenianae usque ad obitum Sixti IV. 1458—1484[2].

Pius II iam pridem, observatione vitae morumque utriusque partis in diversis ditionibus permotus, fortiter steterat pro Observantibus, quorum curam, ad Sedem Apostolicam evectus, incunctanter suscepit. Paulo post incoronationem suam clarum illum Bessarionem Cardinalem protectorem ordinis nominavit, committens ei simul cum quibusdam aliis praelatis, in quibus erat Nicolaus Cusanus, bullae Eugenianae et bullae Concordiae examen, cuius eventus dubius esse non poterat. Nam sicut Papa ipse, ita et uterque praestantium illorum Cardinalium in multis itineribus suis experti erant, quam necessaria esset ordinis reformatio, quae, sicuti res tunc se habebant, alio modo consequi non poterat quam favendo Observantibus. Igitur Papa die 11 Octobris anni 1458 edidit bullam *Pro nostra ad S. Franciscum devotione*[3], in qua tollens bullam Concordiae Observantibus permisit, ut denuo viverent secundum privilegia Eugenii IV modificata in quibusdam locis. Vicariis generalibus non licuit inquietare illos Observantes, qui oboedientiam ministrorum praeferebant. Relate ad transitum inter utramque partem ordinationes bullae

---

[1] AF II 358.

[2] *B. Bernardini* Chronica 92. AF II 378. *Ioannes de Komorowo,* ed. *Zeissberg* 356. W XIII 63; XIV 1. Gub. II 122; III 115.

[3] W XIII 65.

Concordiae relictae sunt in suo vigore (§ 24). Occupatio violenta domorum sub excommunicationis poena prohibita est. Saepius enim accidit, ut Conventuales propter depravatos mores suos a magistratibus saecularibus expellerentur et conventus eorum Observantibus traderentur, qua de re superiores Conventualium iure conquesti sunt, sed iniuria contra Observantes. Fieri quidem potuit, ut interdum Observantes instigaverint magistratus, quo in casu excusatione non sunt digni, attamen aequum de hac longaeva controversia iudicium ferri non poterit, priusquam accurate descripta sit historia omnium illarum domorum, de quibus est quaestio. Summa ex his descriptionibus sententiam de Observantibus vix mutabit. Commemorari praeterea meretur vicarium generalem non obstantibus legibus latis saepe accepisse litteras Pontificias, etiam tempore Sixti IV, quibus sub oboedientia obligatus est, ut domos Conventualium reformaret, i. e. Observantibus repleret. Vicarius generalis saepe omnia conari debuit, ut a his mandatis dispensaretur[1].

Pio II mortuo relativa tranquillitas erat in ordine, qua familia cismontana est usa, ut ordinaret suas leges. Capitulum Auximanum (Osimo) anni 1461 decrevit, ut substratis constitutionibus Martinianis summa constitutionum tunc vigentium ad communem utilitatem compendiaretur, „quia moderni gaudent brevitate". Ita ortae sunt *Constitutiones Martinianae sub compendio redactae*[2], quae non maioris sunt momenti quam manuale scholasticum ad tollendam ignorantiam legum exaratum. Praeterea compilator labori suo non erat par, quia recepit ordinationes, quae tunc temporis pro Observantibus supervacaneae erant factae.

Sequenti ordinis capitulo Perusiae anno 1464 congregato minister generalis suum officium resignavit propter senium. Auctore Iacobo de Marchia Conventuales probum et doctum *Franciscum della Rovere* ministrum generalem elegerunt. Porro in hoc capitulo decretum est, ut strenue susciperetur constructio conventus prope ecclesiam duodecim Apostolorum, quam Papa anno praeterito Conventualibus tradiderat, quia conventu Aracoelitano amisso parvam tantummodo residentiam Romae possidebant. Novus minister generalis, dissimilis suis praedecessoribus, amicus erat Observantium, quare tempore sui generalatus nihil susceptum est contra ipsos, saltem non a personis in officio constitutis. Nihilominus in quibusdam ditionibus dissensionum nondum erat finis, praesertim in *Gallia,* ubi Conventuales non de-

[1] W XIV 186. [2] Chron. I 125.

sistebant Observantes violationis regulae accusare, quia non ministris, sed vicariis oboedirent. Itaque Pius II ad regem et ad fratres ibidem degentes scripsit vicarios pro Observantibus veros esse ministros in sensu S. Francisci, nomen vero eorum ab Apostolica Sede esse immutatum, ne duo ministri unam eandemque provinciam gubernarent. In altera encyclica Pontifex fratres ultramontanos utriusque partis monere debuit, ut in pace viverent neve sibi invicem domos adimerent. Sed ex causis iam adductis eventus erat exiguus, etiam cum Paulus II anno 1467 haec praecepta renovasset per novam *bullam Concordiae*[1], qua Papa Conventualibus et Observantibus permisit, ut *novas* domus accipere possent, dummodo adhuc non fuissent in possessione alterius partis. Magnopere hoc decreto Observantium propagatio aucta est, quia abhinc ibi pedem figere poterant, ubi Conventuales morabantur, quod hi semper impedire studuerant. Conventualibus quidem idem obtigerat ius, sed in vanum, quia raro novae domus eis sunt oblatae.

Minister generalis anno 1468 Cardinalis creatus gubernacula ordinis retinuit usque ad electionem *Ioannis Zannetti (Dacre d'Udine)*[2] anno sequenti factam, quae mutatio ordini non erat bono. Franciscus de Rovere enim non solummodo Observantiae amicus fuerat[3], sed etiam communitatem reformare studuerat, qua de causa propria composuerat statuta, quae ad Pontificatum evectus confirmavit. Attamen haec *statuta Sixtina*[4] nunquam in usum venerunt, quia Sixtus IV non amplius conatus est disciplinam Conventualium reformare. Econtra vero liberalis fuit in concedendis privilegiis. Iam primo Pontificatus sui anno Minoritis instante ministro generali *ius* tribuit *accipiendi hereditates* per bullam „Dum fructus uberes", editam die 28 Februarii anni 1472[5]. Bona ingredientium, tam ea quae possident, quam ea quae postea accessura sunt, procuratores nomine Sedis Apostolicae pro conventibus accipere et exigere possunt. Quia vero Observantes huic concessioni contradicebant, Sixtus ad sedandos animos anno 1481 expressis verbis declaravit ipsos hoc privilegio uti non posse, quia contra paupertatem professam offenderet[6]. Bona quoque ad vitandos scrupulos erat eius declaratio anno 1480 edita,

---

[1] W XIII 402.

[2] *F. Benoffi*, Memorie storiche della vita di Giov. Dacre d'Udine, Minorita, Vescovo di Trevigi, Pesaro 1830.

[3] Si credimus AF II 396, ipse cogitavit transire ad Observantiam ultramontanam.

[4] Firm. I 36. [5] W XIV 537. [6] Ibid. 271.

quod omnia praecepta praeter regulam non obligarent sub gravi, quodque omnes poenae, non exclusis censuris Pontificiis, ferendae tantummodo essent sententiae, quas superiores etiam, si necessarium videretur, in alias poenas convertere possent[1]. Econtra ordini magis noxia quam utilia erant magna illa duo privilegiorum compendia, quae vocantur *Mare magnum*[2] (editum anno 1474 „Regimini universalis Ecclesiae") et *Bulla aurea*[3] (edita anno 1479 „Sacri Praedicatorum et Minorum Fratrum Ordines"), quare Observantes sponte aliqua privilegia resignarunt, ne clerum ita graviter offenderent[4].

Relate ad dissensiones intra ordinem Sixtus in principio neutri se adiunxit parti. At Conventuales occasionem datam per elevationem unius ex ipsis ad Sedem Apostolicam frustra praetermittere nolebant, qua in re valde sunt adiuti a nepote Pontificis *Petro de Riario.* Hic, qui primum fuerat Conventualis, post mortem Bessarionis anno 1472 factus est protector ordinis non obstante aetate sua iuvenili et vita effrenata. Sixtus tamen odium ex persecutione Observantium oriundum timens, causam anno 1472 commisit quibusdam Cardinalibus, inter quos erat Petrus de Riario. Votum eorum non erat dubium: bullam Eugenianam esse abolendam et Observantes totaliter submittendos esse Conventualibus. Nihilominus Papa vicarium generalem Observantium cismontanorum *Marcum Bononiensem* ad consistorium citavit, ut causam suam defenderet, priusquam decideretur. Qui cum videret se nihil proficere, regulam S. Francisci e manica extractam proiecit in medium aulae dicens: „Beatissime Pater, defende tu ipse Observantiam regulae tuae, ego amplius non valeo." Post haec discessit et diutius delituit timens iram Pontificis[5]. Papa et Cardinales perplexi de hac audacia decisionem ad aliud consistorium distulerunt. Interea Observantes ubique praesertim a principibus litteras protectorias et commendatitias consequi studuerunt, quibus Pontificis sententia mutaretur. Permultae, partim acerrimae Romam allatae sunt. Immo Anglorum rex minitatus est se simpliciter omnes Conventuales e regno suo eiecturum esse, si Observantes in minimo laederentur. Quae cum ita essent, Sixtus a suo proposito destituit dicens „se credidisse rem sibi esse cum fratribus mendicantibus, nunc vero omnes principes sibi supervenire".

Etiam in futuro Papa nihil amplius contra Observantes suscepit, sed ad protegendos Conventuales ex quattuor ordinibus mendicanti-

---

[1] Ibid. 255. [2] Ibid. 99. [3] Ibid. 224. [4] AF II 462.
[5] W XIV 2.

bus anno 1474 bullam *Dum singulos*[1] edidit, qua stricte vetuit, ne laici Conventuales e domibus suis expellerent et Observantes in ipsas introducerent. Cum enim fratres reformati omnia bona et fundationes ad conventus pertinentes alienarent, probabiliter quidam laici ex causis egoisticis Conventuales iniuria expulerunt. Non tamen patet, utrum omnes eiusmodi Conventualium querelae iustificari possint. De cetero certum est hanc bullam saepe non esse observatam, quare anno 1480 iterum urgeri debuit.

Ministro generali Episcopo facto in capitulo Urbinati anno 1475 electus est *Franciscus Nanni,* qui post victricem dissertationem de immaculata Conceptione a Sixto cognomen accepit *Samsonis.* Ordinem per 24 annos, diutius quam quisquam praedecessorum suorum gubernans, per virtutes suas et benignitatem factus est amicus omnium, etiam Observantium, quos semper protexit. Ipsorum benedictum incrementum invidiam quidem multorum concitavit, sed minister generalis omnes postulationes eis obsistendi constanter recusavit. Solummodo reformationi radicitae Ximenis (Jimenes) in Hispania non consensit.

Sixtus IV mortuus est die 13 Augusti 1484. Ipse eiusque in Pontificatu gesta diversimode iudicantur. Respectu ordinis ad summum eius liberalitas in concedendis privilegiis eiusque nimia obsequentia quoad studia separationis inter Observantes vituperari potest. De cetero eius nepotismus, eius politica eiusque negligentia in exsequenda necessaria reformatione ecclesiae vitia sunt magna. Laudari tamen debent, quae fecit contra periculum ex parte Turcarum, pro bono temporali patrimonii Petri et urbis Romae, praesertim vero pro incremento artis et scientiarum. Capella Sixtina et bibliotheca Vaticana monumenta sunt, quae ornant eius nomen in perpetuum[2].

§ 26. Brevis conspectus congregationum reformatarum saeculo XV exsistentium[3].

Inter Congregationes reformatas longe maximi momenti erat *regularis Observantia,* de qua hucusque sumus locuti. Scopus eiusdem erat restauratio disciplinae regularis in communi et conservatio peculiarium

---

[1] W XIV 95.

[2] *Pastor,* Geschichte der Päpste II[2] 428.

[3] Gub. I 606. W X—XV passim. *Gonzaga* 19. *Cornejo-Gonzalez* VI—VIII. *H. Helyot,* Histoire des Ordres VII. *M. L. Patrem,* Tableau synoptique de l'histoire de tout l'ordre séraphique, Paris 1879, 30.

illarum idearum, super quas ordo erat exstructus, praesertim conservatio paupertatis eo modo, quo observabatur saeculo XIII, et quo legitime praescripta erat usque ad annum 1430[1]. Quod ea, quae intendebat, magnam ad partem assecuta est, quod ubique stabiles residentias cum multis membris fundare potuit, debet imprimis relativae libertati, qua se ipsam regere poterat per proprios superiores e suo gremio desumptos. Valida haec actio reformatoria in communitatem redundavit, cuius melior pars sub nomine *Reformatorum* vel *Observantium sub ministris* (Observantium de Communitate, Martinianorum, § 23) in conventus reformatos se recepit. Eorum modum vivendi ex fontibus saeculi XV non cognoscimus. In summa ab Observantibus differebant in eo, quod proprios superiores non habebant, sed ministris communitatis suberant, quodque saepe proventus annuos retinebant. Numerum conventuum reformatorum omnino ignoramus. Utrum in Italia aliqui huius vitae viri inveniendi sint, dubitatur; certum saltem est eos maxime floruisse in Gallia, in provincia Saxoniae et Coloniae, ubi etiam appellabantur *Coletani.* Quo iure id nomen, quod versus finem saeculi XV expresse recusabant, acceperint, adhuc non patet[2]. Sane non erit cogitandum de facultatibus iuridicis, quas S. Coleta habuerit ad reformandos istos conventus, sed magis de influxu morali individualitatis Sanctae, qui multos fratres, praesertim in Burgundia, ad reformationem accipiendam pertraxit. Congregationem propriam Coletani nunquam formabant neque ad familiam ultramontanam accedebant, hortante imprimis S. Coleta, quae schisma in ordine vitare cupiebat. Nihilominus sub auctoritate ministrorum exsistentes exemptionem quandam sibi comparabant, ne totaliter iterum absorberentur a Conventualismo[3]. Iam hac de causa iniustae erant inimicitiae, quibus circa annum 1500 ducente *Bonifatio de Ceva* familiam impugnarunt. De cetero austeritate vitae Observantibus pares magna gaudebant auctoritate in Gallia. Unione anni 1517 peracta nomen Coletanorum totaliter disparet.

Praeter has duas maiores congregationes reformatas, „Observantes de familia“ et „Observantes de communitate“, in decursu saeculi XV ortae sunt aliae minores, quae sub propriis superioribus et legibus

---

[1] Quomodo hic se habuerit respectu regulae, cf. *[Alexander Ariostus,]* Tractatus aureus, qui inscriptus est *Serena conscientia:* Mon. III 114 et Spec. III 134. Declarationes regulae vicarii generalis *Ioannis Philippi:* Mon. III 101 et Spec. III 181. Inane illud *Doctrinale salutis Ioannis de Aragon:* Spec. III 98. Denique „Tractatus de decem plagis paupertatis“ vocatus *Bonus Pastor,* Lipsiae 1516.
[2] Cf. *Ubald d'Alençon:* EF XIX (1908) 460 668. [3] W XV 140.

viventes neque Observantibus neque Conventualibus annumerari volebant. Terrae classicae pro his factiunculis erant Italia et Hispania.

In *Italia* anno 1473 multa eremitoria praesertim in Umbria et Marchia Anconitana nexum cum ordine Franciscano a Pontifice impetrarunt. Hi erant reliquiae asseclarum *Angeli Clareni,* qui eiectis a sua societate Fraticellis sub oboedientia Episcoporum vitam duxerant anachoretarum, vocati iuxta formam habitus sui (becca) *congregatio della becca.* Papa, qui ipsos vocabat „Pauperes Eremitas societatis quondam fratris Angeli Chiarini“ [1], eis permisit, ut suscepto habitu Franciscano proprium eligerent vicarium generalem, qui tamen subesset ministro generali. Dux eorum, *Petrus Hispanus,* factus est primus vicarius generalis congregationis nunc legitimae, in qua antiquus spiritus schismaticus nondum erat exstinctus. Pars enim illorum veterem habitum et vitam retinuit illudens eis, qui transierant, nomine *Exclarenorum* vel *Aclarenorum.* Idem spiritus revixit, cum Iulius II ipsis mandaret nexum cum Observantibus, cui non obtemperabant, sicut nec Leoni X, qui idem postulabat. Tandem ferrea voluntas Pii V maioritatem eorum coegit relinquere suum nomen et accipere Observantiam; minor tamen pars Conventualibus se adiunxit.

Eodem modo dissoluta est congregatio *Amadeitarum,* quae fundata erat ab Amadeo (= Petro Ioanne Menesio), nato nobili genere Lusitano, qui post vitam vicissitudinibus plenam aliquos conventus Italiae superioris reformavit, e quibus propriam custodiam erexit. Haec praestitit extraordinariis austeritatibus, praesertim quoad ieiunium. Sixtus IV, qui factus est potens Amadei adiutor, congregationi huic Romae conventum S. Petri in Montorio tradidit, in quo fundator diu magnis austeritatibus deditus vixit. Anno 1482, quo mortuus est Amadeus, congregatio iam 28 domos possidebat, quarum Ecclesiae magnam ad partem dedicatae erant S. Mariae de Pace. Iulio II et Leoni X, conantibus adimere ipsis privilegium proprii regiminis, resistentes a Clemente VII iterum acceperunt confirmationem iuris exsistentiae pro sua provincia, cui nomen S. Petri in Montorio imposuerant, usquedum Pius V puerili studio proprietatum finem faceret.

Peculiaris quidam animus inerat *Neutralibus,* qui circa annum 1463 sub praetextu reformationis in Italia orti sunt. Libenter audiebant nomen Observantium, leges autem Observantiae non curabant, sed vivebant partim sub propriis superioribus partim directe sub ministro generali, quia conscientia eis dictabat, ut neque ministris neque

---

[1] W XIV 79.

vicariis provincialibus oboedirent (Neutri parebant). Duces eorum, Petrus de Trani, Valentinus de Treviso, Philippus Messanensis et Ludovicus de Padula acceperunt etiam privilegia Pontificia ad erigendos novos conventus. Cum vero Papa certior factus esset de abusibus apud eos vigentes, mandavit anno 1467, ut vel ministris vel vicariis provincialibus se subderent[1].

Neque diuturnior erat congregatio *Caperolanorum* (Capriolanorum), fundata a Petro Caperolo, claro praedicatore, qui cum quibusdam Observantibus male contentis e provincia Mediolanensi aliquas domos intra terminos Brixiae (Brescia) accepit, e quibus permittente Sixto IV proprium vicariatum formavit. Nova haec congregatio se subdidit inspectioni Conventualium, sed non magnificavit eorum laetitiam. Mortuo fundatore anno 1480 eius asseclae reversi sunt ad Observantiam.

Ideas Spiritualisticas renovarunt *Antonius de Castelgiovanni* et *Matthias de Tivoli,* qui regulam observaturi ad litteram declarationes eiusdem condemnabant. Antonius, qui anno 1475 intentionem suam exsequendam susceperat, post diuturniorem incarcerationem conquiescens, factus est praedicator egregius in numero Observantium usque ad mortem, quae accidit anno 1482. Matthias vero, qui circa annum 1495 praetendebat se per visiones ad ordinis reformationem esse vocatum, poenis non resipuit, sed multos socios collegit, quos hierarchice ordinatos simulata potestate perpetrandorum miraculorum per aliquod tempus continuit. Hi fraude perspecta quoad maximam partem redierunt ad Observantes, aliqui tamen, in quibus erat Matthias, ad Conventuales.

Etiam in *Germania,* ubi Spirituales nunquam multum profecerant, circa annum 1485 ducente *Casparo Waler* provinciae Germaniae superioris manifestata est actio studiis virorum supradictorum non dissimilis. Haec tamen subitaneo modo finita est per inclusionem Caspari in conventu extra provinciam[2].

Plures adhuc congregationes reformatae in *Hispania* ortae sunt, quarum antiquior Petro Villacretio (Villacreces, § 19), anno 1422 mortuo, ascribitur, quin tamen pateat, quo iure id factum sit. Fieri quidem potuit, ut Petrus versus finem vitae suae ordinationes a regulari Observantia alienas pro eremitoriis de Aguilera et Abrojo composuerit, verisimile tamen est ipsas auctorem habere eius discipulum *Lopez de Salazar y Salinas,* qui factus est caput principale

---

[1] W XIII 404. [2] AF II 492 498.

„Reformationis Villacretianae“. *Petrus de Santoyo,* alius Villacretii discipulus, Observantiae Italae defendebat principia, iuxta quae multos conventus provinciae Castiliae reformabat. Historia asseclarum Lopetii adhuc non latius patet quam historia Observantiae Hispanae in communi. Duodecim fere eremitoria custodiae S. Mariae Minorum, quae gubernabat, immediate suberant ministro generali, usquedum eorum fundator anno 1459 moreretur, ex quo tempore se adiunxerunt Observantiae. Ipse Lopez pro suis eremitoriis proprias composuerat constitutiones[1], quas ordinationibus a S. Francisco pro Portiuncula datis similes esse dicebat. Praecipiebant praesertim meditationes, perpetuam abstinentiam a carne et vino, rigorosum ieiunium et flagellationes, qua de causa longe excedebant modum regulae. Ulterius progressus est in suo testamento[2], quo studium totaliter vetuit. Iudicia de eius persona ipso adhuc vivente diversissima erant.

Minoris momenti erat *congregatio Capucciolae* (della Capucciola) quam *Philippus Berbegal,* membrum Observantiae in Aragonia, circa annum 1430 excitavit. Protestans contra constitutiones Martinianas[3], quae ordinem ad unitatem reducere studebant, secessit cum quibusdam sociis a ceteris Observantibus, novam fundaturus congregationem, quae nomen suum accepit a caputiis pyramidalibus, quae portabant tamquam signum verorum S. Francisci filiorum. S. Capistrano vehementer in eos invehente Eugenius IV totam sustulit sectam.

Maximi momenti pro evolutione futura ordinis in Hispania erat reformatio *Ioannis a Puebla*[4], qui ortus est genere comitum de Sotomayor. Hic, qui primum fuerat Hieronymita, anno 1480 e manibus Sixti IV habitu Franciscano accepto expertus est vitam Observantium Italorum in eremitorio Carcerum (Le Carceri) prope Assisium. Anno 1487 ab Innocentio VIII in Hispaniam remissus fundavit in montibus Sierrae Morenae residentiam, cui in memoriam Portiunculae imposuit nomen *S. Mariae Angelorum.* Mox plura accesserunt eremitoria, quae anno 1489 in *custodiam SS. Angelorum* coadunata vicario generali Observantium subdita sunt. Inter egregios viros, qui orti sunt ex hac congregatione, nominari imprimis meretur Franciscus de Angelis (Quiñones), qui postea factus est minister generalis. Ioannes de la Puebla proprias condidit constitutiones[5], in quibus praesertim praecipit, ut fratres meditationem, paupertatem et ieiunium stricte

---

[1] *Cornejo* VI 156.
[2] W XIII 86. Eius scripta contra Observantes vide apud Sbar. SS. 507
[3] Ibid. 399 614. [4] *Cornejo* VII 373. [5] Ibid. 415.

servent, discalceati incedant et stipendia missae resignent. De cetero hae constitutiones magna praestant brevitate; leges enim medicamentis similes esse debent, quae tantummodo modice appensa proficiunt.

Mortuo magistro eius discipulus *Ioannes Guadalupensis*[1], non amplius contentus de „Observantia stricta", introducere studebat „Observantiam strictissimam", quae, sicut patet, vestibus quoque a ceteris Observantibus differre debebat. Quia vero hi schismati se opponebant[2], subdiderunt se protectioni Conventualium, qui invidentes Observantiae omnes reformatores, etiam maxime dubios, suscipiebant, ut impedirent Observantiae incrementum. Revera Ioannes anno 1496 breve Pontificium accepit, quod ei permisit, ut regulam omissis omnibus declarationibus et privilegiis Pontificum ad litteram observaret[3], quodque eum caput sequacium suorum nominatum ab omnibus superioribus provincialibus eximebat. Sicut erat exspectandum, *Guadalupenses* reformationem suam a vestibus inceperunt: caputium accepit formam pyramidalem, mantellus decurtatus est, petia varii coloris habitui assuta et sandalia abiecta sunt. Quapropter populus eos appellabat *Discalceatos* vel Caputiatos *(Fratres de Caputio)*, etiam *Fratres de sancto Evangelio,* vel quia Evangelium accurate observare praetendebant, vel quia zelose praedicabant. Ipsi erant germen familiae Discalceatorum, quae optime de propagatione evangelii merita est, quod tamen nos impedire non debet in condemnatione modi, quo orta est.

Haec valent etiam in aliis casibus, quae acciderunt in historia ordinis. Facile enim fallimur ex posteriori evolutione alicuius instituti iudicium ferentes de fundatore, quo factum est, ut saepe habuerimus sanctos eos, qui talem aestimationem non meriti sunt, quique saepe puro putoque ducebantur egoismo.

§ 27. Generalatus Aegidii Delfini. 1500—1506. Constitutiones Alexandrinae[4].

Samsone ministro generali officio fungente reformatio Conventualium parum progressa est, immo aliquae provinciae, velut in Gallia.

---

[1] Ibid. VIII 359.

[2] Contra eum scriptum esse videtur *Defensorium observantiae contra deviantes* etc.: Firm. IV 153; Mon. III 186; Spec. III 257.

[3] W XV 255.

[4] AF II 522. Mon. III 227. Firm. I 38. W XV 213. Gub. I 194; III 138. Chronica Franc. fol. 128.

amplas dispensationes respectu pecuniae sibi comparaverant[1]. Hoc facto Coletanus quidam, *Ioannes Perrinus,* doctor Parisiensis, proprium conscripsit tractatum, in quo non solum tristem statum Conventualium in Gallia castigat, sed etiam omnes eorum noxias dispensationes invalidas esse demonstrare conatur[2]. *Aegidius Delfini,* successor Samsonis, qui erat electus a Conventualibus in capitulo Interamnensi (Terni) anno 1500, res ad meliorem statum reducendas suscepit. Undequaque tot querelae de dissolutione omnis disciplinae apud Conventuales ad Pontificem erant delatae, ut procurator ordinis cogeretur haec verba ad capitulum facere: „Durum est ulterius refellere, qui undique ad Sanctissimum Dominum nostrum et ad nos de vobis et vestra conventualitate uberrimas querelas afferunt, quibus hactenus a spe tamdiu praedicatae reformationis in cassum restitisse delusi cernimur; quare si vestri huius capituli universitas quidquam sapit, abusibus corruptelis ac vesaniis toto orbe in conventualium mores constrepentibus, ita obsistatis et obvietis, ut protegere vos in eiusmodi vivendi modo non erubescamus.“[3]

Novus minister generalis sincere intendebat reformare ordinem. Imprimis nova amplissimaque statuta componi sategit, quae in capitulo deliberata et anno 1501 a Pontifice confirmata sunt, quare *Constitutiones Alexandrinae*[4] vocantur. Magni sunt momenti propter ordinationes, quas respectu iuris constitutionis (droit de constitution) continent, attamen pro Conventualibus solummodo valent, quos ad disciplinam ordinis in communi, non vero ad resignationem dispensationum adigere volunt. Putabant enim eorum infirmitati, in quantum fieri posset, cedendum esse, quia impossibile videbatur inveteratos mores subito mutare, et quia durae leges eos ad desperationem adducere potuissent. Solummodo lente et prudenter procedendo reformationem certe sperabant. Si iam haec principia omnium praeteritorum saeculorum experientia redarguuntur, ea quae de praeceptis regulae exponuntur, infimum sunt, quod Franciscani aliquando in legislatione praestiterunt. Capitulum enim optabat, ut Papa declarationem ederet, iuxta quam superiores dispensare possent ab omnibus praeceptis regulae, exceptis tribus votis. Deinde, ne ordo ulterius imminueretur, constitutum est, ut quilibet guardianus aliqua saltem membra habilia communitati adduceret, secus habendus esset inhabilis.

---

[1] Firm. II 1 66. [2] Firm. IV 132 199. Mon. III 157. Spec. III 171.

[3] *Marczic* I 30.

[4] Chron. I 148. Gub. III 138. Constitutiones Alexandrine Ord. Min. Edite an. 1501. Romae 1501.

Formula professionis ita mutata est, ut novitius promittere deberet observantiam regulae iuxta declarationes Pontificum, praesertim Martini IV et V, Clementis V, Eugenii IV, Sixti IV et Alexandri VI, aliis verbis: status Conventualismi retinebatur. Sententia harum constitutionum de interdicto pecuniae indignationem movet. Non enim sincere confitentur se non posse aut velle hoc praeceptum servare, quam ob rem dispensationem sibi esse acceptam, sed mandatum tali modo exponunt, ut illud deludere videantur. Abdicatio proprietatis „in communi" secundum principium retinetur, nihilominus conceduntur latifundia, proventus, immo et peculium clausulis firmatum, et *fratres* procuratores.

Notatu digna sunt, quae ordinantur in capitulo ultimo harum constitutionum de modo, quo perficienda sit reformatio suscepta. In omnibus capitulis provincialibus inquiri debet, utrum adsint fratres, qui secundum „regularem Observantiam" vivere cupiunt. Quibus inventis conventus, quem optant, concedi debet, in quo sub protectione superiorum vivere possunt. Ex eorum gremio desumendi sunt superiores ceterorum conventuum, quia superiores culpam habere consueverunt, si subditi a disciplina regulari deficiunt. Ut minister generalis melius possit perficere reformationem, protectionem principum et popularium sibi procuret, quae omnia Observantes iam dudum fecerant contradicentibus illis ipsis, qui haec statuta composuerunt. De cetero non patet, quid hoc loco intelligendum sit sub nomine Observantiae regularis, utrum intenta sit solummodo exsecutio novorum statutorum, quae ad omnes pertinebat, an abolitio privilegiorum sensim sine sensu facta et applicatio ad familiam Observantium. Neque magis patet positio legitima ipsius familiae. Partim enim liberata ab obligatione observandi nova statuta, partim vero praescripta est oboedientia erga ministros provinciales ordinarios et abolitio decretorum concilii Constantiensis atque posteriorum Pontificum. Nota bene! haec exacta sunt, quamquam paulo ante concessum esset reformationem sub superioribus non reformatis proficere non posse.

Tali legum codice instructus Aegidius Delfini ad reformationem se accinxit. Finis, quem intendebat, erat unio totius ordinis, mediis vero usus est optimis: vivebat enim sicut zelosissimus frater ex Observantia, semper discalceatus incedebat in suis visitationibus, ubique optimum relinquens conversationis suae exemplum. Ubicumque intemperantiam et nimiam licentiam vivendi inveniret, ita severe intercessit, ut fratres quoque e conventibus eiceret et Observantes loco eorum introduceret. Immo minitatus est se Conventualibus „Sacrum

conventum" Assisiensem dempturum esse. Domibus guardianos reformatos et provinciis Observantes praeponere studuit, quod ut perficere posset, a Pontifice facultates necessarias impetraverat. Profecto, si Delfini aliquas aetates hominum prius fuisset minister generalis, immortalia de ordine merita adeptus esset, quia schisma in eo certe impedivisset. At male accidit, ut eo tempore eligeretur, quo contraria non iam conciliari possent. Solummodo hoc credere recusans peccavit, quae tamen culpa eum magis honorat quam maculat. Ipsius aequales et posteriores utriusque factionis scriptores raro iuste iudicarunt de eo. Conventuales enim vehementer eo irati erant, quod, quamquam pertineret ad ipsorum numerum, tamen conventus eorum demptos Observantibus tradidit, inter quos erat magnus ille conventus Parisiensis. Observantes autem ei non fidebant simulque timebant, ne celerius aequo cum Conventualibus commixti remitterent in disciplina religiosa et observantia regulari[1]. Facta historica sententiam eorum iustificarunt. Multi ergo Conventuales reformationem accipiebant, partim, ut ministro generali placerent, partim, ut eum provocarent, consulto se submittentes oboedientiae vicariorum, non ministrorum provincialium, quod Delfini unitatis causa optabat. Damnum huius rei imprimis passi sunt Conventuales, attamen vis interna Observantium quoque per aggregationem pure externam tot fratrum valde est debilitata, quod paulo post separationem anno 1517 factam apparuit.

Aegidius Delfini exorsus est reformare in *Italia,* quin tamen multum perficeret, quia Observantes unioni resistebant et Conventuales reformationem recusabant. Inde transiit in *Galliam,* ubi adiuvante rege multos conventus ad meliorem reducebat frugem. Ceterum principes tunc temporis valde allaboraverunt reformationi ordinum, praesertim etiam Maximilianus Imperator in Germania et Belgia. Hi sane interdum aequo violentius egerunt, praecipientes Conventualibus, ut Observantiam et oboedientiam vicariorum provincialium susciperent, nisi vellent expelli, qua de re innumerae querelae Romam sunt allatae. Nihilominus fere quotiescumque Papa Episcopis locorum illorum inquisitionem causae comittebat, sententia Observantibus favorabilis

---

[1] Cf. AF III 649. Hoc tempore ortae sunt apologiae pro Observantibus a *Ludovico de la Turre:* Spec. III 228. Ab *Alexandro Ariosto: Minorica* elucidativa rationabilis separationis Fratr. Min. de Observ., Paris. 1499; Venetiis 1505; etiam in Mon. III 168; Spec. III 245. Contra quam scripta est *Antiminorica* adversus minoricam, Venetiis 1505, a *Petro de Cruce* Hispano Portugalensi. Continet simul refutationem Ioannis Perrini, quem supra nominavimus.

erat, quia principes ecclesiastici Conventualibus non minus adversi erant quam saeculares. Igitur praecepta toties repetita de non acceptandis domibus alterius partis de facto frustra erant data. Attamen hic modus reformandi pro Observantibus quoque erat obtrectatio quaedam vigoris interni.

E Gallia minister generalis in *Hispaniam* transmigravit, ubi *Ximenes* (Jimenes) Archiepiscopus[1] adiutrice Isabella regina reformationem iam fortiter aggressus erat. Studebat ipse Conventuales quattuor ordinum mendicantium veros reddere Observantes, illos autem, qui id fieri recusabant, benigne vel violenter e suis conventibus amovere. Hoc in negotio magna erant superanda impedimenta, partim respectu laicorum, qui timebant, ne fundationes a se factae ulterius non persolverentur, partim in fratribus ipsis, qui per brevia Pontificia contra reformationem se defendebant. Sed Ximenes minime deterritus est ab exsecutione eorum, quae necessaria esse cognoverat. Regnante enim Alexandro VI brevia venalia erant pro omnibus rebus, ita ut ipsi vicarii generales Observantium breve acciperent, vi cuius invalida declarare poterant omnia brevia in favorem subditorum suorum edita et edenda, quae disciplinae regulari detrimento erant. Hos imitatus est Ximenes, quapropter ei denique contigit, ut quattuor ordines mendicantes quasi totaliter reformaret, quo in negotio, proh dolor! Conventuales Franciscani pessimas agebant partes. Multi illorum, qui reformationem accipere recusabant, regis iussu navi impositi ad Pontificem missi sunt; alii in Africam profecti ad religionem Mahumeticam defecerunt[2]. Actioni reformatoriae Ximenis ordines multa debent, praesertim ordo Minoritarum, qui in Hispania nunquam illum valorem, quo postea gaudebat, assecutus esset, nisi magnus eius filius disciplinam regularem restituisset. Attamen eius ratio agendi non placuit ministro generali ordinis, qui, calumniatoribus credens, Archiepiscopum a gratia reginae exturbare conatus est. Hac in re nimia facilitate credendi deceptus est, quod ipse postea intellexisse videtur, quia secus regina, quae Ximenem maximi putabat, ministro generali vix gratiam fecisset adeundi Pontificem pro convocatione novi capituli generalissimi, in quo unio ordinis perficienda esset sub ministro generali e sinu Observantiae desumpto.

---

[1] *C. J. Hefele*, Der Kardinal Ximenes, Tübingen 1844. *Gomez*, De rebus gestis Fr. Ximenii, Francofurti 1603. *Fléchier*, Histoire du card. Ximenes, Amsterdam 1700. *Cornejo* VIII. *G. Casanova*, El Cardenal Jiménez de Cisneros, Madrid 1907.

[2] *Hefele* l. c. 192. AF II 519 544. *Bonifatius de Ceva* in suo „Defensorio", quod postea commemorabimus.

Ex Hispania in Galliam redux minister generalis *Trecis* (Troyes) capitulum generale celebravit, ad quod Observantes quoque utriusque oboedientiae invitaverat. Maioritas huius capituli constabat ex fratribus reformatis, quos Aegidius Delfini unire intendebat reducendo Observantes de familia ad oboedientiam ministrorum instar Observantium de communitate, quamquam hi multis in casibus proventus annuos non resignaverant, sed tantummodo syndicis administrandos tradiderant[1]. Ut unio perficeretur, minister generalis omnes cautiones spopondit: nimirum ut Observantes ad suos vicarios redire possent, si superiores ex Observantibus desumpti officium suum non implerent, ut Conventuales, qui ad Observantes transirent, in primo septennio ad ordinis officia assumi nequirent, ne ambitione ducti id facerent. At Observantes, qui comparuerant, spatium deliberandi quaerebant, quia inconsultis sociis suis et vicario generali causam definitive decidere non possent. Post capitulum minister generalis actionem suam in Gallia continuavit. Inter alia magnum conventum Parisiensem reformavit et provinciae Franciae *Bonifatium de Ceva* praeposuit, qui tempore ministerii sui excellebat studio reformandi et acerrimis impugnationibus Observantium de familia.

Alexandro VI mortuo minister generalis novum Pontificem, Iulium II, qui ipse aliquamdiu inter Conventuales vixerat, pertraxit ad sententiam uniendi omnes ordinis congregationes in *magno capitulo Romae* anno 1506 congregando. Attamen Delfini cum dolore ibidem experiri debuit utramque partem resistere unioni sibi desideratissimae, quod suppositis omnibus, quae praecesserant, mirum non est. Cum vero ad haec omnia multi Conventuales, qui reformationem perhorrescebant, eum calumniose accusarent[2], a munere se abdicavit et secessit in conventum Neapolitanum Observantium, unde mox ad aeternum praemium est vocatus. Electioni novi ministri generalis Observantibus cum voce activa et passiva interesse permissum est, quod ipsi recusabant, quia in maioritate non erant et unionem nocivam putabant. Igitur a solis Conventualibus et fratribus reformatis sibi subditis electus est *Raynaldus Graziani* a Cotignola, qui inimicissimus erat familiae Observantium, cuius exemptionem peiorem esse putabat quam omnia Conventualium privilegia[3].

---

[1] *Benoffi* 227. [2] Firm. I 38.
[3] Firm. IV 165.

§ 28. A capitulo generalissimo anni 1506 usque ad capitulum generalissimum anni 1517[1].

Capitulo finito Papa duo edidit edicta[2], quibus imprimis lites de mutua ereptione conventuum intra terminos provinciarum ultramontanarum semper de novo erumpentes tollere volebat. Statum praesentem esse tenendum cassatis omnibus causis pendentibus. Solummodo fratres Aragoniae, qui ex brevi ministro generali se subiecissent ea conditione, ut in proximo capitulo generali unio fieret sub capite reformato, ad vicarios redire posse. Haec omnia Conventualibus magno erant damno, quod paucis conventibus, quos Raynaldus minister generalis recuperavit, non resarciebatur.

Maioris momenti erat aliud Pontificis mandatum, iuxta quod minores congregationes Clarenorum, Amadeitarum, Coletanorum et Guadalupensium intra spatium unius anni se totaliter adiungere debebant vel Conventualibus vel Observantibus, quam causam maioritas singularum domorum decidebat. Casu quo ad Conventuales accedebant, vitam reformatam retinere et superiores reformatos accipere debebant. Hoc decretum non gaudebat maiori successu ac eius repetitio anno 1510 facta, quia omnes hae congregationes in summa perstiterunt separatae usque ad annum 1517.

Interea minister generalis simul cum quibusdam ministris Germaniae et Galliae unioni amicis, in quibus maxime praestitit Bonifatius de Ceva, nova statuta exaranda curaverat, quae in capitulo generali anni 1506 discussa, postea a commissione, auctoritate Pontificia instructa, modificata, denique anno 1508 a ministro generali et Cardinali protectore publicata sunt. Haec *statuta generalia et papalia* vel *statuta Iulii II*[3] artificium sunt legislationis. Comprehendunt enim accuratissime magna cum peritia historiae et iuris in duodecim capitulis summam declarationum regulae a Pontificibus et privatis hucusque editarum, auferunt multas censuras, quae tantummodo mentes perturbant et plenam comparant certitudinem iuris abolendo omnia statuta priora. Destinata sunt imprimis pro *Conventualibus reformatis,* quibus opponuntur *Conventuales deformati,* illi videlicet, qui dispensationibus ex tempore Martini IV datis renuntiare nolebant. Unio autem ordinis intendebatur eo modo, ut Observantes de

---

[1] AF II 540. Firm. I 39. Chronica Franc. fol. 132. W XV 313. Gub. III 215; II 131 157. *Marczic* III 87; II 250.

[2] W XV 313. [3] Firm. III 1.

familia, exemptionem suam plenarie resignantes, simul cum Conventualibus reformatis fundamentum ordinis efficerent, Conventuales vero deformati damnarentur sensim sine sensu exstingui, concessis domibus novitiatus et studiorum exclusive fratribus reformatis.

Quae continentur in his statutis, in summa eadem sunt, quae Observantes iamdudum postulabant: antiqua professionis formula restituitur in signum resignationis privilegiorum in ultimo saeculo acceptorum. Latifundia, proventus annui et ius hereditarium a Sixto IV concessum tolluntur, paucis tantummodo casibus exceptis, e. g. respectu conventuum studiorum. De fundationibus decernitur iuxta mentem Observantium, ut pecunia legata dominis vel heredibus restituenda sit, quod si fieri non possit, tradatur aliis collegiis, ut per ea obligationibus annexis satisfiat. Munere procuratoris fungi possunt tantummodo saeculares, minime fratres ipsi. Vita quoque religiosa Observantium gratia severius ordinatur, iniungendo praesertim meditationis officium et commendando disciplinae laudabilem consuetudinem. Ut denique omne dubium de sinceritate reformationis auferatur, disponitur, quod ministro generali duo vicarii reformati adiungendi sint tamquam visitatores, quod procurator generalis et ministri provinciales deponendi sint, si reformationi obsistant, quodque nemo vocem in electione ministri generalis habere possit, qui non ipse pertineat ad fratres reformatos. Adiungitur his statutis appendix pretiosa continens praecepta liturgica et formularia negotiorum cum officialibus ordinis gerendorum.

Profecto hae constitutiones aptum erant fundamentum verae reformationis et unionis. Obscurum autem, sicut multa alia in hac historiae ordinis epocha, est, quod ipsae imprimis non in Italia, sed in provinciis ultramontanis tantum publicatae sint, ubi bonum exercuisse influxum et multas communitates ministris reformatis adduxisse videntur. In hac ordinis parte res ita erant, ut Observantes simul cum Conventualibus reformatis longe maiori numero gauderent, quare Conventuales deformatos ad reformationem accipiendam cogere vel saltem ad interitum damnare poterant. Ita probabiliter etiam accidisset, nisi Italia, ubi res omnino aliter se habebant, id impedivisset. Ibi enim Observantes et Conventuales reformati sine aliquo intermedio inter se ex adverso stabant; Clareni videlicet et Amadeitae tam parvi erant momenti tamque ab utraque congregatione principali differebant, ut partes intercessorum agere nequirent. Cum igitur nuntius de eis, quae in provinciis ultramontanis gerebantur, in Italiam pervenisset, familia cismontana pro Observantiae ex-

sistentia timebat, quam solummodo sub vicariis possibilem esse putabat. Hoc verum esse poterat quoad Italos, qui tamen ignorabant, quomodo res se haberent extra Italiam, quia Observantia a duobus capitibus omnino diversis regebatur neque citra et ultra Alpes eodem modo evolvebatur, quae valent imprimis de exercitiis pietatis externis et de austeritatibus, quas regula quidem non exigebat, sed multi Observantes Itali valde urgebant. Quapropter vicarius generalis cismontanus, *Franciscus Zeno,* qui iam anno 1506 contra unionem steterat, die 22 Novembris anni 1510 [1] breve *Etsi nostrae* a Pontifice impetravit, quo exemptio Observantium iterum restituta est, quia ordinationes, quae in statutis Iulii II exemptioni contradicerent, „potius“ essent „extortae quam impetratae“.

Hoc facto ultimus et optimus unionis conatus ad irritum cecidit eo, quod conditio ordinis in Italia simpliciter extendebatur ad totum ordinem. In Italia sane tamdiu unio non erat possibilis, quamdiu *utraque* pars nolebat, sed extra Italiam perfici potuisset cum omnimoda Observantium victoria. Male igitur ex ratione agendi vicarii cismontani accidit, ut studia unionis in provinciis ultramontanis consisterent et acerrimum oriretur certamen inter Conventuales reformatos Bonifatio duce et Observantes de familia. Magnus numerus libellorum [2] saepe passionibus solis inspiratorum foras emittebatur, in quibus Bonifatius exemptionem Observantium acerbissime impugnat dicens multos Observantes eam repudiare et vi tantummodo sub vicariis retineri. Quibus Observantes responderunt reformationem sub ministris ea tantum de causa profecisse, quia familia exsisteret, ad quam unusquisque transire posset. Ministros provinciales fratres reformatos non inquietare, ut impedirent eorum transitum ad Observantes de familia, qui nisi fuissent, reformationem inter Conventuales ne triennium quidem duraturam fuisse. Quare se firmiter stare in eo, quod „bulla Eugenii IV esset anima regulae“. Cognomina contumeliae causa iam pridem imposita iterum colebantur: *Bullistae Eugeniani* vel *Constantienses* audiebant Observantes, Coletani vero *Nicolaitae.* In Gallia controversiae a Bonifatio delatae sunt ad senatum [3], qui

---

[1] W XV 419.

[2] Pro familia tunc temporis certabant *Monumenta, Speculum,* deinde *Gilberti Nicolai* Quaestio super regulam sancti Franc. ad litteram (ca 1513) eiusque Tractatus dictus *Veritas omnia vincit,* Lipsiae 1516. Pro Conventualibus reformatis vel Coletanis intercedit Bonifatius de Ceva in omnibus operibus suis, quorum maximi valoris sunt *Firmamenta.* Cf. ibid. IV 164 et *Othon* II 530.

[3] *Articuli in supremo parlamenteo senatu Parisiensi* ad Christianissimi Francorum regis Ludov. XII iussum veram divi ordinis minorum observantiam pacem

congregationes Observantium vi unire conatus est. Quod cum non proficeret, Bonifatius proposuit, ut causa substerneretur *concilio Lateranensi,* ad quod utraque pars sententiam suam mitteret. Bonifatius ipse conscripsit in hunc finem acerrimum suum *Defensorium*[1], in quo vicarianos accusat, quod Conventualibus domos eriperent, qua in re causa maioris numeri eorum inquirenda esset. Nihilominus conventus sub ministris reformatos in Gallia sola numerum quasi centesimum attigisse. Concilium igitur unionem perficere debere, sed tantummodo sub ministris; contrarium enim esse impossibile, quia esset contra regulam S. Francisci.

Libellus hic, qui primo destinatus erat pro concilio Lateranensi, publico usui traditus ubique omnium oculos ad se convertit, etiam in Germania, ubi hucusque fratres reformati relative quieti vixerant. Quapropter vicarius provinciae Germaniae superioris, *Casparus Schatzgeyer*[2], apologiam[3] composuit, quae iam obiectivitate et quiete sua superat linguam immoderatam sui adversarii. Bonifatius, ait bene Schatzgeyer, magnis resonat verbis pro unione, quam de facto impedit passionibus suis et consiliis atque factis. Si Observantes domum non reformatam reducunt ad disciplinam, bonum perpetrant opus, quia conventus sine disciplina ius exsistentiae amisit. Ipsi ceterum semper cum beneplacito Apostolico agunt, quare querelae de *iniusta* ereptione domorum fundamentum non habent, quod etiam patet ex documentis authenticis. Ad quaestionem de vicariis notat Schatzgeyer S. Franciscum non fuisse grammaticum, sed voluisse bonos superiores a Sede Apostolica approbatos. Mirum revera esse, quod Observantibus semper crimini detur dispensatio accidentalis, vi cuius superiores suos non ministros sed vicarios appellent, dum Conventuales essentiales suas dispensationes contra regulam pro nihilo putent. Quid dicendum esset, *si Papa ministros Conventualium magistros vocaret et vicarios Observantium ministros?* Unionem totius ordinis optimam quidem fore, sed practice simul esse impossibile. Igitur saltem inter congregationes reformatas unionem esse perficiendam, idque eo sensu, ut omnes Observantes ad familiam acce-

---

et unionem in suo praecipuo regno peroptantis . . . convocatis partibus . . . conscripti et exhibiti . . . S. a. s. l.

[1] *Defensorium* elucitativum observantiae regularis fratrum minorum editum a Rev. *P. Bonifacio,* provinciae Franciae ministro. S. a. s. l. (ca 1515).

[2] *N. Paulus,* K. Schatzgeyer, Freiburg i. Br. 1898.

[3] Apologia status fratrum ordinis minorum de observantia nuncupatorum declaratoria: Adversus patrem Bonifatium . . . S. a. s. l. (Basileae 1516).

derent, sive Bonifatius id turpe putaret sive non. Videbimus sententiam Caspari Schatzgeyer fundamentum fuisse unionis.

Contra hanc apologiam Bonifatius responsionem[1] scripsit, simul tentans auxiliante senatu positionem suam firmare[2], sed sine successu. Tempore verno anni 1517 praematura morte occupatus experiri non debuit se per tot annos frustra laborasse.

Dum igitur in Gallia et Germania unio saltem inter congregationes reformatas appetitur, in Italia totalem separationem inter Conventuales et Observantes moliebantur, quia ibidem contraria non iam poterant conciliari inter se. Minister generalis Raynaldus, unioni amicus, anno 1510 cedere debuit *Philippo Forcacci,* qui post regimen unius anni mortuus est. Cui successit anno 1513 *Bernardinus Prati* ultimus minister generalis totius ordinis Fratrum Minorum, e gremio Conventualium electus.

Contentiones inter partes sensim sine sensu ita scandalosae evenerant, ut praeter Maximilianum Imperatorem etiam principes Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, Angliae, Daniae, Sueciae, Norwegiae et Poloniae, multi Episcopi et municipia Pontificem adirent, ut ipsis denique definitivum finem faceret. Quae continuerint hae litterae, adhuc ignota latent, verisimile tamen est ex tota auctorum agendi ratione eos postulasse unionem fratrum reformatorum eorumque totalem independentiam a Conventualibus. Has epistolas Leo X aliquibus Cardinalibus examinandas commisit, qui iuxta earum sententiam causam deciderunt, quod patet ex edicto Papali *Romanum Pontificem,* edito die 11 Iulii anno 1516[3]. Indicitur capitulum generalissimum Romae in festo Pentecostes anni 1517 celebrandum, ad quod comparere debent omnes vocales tum Conventualium tum Observantium; illi quoque, qui sub ministris non reformatis reformatam ducunt vitam, e. g. Amadeitae, Clareni et fratres de Caputio, in unaquaque provincia duos fratres reformatos eligere debent, qui in capitulo eisdem iuribus gaudeant ac ceteri. Patet ex hoc mandato Pontificem intendisse separationem.

§ 29. Separatio definitiva anno 1517 facta[4].

Observantes cismontani et ultramontani in conventu Aracoelitano congregati Pontificem supplicaverunt, ne se ad unionem cum Con-

---

[1] W SS. 85. [2] AF II 556. [3] W XVI 25.

[4] AF II 557. Chronica Franc. fol. 146. W XVI 41. Gub. II 162. *Marczic* II 263.

ventualibus cogeret, quia differentia respectu aestimationis regulae inter utrosque esset maxima. Libenter vero se ad unionem paratos esse, si Conventuales vitam reformatam suscipere vellent et frater reformatus ad generalatus officium assumeretur. Hanc sententiam Papa proposuit Conventualibus, qui post longam deliberationem talem unionis modum recusarunt, quia tuta conscientia iuxta privilegia a Pontificibus concessa vivere possent. Hoc responso accepto Leo X Conventuales deformatos in sensu statutorum anni 1508 ab electione ministri generalis exclusit, ceteros vero, Conventuales scilicet reformatos, simul cum minoribus congregationibus Amadeitarum, Clarenorum et Fratrum de Caputio coadunavit cum Observantibus sub nomine *Ordinis Fratrum Minorum* cum vel sine appositione *regularis observantiae.* Dolendum est, quod ordo titulum „regularis observantiae" ita adamavit, ut eam retineret ad annum usque 1897 loco appellationis a S. Francisco ipso datae et a Pontifice expressis verbis concessae.

Post haec Leo fratres iure electionis gaudentes omnium congregationum reformatarum ad conventum Aracoelitanum convocavit, ubi praesidentibus Cardinali protectore Grimani et duobus aliis Cardinalibus cetera pertractabantur. Imprimis vicarii Observantium declarati sunt veri ministri provinciales et discreti eorum veri custodes, quo facto ius electionis ceterorum fratrum reformatorum probatum est. Deinde praelecta est bulla „Ite et vos in vineam meam", edita die 29 Maii anni 1517 [1], quae vocari consuevit *bulla unionis,* quia omnes Fratres Minores reformatos uniebat. Eodem iure vocari potest *bulla separationis,* quia Conventuales deformatos definitive ab ordine seiünxit.

Quae continet haec bulla, breviter sic tradi possunt: omnes Fratres Minores reformati imposterum sua nomina et privilegia peculiaria resignare et totaliter se subdere debent ministro generali, qui eligendus est a *reformatis* ministris provincialibus et custodibus Conventualium, a vicariis et discretis familiae Observantium, qui abhinc etiam nomine ministrorum et custodum gaudent, et a vicariis Amadeitarum, Clarenorum et Fratrum de Caputio, quibus adiunguntur adhuc duo vocales pro illis provinciis, in quibus conventus possident. Ne autem illi conventus reformati, quorum ministri reformationem recusaverant, iure electionis priventur, iuxta decretum „Romanum Pontificem" (§ 28) duos fratres eligere possunt, qui tamquam eorum

---

[1] W XVI 42.

delegati electioni ministri generalis intersint. Hoc modo congregati sunt 142 vocales. Sicut electores, ita et minister generalis eligendus ad partem reformatam ordinis pertinere debet. Ut unio ordinis imposterum salva consistat, constitutiones pro toto ordine communes promittuntur et sub gravi poena prohibetur, ne quis audeat ab ordine secedendo novam sectam inchoare. Praeterea haec bulla *ordinationes* magni momenti *de constitutione ordinis* continet: officium generalatus per sexennium et officium provincialatus per triennium durabit. Ut facilius reddatur regimen, ordo dividitur in „familiam cismontanam“ et „ultramontanam“, e quibus vicissim desumendus est minister generalis. Familia, ad quam hic minister non pertinet pro singulis trienniis, accipit commissarium generalem, ministro generali subditum, qui tantummodo tot facultatibus gaudet, quot ei a capitulo generali conceduntur.

His peractis electus est *Christophorus Numai* a Foro Iulii (Friaul), qui antea fuerat vicarius generalis familiae cismontanae. Iam prius Papa Bernardinum ministrum generalem e Conventualibus anno 1513 electum deposuerat, mandans ipsi, ut sigillum ordinis traderet suo successori. Conventuales, qui seiunctis fratribus reformatis minor erant ordinis pars[1], de translatione generalatus ad congregationes reformatas vehementer irati Pontificem diffamarunt, praetendentes eum magna pecuniae quantitate esse corruptum[2]. In conventu duodecim Apostolorum elegerunt sibi superiorem sub titulo *ministri,* non *magistri generalis*, quod Papa praeceperat, quare Leo electionem cassam declaravit. Postea electum confirmavit tamquam magistrum generalem vetans, ne imposterum acciperetur alia appellatio. Denique accuratius repetiit ordinationes suas in bulla „Omnipotens Deus“, edita die 14 Iunii anni 1517, quae etiam *bulla Concordiae*[3] dicitur, in qua haec fere disponit: Conventuales eligere posse solummodo magistrum generalem, cui confirmatio a ministro generali totius ordinis impetranda sit, sicut antea vicarius generalis Observantium fecerit. Pro prima vice se ipsum magistrum generalem confirmare. Similiter etiam provincias Conventualium abhinc *magistros provinciales* eligere debere, qui a ministris provincialibus Observantium confirmandi sint. In regimine ipso tamen magistros a ministris totaliter esse independentes, instar vicariorum Observantiae; solummodo ministrum gene-

[1] Gub. II 176.
[2] *B. Riggenbach,* Das Chronikon des Konrad Pellikan, Basel 1877, 62.
[3] W XVI 51.

ralem „paterne“ visitare posse Conventuales, a quibus „tamquam totius ordinis superior“ honorifice recipi debeat. Utramque partem vetitam esse eripere domus alterius partis. Quodsi Conventuales reformari velint retentis privilegiis suis, hanc reformationem perficiendam esse a solis superioribus eorum. Si autem privilegia sua resignare et oboedientiae ministrorum se totaliter subicere intendant, id fieri posse a cummunitatibus quidem consentientibus duabus fratrum partibus, a singulis autem praemonitis magistris. In processionibus et omnibus publicis actibus Observantes *praecedere* Conventuales.

Ut servaretur pax, ambo ordinis partes in praesentia Cardinalis protectoris a publico notario *Instrumentum transactionis et concordiae*[1] conficiendum curarunt, in quo summa bullarum praedictarum repetitur et magister generalis Conventualium protestatur se neque in propria persona neque per alios immutationem decretorum Leonis X appetiturum esse neque admissurum, ut hac in causa appellationes fiant. Nihilominus Papa iam die 6 Decembris eiusdem anni[2] Conventualibus ordinationem de praecedentia denuo ingerere et declarare debuit Observantes et fratres reformatos veros esse Minoritas, quapropter iure se vocare possent filios S. Francisci. Incredibile quidem videtur Conventuales deformatos illius temporis praetendisse se solos veros esse filios S. Francisci, attamen verba Pontificis aliam expositionem non admittunt. Quia vero ne haec quidem admonitio successum habebat, Leo die 15 Aprilis anni 1518 encyclicam[3] ad principes ecclesiasticos et saeculares dedit, in qua historia separationis obiter tacta minitatur se Conventuales mandatis suis contravenientes simpliciter subiecturum esse oboedientiae ministrorum, qui reformationem etiam invocato brachio saeculari peragere deberent. His consideratis verisimile est, quod traditur, scilicet Leonem X tunc temporis cogitasse Conventualium ordinem auferre[4], i. e. probabiliter efficere, ut communitates Conventualium sensim sine sensu exstinguerentur modo in statutis Iulii II designato. Multum roboris, quod postea in vanis et stultis contentionibus periit, hoc facto meliorem usum invenisset et servata esset ordinis unitas, quae per aliud medium restitui non poterat. Ambo enim partes, reformata et non reformata, tantum differebant ad invicem in modo vivendi et in relatione ad regulam, ut minime in unam eandemque societatem coadunari

[1] W XVI 56. Gub. II 509.
[2] W XVI 490. [3] Gub. II 174. [4] *Benoffi* 233.

possent, quare nihil aliud remansit quam separatio. Omnes sinceri ordinis amici eam deplorabunt, quamcumque familiam hodie profiteantur.

Iniustum tamen esset, si quis Conventuales modernos, qui ubique in regulari vivunt disciplina, identificare vellet cum Conventualibus deformatis saeculi XV. Neque Fratres Minores hodierni ullam habent causam defendere errores et peccata, quae commiserunt Observantes illius saeculi. Omnes tamen confiteri debent reformationem, cuius columen principale semper fuerat Observantia, ordini novas vires infudisse novamque inflammationem et fundationi S. Francisci typum suum peculiarem conservasse.

Caput II.

Evolutio provinciarum ordinis. Statistica.

§ 30. Circumscriptio provinciarum durante saeculo XIII et XIV[1].

S. Franciscus in principio fratres suos ad tempus tantum miserat ad praedicandum; ex anno denique 1217 secundum certum agens consilium dividebat mundum christianum in provincias, in quas fratres cum „ministro“ duce emisit. Territorium missionis, quod singulis fratrum manipulis obtigerat, mox nomen accepit *administrationis* vel *provinciae,* sed non in stricto sensu iuridico moderno, quia significabat tantummodo regionem assignatam pro missionibus praeside ministro provinciali agendis. Hae provinciae neque geographice subtiliter determinatae neque in principio distributae erant in circumscriptiones vel *custodias*, quae sensim sine sensu ortae sunt, quando fratres in suam provinciam advenientes discedebant, vel quando numerus residentiarum, quas mox erigebant, coniunctionem domorum finitimarum administrationis causa postulabat. Quia vero termini provinciarum in principio amplas regiones intercludebant et residentiarum numerus celeriter crescebat, erectio custodiarum mox necessaria evenit. Quod autem custodes certo et definito numero domorum invigilare debebant eorumque naturaliter intererat illas conservari, sponte adduxit accuratam circumscriptionem custodia-

---

[1] AF IV 178 503. *C. Eubel,* Provinciale O. F. M., Quaracchi 1892, et BF V 579. *F. A. Righini,* Provinciale O. S. Fr. Conventualium, seu Polychronicon Iordanis, Romae 1771 (cum delineationibus geographicis). *P. Rudolphius,* Hist. Seraph. Religionis, Venetiis 1586, 246. *N. Papini,* Storia di S. Francesco I 180. *G. Golubovich:* Arch. I (1908) 1.

rum simul et provinciarum, ad quas pertinebant. Haec evolutio in alia ditione poterat esse in actu, cum in alia iam dudum esset perfecta.

Adhuc nondum contigit, ut nomina vel tempus fundationis primarum provinciarum certe definirentur, ex quo patet, quod chronistae illius temporis id magni non putaverint, eo ipso, quia provinciae tunc non erant stabiles unitates administratoriae more provinciarum modernarum. Nec licet illos, qui in litteris ad se directis vocantur „ministri", dicere ministros provinciales, quia interdum custodes et guardiani quoque audiebant hoc nomen [1]. Similiter neque ex institutione ministri provincialis pro aliqua missione concludi potest fundatio provinciae stabilis. Sanctus fundator e. g. iam anno 1217 ministrum pro Germania nominaverat, quin tamen primi fratres ante annum 1221 fines Germaniae ingressi sint, quod probabiliter saepius accidit. Viceversa fieri potuit, ut fratres iam dudum sub ministris laboraverint in aliqua ditione, in qua provincia post multos denique annos erecta est, quia fratres inde vel discesserant vel tam pauci erant, ut simpliciter provinciae vicinae annumerarentur. Ex his omnibus incertitudo et contradictiones in chronicis satis declarantur, praetermisso, quod saepe patriotismus chronistam inspiraverit.

Quot provinciae exstiterint in ordine anno 1232, quando *Elias* officium generalatus suscepit, difficile est indagatu, certum tamen est eum valde auxisse numerum ipsarum, cupiens iuxta numerum traditionalem discipulorum Domini habere 72 ministros provinciales in ordine. Debilitatio vigoris interni provinciarum hac re producta Eliae quidem commodo erat, sed non ordini. Minores enim provinciae communiter difficile conventibus suis sufficientem numerum fratrum providere possunt et satisfacere exigentiis et negotiis provinciae impositis, praesertim respectu fratrum studentium excolendorum, quare pro magnis operibus ordini propositis, praesertim pro missionibus quasi nihil praestare possunt. Hoc in decursu historiae ordinis dilucide apparet. Receptio multarum residentiarum stabilium et divisio continua in novas provincias debilitationem virium adduxit et perditionem earum pro operibus secundariis, qua in re bonum commune totius ordinis semper detrimentum est passum. Minister generalis theoretice quidem erat caput omnium fratrum, sed practice eis tantummodo uti poterat, qui in provinciis supervacanei erant,

[1] *Papini* II 183.

quique non semper optimi erant. Quamdiu universalismus medii aevi durabat, detrimenta huius systematis non adeo manifesta fiebant; nihilominus iam tunc cognoscebatur, quam periculosa esset talis nimia divisio, quare statim post *Eliae ruinam* anno 1239 provinciarum numerus iterum diminutus est per novam circumscriptionem. Igitur erectae sunt 32 provinciae, quarum 16 sitae erant in ditionibus ultramontanis, ad quas tunc temporis adhuc pertinebant Austria et Hungaria, quae saeculo XV per Observantiam Italam familiae cismontanae aggregatae sunt. *Divisio in duas familias* saeculo XIII et XIV non ex officio facta videtur, certe nullius erat momenti respectu iuris constitutionis.

Paulo post Papa quibusdam fratribus permisit, ut extra Italiam provincias fundarent et ministros instituerent, quod tamen privilegium iam anno 1247 interpellante ordine abolevit[1]. Idem Nicolaus IV anno 1288[2] gravius adhuc vetuit, decernens, ut pro erigenda omni nova provincia petendum esset beneplacitum Apostolicum. Comperimus quoque ex hoc edicto provincias interea, probabiliter tempore generalatus S. Bonaventurae, numerum 34 attigisse.

Divisio provinciarum in custodias legislationi ordinis reservata esse videtur; nihilominus accidit, ut interventio quoque Sedis Apostolicae invocaretur[3]. Econtra *receptionem vel translationem conventus* mendicantium Bonifatius VIII anno 1298 expresso beneplacito Apostolico obnoxiam fecit[4], cui praecepto non subiecta erat erectio solitudinum. Ceterum ordo iam anno 1274 praeceperat, ne qua nova residentia sine expressa ministri generalis licentia fundaretur[5]. Hoc facto effrenatae libertati erigendi domus et provincias salutare frenum erat impositum.

Seriem provinciarum vel praecedentiam earum, de qua postea tantopere est decertatum, veteres Franciscani recto ducti iudicio ne minimi quidem faciebant, quare veteres catalogi penitus inter se differunt, neque in eorum dispositione certum invenitur principium. Antiquissimus provinciarum schematismus ex hucusque notis authentice eruitur ex diplomate Gregorii X anno 1274[6] edito, quod substratum est etiam tabellae pag. 142 sequenti *geographice*[7] dispositae, cuius columna sinistra designat probabilem statum provinciarum anno, quo mortuus est S. Franciscus.

---

[1] BF I 493. [2] BF IV 19. [3] BF VII 159. [4] C. un. VI° V, 6. [5] ALKG VI 43 102. [6] BF III 226.

[7] Provinciae Italae semper enumerantur hoc modo: Italia media — Italia superior — Italia inferior (Regnum Neapolitanum).

Provinciae anno 1226	Provinciae anno 1274
	1. S. Francisci (Umbriae).
1. Tusciae	2. Romana.
2. Marchiae	3. Marchiae Ancon. (Picena).
	4. Tusciae.
	5. Bononiensis (Flamineae: BF VII 196).
3. Lombardiae	6. Ianuensis.
	7. Mediolanensis.
	8. Marchiae Tarvisiae (Veneta, S. Antonii Pat.).
4. Terrae Laboris	9. Pennensis (Aprutiorum, ex anno 1457 S. Bernardini).
	10. Terrae Laboris.
5. Apuliae	11. S. Angeli (sc. Michaelis de M. Gargano).
	12. Apuliae.
6. Calabriae	13. Calabriae.
	14. Siciliae.
	15. Syriae (Terrae Sanctae, Promissionis, Antiochiae).
7. Ultramarina	16. Sclavoniae (ex anno 1393 Dalmatiae: BF VII 82).
	17. Romaniae (Graeciae).
	18. Portugalliae (S. Iacobi).
8. Hispaniae	19. Castiliae.
	20. Aragoniae.
	21. Franciae.
9. Franciae	22. Turoniae.
10. Provinciae	23. Burgundiae.
	24. Provinciae (Narbonnensis, Arelatensis).
	25. Aquitaniae.
	26. Coloniensis (Germaniae inferioris).
	27. Alemaniae (Al. superioris, ex saeculo XIV etiam Argentinensis).
	28. Saxoniae.
11. Teutoniae[1]	29. Daciae (Daniae, cum Suecia et Norvegia).
	30. Austriae.
	31. Hungariae.
	32. Bohemiae.
12. Angliae	33. Angliae.
	34. Hiberniae (Irlandae, rarius Scotiae).

[1] Divisionem huius vastae provinciae designat hoc schema:

Teutoniae

Rheni (1230)		Saxoniae (1230)		
Coloniensis (1239)	Alemaniae (1239)	Saxoniae	Daciae	Bohemiae
		(Austriae		Hungariae).

Utrum provinciae Austriae et Hungariae a provincia Teutoniae fundatae sint an a provinciis Italis, valde dubium est.

Duabus provinciis, quae certe assignari non possunt, exceptis reliquae 32 iam exstiterunt ex anno 1239, ex quo possessionem suam sibi servasse videntur. Multae earum nomine et fortasse ambitu quoque iam antea exstabant, qua tamen de re adhuc nil certi declarari potest.

Hic provinciarum status iuxta mandata Pontificum retinebatur usque ad saeculum XV. Novae administrationes, quae oriebantur, nomen accipiebant *vicariarum,* quae mandante ministro generali regebantur a vicario. Aliquae earum stabiles erant et postea titulum et iura provinciarum recipiebant; alia iterum disparuerunt vel tot mutationes subierunt, ut earum nomen et situs difficile possit assignari. Ad has vicarias, quarum erectio partim usque ad saeculum XIII pertingit, pertinet vicaria *Scotiae,* quae tempore Eliae provincia facta, postea saepius cum provincia Angliae coniuncta, idemtidem sui iuris est effecta[1]. In Italia vicariae *Corsicae* et *Sardiniae* separatae sunt probabiliter a provincia Tusciae. Regionem septentrionalem peninsulae Balcani occupabat ampla vicaria *Bosnae* (Wallachiae), quae numero fratrum et domorum multas superabat provincias. Eius mater, provincia Romaniae, post filiae separationem adhuc comprehendebat Graeciam cum Creta et aliquibus insulis maris Adriatici et Aegaei. Macedonia et Constantinopolis efficiebant vicariam *Orientis* (Tatariae orientalis), quae secundum litus meridionale Ponti Euxini usque ad Turcestanum et Indiam se extendebat et fines suos porrexit inter fines vicariae *Tatariae* (Cathay-China), quae extremum complectebatur orientem. Vicaria *Aquilonaris* (Tatariae septentrionalis) suas residentias habebat in ditionibus Russiae modernae. Versus occidentem ab hac vicaria exsistebat vicaria *Russiae,* ad quam pars meridionalis et orientalis Galiziae modernae pertinebat, iuxta quam sita erat versus Wilnam vicaria *Livoniae* (Lithuaniae, Lithuanie). Concluditur series vicariarum saeculi XIII et XIV hucusque notarum cum vicaria *Tunisii* (Maroc), quae orta esse videtur ex provincia *Barbariae* (Berberie), quam Elias quondam erexerat.

§ 31. Statistica pro saeculo XIII et XIV[2].

De numero *domorum et custodiarum* durante saeculo XIII pauca tantummodo scimus, quia deest omne vestigium libellorum antiquorum

---

[1] AF I 235. Gub. III 74.

[2] Eadem litteratura ac pro § 30. Ulterius: *Ubald d'Alençon:* EF X (1903) 95.

Tabella statistica pro saeculo XIII et XIV.

	Anno 1282[1]		Anno 1316[1]		Anno ca 1340[1]		Anno ca 1384[2]		Anno ca 1390[1]	
Provinciae:										
1. S. Francisci	—	55	VII	66	IX	70	IX	76	IX	77
2. Romana	—	53	VII	49	VII	48	VII	41	VII	51
3. Marchiae Ancon.	—	85	VII	88	VII	87	VII	100	VII	90
4. Tusciae	—	48	VIII	50	VII	46	VII	51	VII	51
5. Bononiensis	—	38	V	42	V	41	V	43	V	44
6. Ianuensis	—	30	VI	33	VI	34	VI	34	VI	34
7. Mediolanensis	—	54	V	23	V	23	V	27	V	26
8. Marchiae Tarvisiae	—	33	IV	30	IV	30	IV	37	IV	35
9. Pennensis	—	49	VI	48	VI	41	VI	43	VI	42
10. Terrae Laboris	—	41	V	48	V	49	V	56	V	55
11. S. Angeli	—	54	IV	22	IV	29	IV	30	IV	29
12. Apuliae	—	59	IV	23	V	26	IV	28	V	26
13. Calabriae	—	15	III	40	IV	18	III	20	IV	17
14. Siciliae	—	55	V	25	V	25	V	30	V	27
15. Syriae	—	8	—	—	—	6	III	12	II	8
16. Sclavoniae	—	18	IV	22	IV	23	IV	30	IV	25
17. Romaniae	—	9	III	9	III	12	III	15	III	13
18. Portugalliae (S. Iacobi)	—	39	VII	40	VII	36	IX	43	VIII	42
19. Castiliae	—	49	VIII	40	VIII	41	VIII	43	VIII	44
20. Aragoniae	—	36	V	36	VI	37	VI	39	VII	37
21. Franciae	—	58	IX	58	IX	59	IX	60	IX	57
22. Turoniae	—	33	V	33	V	35	V	36	V	35
23. Burgundiae	—	55	VI	36	VI	35	VI	36	VI	38
24. Provinciae	—	50	VIII	58	VIII	52	VIII	52	VII	52
25. Aquitaniae	—	79	X	62	X	63	XI	63	X	61
26. Coloniensis	—	80	VI	48	VII	48	VII	48	VII	48
27. Alemaniae superioris	—	55	VI	54	VI	49	VI	53	VI	51
28. Saxoniae	—	75	XII	100	XII	87	XII	100	XII	85
29. Daciae	—	57	—	—	VIII	34	VIII	37	VIII	33
30. Austriae	—	18	VI	20	VI	20	VI	30	VI	25
31. Hungariae	—	54	VIII	43	VIII	45	X	50	VIII	45
32. Bohemiae	—	31	VII	40	VII	43	VII	49	VII	43
33. Angliae	—	58	VII	58	VII	52	VII	57	VII	60
34. Hiberniae	—	57	IV	30	V	32	IV	35	V	31
Vicariae:										
1. Scotiae	—	—	—	—	—	6	III	9	—	—
2. Corsicae	-	—	—	—	—	—	III	11	—	8
3. Sardiniae	—	—.	—	—	—	5	III	10	—	5
4. Bosnae	—	-	—	—	—	—	VII	35	VII	35
5. Russiae	—	—	—	—	—	—	IV	15	—	14
6. Livoniae	—	—	—	—	—	—	II	5	—	—
7. Orientis	—	—	In Armenia, Syria et Tartaria 33 loca		—	14	IV	18	III	12
8. Aquilonaris	—	—			—	17	IV	18	II	17
9. Chinae	—	—			—	4	III	9	—	3
10. Tunisii	—	—	—	—	—	—	II	5	—	—
Summa Custodiarum[3]	—		197		211		254		226	
Summa Locorum[3]	1583		1407		1422		1639		1531	

[1] Arch. I (1908) 19 20 22. [2] EF X (1903) 95.

[3] Nomina custodiarum et residentiarum reperienda sunt apud *Eubel*; AF IV 503; W IV 129, IX 160 206; *Haroldus*, Epitome Annal. O. M., Romae 1662, Append. II.

de statu provinciarum, qui iam ante generalatum S. Bonaventurae ad capitulum generale transmitti debebant[1]. Nihilominus ex quibusdam catalogis, quae ad nostra usque tempora pervenerunt, plus minusve accurate conici potest, quomodo status ordinis fuerit durante saeculo XIV et partim quoque durante saeculo XIII. In tabella pag. 144 delineata numerus Romanus significat custodias, numerus vero Arabicus residentias, quae partim fuerunt conventus, partim eremitoria.

In hac tabella, cuius census interdum mendis non carent, notabilia sunt: imprimis magnae numerorum differentiae inter annum 1282 et 1316 respectu quarundam provinciarum; deinde magnum residentiarum incrementum post luem contagiosam saeculi XIV. Horum factorum rationem invenire non possumus.

Quoad *numerum fratrum* certae notitiae omnino desunt. Bartholomaeus Pisanus[2] simpliciter dicit: Ex magno numero conventuum sequitur magnus fratrum numerus, qui a nullo ceterorum ordinum superatur. Nihilominus cavendus est census exaggeratus, quare eis credendum non est, qui affirmant Fratres Minores durante saeculo XIII numerum 200 000 attigisse. Verum quidem est ex numero domorum solo collato cum conditione moderna ordinis coniecturam probabilem inveniri non posse, quia tunc numerus fratrum respectu singularum residentiarum multo magis differebat quam hodie, ita ut multi conventus tot centenos fratres continerent quot eremitoria singulos. Attamen si utimur conditionibus similibus Observantium versus finem saeculi XV[3], non multum errabimus, si pro maximo minimoque numero membrorum in singulis domibus accipimus numerum vigesimum, et sic numerus fratrum in toto ordine exsistentium versus finem saeculi XIII erit aestimandus ad 30 000—40 000. Ad eundem numerum ordo post aliquas diminutiones iterum pervenisse videtur versus finem saeculi XIV[4].

Observantibus decurrente saeculo XV ortis conditio ordinis etiam respectu circumscriptionis provinciarum penitus mutata est.

§ 32. Evolutio provinciarum Observantium usque ad annum 1517[5].

In principio Observantes minime cogitabant novas erigere provincias, sed studebant tantummodo Observantiam propagare intra

---

[1] ALKG VI 34. [2] AF IV 351. [3] AF III 640.

[4] His componi possunt, quae tradunt *Palomes* 115 et *Benoffi* 355, de quibus tamen rationem reddere non possumus.

[5] *Gonzaga* 44 155. W XII—XV passim. *Haroldus* l. c. AF III 640. Menologium 144.

provincias iam exsistentes, sive per fundationem novarum residentiarum sive per acquisitionem domorum, quas antea Conventuales possederant. Ex tempore autem, quo Observantes gubernium relative independens adepti sunt, domus eorum constituebant *vicariam*, quae nomen respectivae provinciae gerebat et ab Observantibus „provincia“ vocari consueverat. Solummodo, quando numerus Observantium in aliqua provincia minimus erat, non accipiebant vicarium, sed *commissarium*, quod etiam valebat pro vicariis in sensu pristino, e. g. pro Corsica et Sardinia, ne duo vicarii in una vicaria regnarent[1]. Quia igitur Observantia anno separationis 1517 in omnibus ordinis provinciis pedem figerat, numerus vicariarum vel provinciarum debuit esse 34; attamen de facto erat maior, quia decurrente saeculo XV diversis de causis mutationes maioris momenti acciderant.

In *Italia* anno 1475 erecta est vicaria *Brixiensis*[2], quae complectebatur Brixiae (Brescia), Bergomi (Bergamo) et Cremae ditiones, quae antea partim ad provinciam Mediolanensem partim ad provinciam Venetam pertinuerant. Haec nova vicaria mox aucta est per residentias Caperolanorum (§ 26).

In Italia inferiori quidam Observantes provinciae *Basilicatae*[3] studebant fieri sui iuris, quod et adepti sunt mediante brevi, quo eis anno 1484 proprius concedebatur vicarius. Domus huic subiectae a provincia Terrae Laboris seiunctae sunt et a provincia Apuliae, quae ex anno 1514 nomen provinciae S. Nicolai[4] accepit.

Postquam *Corsica* versus finem saeculi XV iura ceterarum provinciarum Observantium assecuta est, fratres in *Sardinia* degentes idem petierunt[5]. Cum vero a vicario generali cismontano non exaudirentur, per breve tempus Conventualibus se subdiderunt; sed paulo post ad Observantiam reduces auctore rege Hispaniae anno 1511 tamquam provincia sui iuris *familiae ultramontanae* coniuncti sunt.

Adhuc plures difficultates quam Sardes parabant ordini fratres per Balcani paeninsulam dispersi, quorum ratio agendi solummodo per eorum heroismum in oppugnandis Turcis aliquomodo compensatur. Cum *vicaria Bosnae* a mari Adriatico ad Pontum usque Euxinum pertingeret, divisio ex causis administratoriis necessaria est facta. Propterea anno 1447 ex domibus in parte meridionali Hungariae et in Transsilvania sitis constituta est *vicaria Hungariae*[6], quae per multas

---

[1] W XIV 381. [2] Ibid. 126 242. [3] Ibid. 381. Gonz. 501.
[4] W XV 454. [5] Ibid. 392. Gonz. 1075. Cf. W VII 105.
[6] W XI 284; XIV 647. *B. Bernardini* Chronica 83.

residentias a S. Capistrano reformatas admodum est aucta, ut circa annum 1517 longe numerosissima omnium provinciarum Observantium esset. Anno 1487 a vicariis generalibus defecit, at paulo post iterum petiit, ut reciperetur ad Observantiam, ad quam certe anno 1489 iterum pertinebat.

Cum vicaria Bosnae anno 1464 uniendae erant residentiae Dalmatarum et Ragusinorum[1]; sed unio partim non est perfecta partim iterum soluta. Post varios casus denique omnes assecuti sunt, quod optabant: nam anno 1478 erecta est vicaria *Dalmatiae* et anno 1486 vicaria *Ragusii*[2]; Bosni autem iam ex anno 1469 proprium eligebant vicarium. Quia vero apud vicarium generalem non omnia assequebantur eorumque modus vivendi notabiliter discrepabat ab Observantia Itala, intenderunt directe se submittere ministro generali. Ex hac crebra eorum dubitatione patet, quare postea saepius expresse commemoretur confirmatio vicariorum Bosnae ex parte Observantiae[3]. Anno 1514 haec provincia iterum est divisa, quo facto eius pars meridionalis et orientalis iuxta nomen conventus principalis appellata est vicaria *Bosnae Argentinae,* pars vero septentrionalis et occidentalis, quae sita erat in Croatia, vocabatur vicaria *Bosnae Croatiae*[4].

Sicut *Hungaria* et Bosna, ita multo magis provincia Romaniae et vicariae versus Orientem sitae passae sunt a Mahumetanis, quare anno 1461 Observantes praedictarum ditionum coniuncti sunt cum provincia Terrae Sanctae[5]. Attamen versus finem huius saeculi in insula Creta propria orta est provincia *Candiae,* ceteri vero fratres in Oriente, qui non ad certam pertinebant provinciam, recensentur tamquam „sub Turco“ viventes[6].

In *Austriam* Observantia introducta est a S. Ioanne Capistrano, qui multas fundavit residentias multosque praesertim doctos novitios ordini adduxit. Exinde anno 1452 ex conventibus Observantium in Austria et Bohemia constituta est vicaria *Austriae*[7], cui accedebant domus Observantium in Polonia. Veteribus tamen nationum dissensionibus et taedio de superioribus Italis factum est, ut anno 1467 nationes discederent et superiores indigenos eligerent. Novae vicariae *Austriae* et *Bohemiae* intra terminos suarum provinciarum manebant,

---

[1] *B. Bernardini* Chronica 99. [2] W XIV 127 194 381.

[3] W XIII 30; XV 454.

[4] *Greiderer,* Germania Francisc. I 69. *E. Fermendzin,* Acta Bosnae 307.

[5] Gub. III 115. [6] AF III 640.

[7] *Greiderer* I 271.

vicaria vero *Poloniae*[1] occupabat plurimos conventus in regno Poloniae sitos, qui antea partim ad vicarias Russiae et Livoniae pertinuerant.

In *ultramontana* quoque *familia* evolutio Observantiae notabiles mutationes quoad circumscriptionem provinciarum produxit, exceptis ditionibus Germaniae, in quibus tantummodo notandus est ortus *custodiae Kylolensis* (Kiel) vel *Holsatiae,* quae anno 1516 erecta est ex tribus conventibus meridionalibus provinciae Daciae. Ex anno tamen 1517 confirmatio custodis reservata est ministro provinciae matricis[2].

Ex insulis Britannis Hibernia et Scotia prius quam Anglia ipsa Observantiam receperunt, quo facto declaratur independentia vicariae *Scotiae* a provincia Angliae, in quam Observantia introducta est demum anno 1484[3]. Eodem anno conventus in Britannia minori (Bretagne) siti separati sunt a provincia Turoniae tamquam vicaria *Britanniae.* Alia mutatio status provinciarum in Gallia usque ad annum 1517 non accidit.

Maioris momenti erant mutationes in *Hispania.* A provincia S. Iacobi tempore schismatis aliquae domus Lusitanae secesserant, quae fundamentum constituisse videntur novae illius provinciae per Lusitaniam dispersae, quae post medium saeculi XV apparet sub nomine provinciae *Portugalliae,* quae appellatio usque ad illud tempus totius fuerat provinciae S. Iacobi[4]. Amplius diminuta est dicta provincia per studia Ioannis Guadalupensis (§ 26), qui auctoritate ministri generalis instructus incessanter cum Observantibus disceptando duas fundabat custodias, quae demum anno 1517 vi cum parte ordinis reformata coniunctae sunt[5]. Nihilominus in hoc quoque negotio Guadalupensibus contigit, ut patrocinantibus principibus saecularibus relativam sibi servarent independentiam, quia custodia *S. Mariae de Pietate* per Lusitaniam dispersa licentiam accepit eligendi ex numero fratrum Guadalupensium proprium custodem, qui a ministro provinciae S. Iacobi confirmari quidem debebat, ceterum autem de fratribus sibi subditis libere disponere poterat[6].

Maiora adhuc iura impetravit altera custodia Guadalupensium, custodia scilicet *S. Evangelii,* ex anno 1517 custodia S. Gabrielis vocata, cuius conventus exstabant in Extremadura pertinente ad provin-

---

[1] *Ioannes de Komorowo,* ed. *Zeissberg* 362.
[2] Gub. III 222 238. [3] W XIV 382.
[4] Gonz. 793. [5] Patrem 30. [6] W XVI 50.

ciam S. Iacobi. Huius enim custodiae superior directe suberat ministro generali. Residentiae in montibus Sierrae Morenae inter Toletum (Toledo) et Cordubam (Cordova) a Ioanne de Puebla fundatae anno 1517 a provincia Castiliae segregatae et in provinciam *SS. Angelorum* erectae sunt. Domus Observantium a Petro de Santoyo conditae in regionibus Palenciae et Segoviae iam anno 1477 coniunctae erant in *provinciam de Santoyo*[1].

Similiter a provincia Castiliae separatae sunt custodiae Burgensis et Hispalensis. Prior earum anno 1514 facta est *provincia Burgensis*[2], altera simul cum conventibus in regno Granatensi exsistentibus anno 1499 *provincia Baeticae* (Hispalensis, Granatensis)[3].

Provincia *Aragoniae* integra remansit in continenti. Solummodo Observantes in insulis Balearibus degentes, qui iam anno 1459 a provincia matre discesserant, congregati sunt anno 1517 in *provinciam Maioricarum*[4].

Meliori cum fundamento *insulae Canariae* longius distantes independentiam appetere potuerunt. Nihilominus ius anno 1485 eis concessum, propriam scilicet formandi provinciam, iam anno 1487 abolitum est, coniunctis conventibus earum cum custodia Hispalensi[5].

Denique nationi Hispanae adiunctae sunt ditiones *Americae* recenter detectae, a quibus Conventuales paene totaliter exclusi manebant. Iam anno 1505 orta est ibidem *provincia S. Crucis* (Insularum Indiarum), quae residentias in insulis Indiae occidentalis erectas complectebatur[6].

§ 33. Series provinciarum Observantium anno 1517. Statistica.

Tabella, quam modo appendimus, statum provinciarum Observantium ita continet, ut post capitulum generale anni 1517 inveniebatur. Columna sinistra divisionem ordinis circa annum 1400 exhibet, columna vero dextera continet provincias, quae partim a provinciis in columna sinistra correspondentibus separatae, partim in earum gremio tamquam novae unitates administratoriae ortae sunt. Claritatis gratia series hic et semper solummodo geographice est disposita. Dispositio iuxta antiquitatem (praecedentiam) tunc temporis nondum in usu erat[7], postea tam vaga est composita, ut omitti possit, quia sine ullo valore historico est et turpes dissensiones produxit.

---

[1] W XIV 178. [2] W XV 299. [3] W XV 177; XIV 422.
[4] W XVI 50; XIII 130. Contra quod cf. Gub. IV 399.
[5] W XIV 395 422. [6] W XV 298.
[7] „Ordo“ anni 1467 apud W XIII 461 sine dubio spurius est.

Provinciae circa annum 1400	Provinciae Observantium (post capitulum anni) 1517
	A. Familia cismontana.
1. S. Francisci	1. S. Francisci.
2. Romana	2. Romana.
3. Marchiae Ancon.	3. Marchiae Ancon.
4. Tusciae	4. Tusciae.
5. Bononiensis	5. Bononiensis.
6. Ianuensis	6. Ianuensis.
7. Mediolanensis	7. Mediolanensis.
8. Veneta (Marchiae Tarvisiae)	8. Veneta.
	9. Brixiensis.
9. Pennensis (S. Bernardini)	10. S. Bernardini.
10. Terrae Laboris	11. Terrae Laboris.
11. Apuliae	12. Apuliae (S. Nicolai).
	13. Basilicatae.
12. S. Angeli	14. S. Angeli.
13. Calabriae	15. Calabriae.
14. Siciliae	16. Siciliae.
Vicaria Corsicae	17. Corsicae.
15. Syriae	18. Terrae Sanctae.
16. Dalmatiae (Sclavonicae)	19. Dalmatiae.
17. Romaniae	20. Ragusii.
	21. Candiae.
Vicaria Bosnae	22. Bosnae Argentinae.
	23. Bosnae Croatiae.
18. Hungariae	24. Hungariae.
19. Austriae	25. Austriae.
20. Bohemiae	26. Bohemiae.
Vicaria Russiae	27. Poloniae.
„ Livoniae	
Vicaria Orientis	Sub Turco viventes.
„ Aquilonaris	
„ Chinae	
	B. Familia ultramontana.
1. S. Iacobi (Portugalliae)	1. S. Iacobi.
	2. Portugalliae.
	3. Custod. Pietatis (S. Mariae de Pietate).
	4. Custod. S. Gabrielis (S. Evangelii).
2. Castellae	5. Castellae.
	6. de Santoyo.
	7. Burgensis.
	8. Baeticae (Hispalensis, Granatensis).
	9. SS. Angelorum.
3. Aragoniae	10. Aragoniae.
	11. Maioricarum (?).
	12. S. Crucis (Insularum Indiarum, Hispaniolae).

Provinciae circa annum 1400	Provinciae Observantium (post capitulum anni) 1517
4. Franciae	13. Franciae.
5. Turoniae	14. Turoniae. 15. Britanniae.
6. Burgundiae	16. Burgundiae (S. Bonaventurae).
7. Provinciae	17. Provinciae (S. Ludovici).
8. Aquitaniae	18. Aquitaniae.
9. Coloniensis	19. Coloniensis.
10. Alemaniae (Argentinensis)	20. Argentinensis (Alemaniae superioris).
11. Saxoniae	21. Saxoniae.
12. Daciae	22. Daciae. Custodia Holsatiae (Kylolensis).
13. Angliae	23. Angliae.
14. Hiberniae	24. Hiberniae.
Vicaria Scotiae	25. Scotiae.
[Vicaria Sardiniae]	26. Sardiniae.

Numerus *domorum et fratrum* harum provinciarum accurate assignari non potest, quia ne unum quidem catalogum totum ordinem respicientem possidemus, cui fidere possimus[1]. Traditur tamen anno 1455 familiam Observantium 20 000 fratrum numerasse[2] et circa annum 1493 ultra 22 400 cum plus quam 1200 domibus. Computatis ad haec novis acquisitionibus per Ximenem in Hispania factis et ceteris reformatis, qui anno 1517 familiae adiuncti sunt, censendus est numerus fratrum de Observantia versus 30 000 cum 1500 circiter residentiis. Respectu harum in ditionibus linguae Romanae magis magisque recepta est consuetudo praeponendi nomen patroni conventus nomini loci, in quo situs erat, qui mos etiam ad nomen provinciarum translatus est. Recentiori tamen tempore iterum praeferuntur nomina geographica tamquam significationes clariores.

Adhuc minoris certitudinis sunt numeri pro statistica *Conventualium* durante saeculo XV et tempore separationis. Brevi ante annum 1517 adhuc 30 000 fratrum numerasse dicuntur[3], in quo numero certe comprehensi sunt fratres reformati sub ministris. Leo X ipse testatur eos post separationem numero longe inferiores fuisse Observantibus, quare censeri possunt ad 20 000 usque 25 000. Alii tamen numeros longe inferiores tradunt[4]. De numero *conventuum,*

[1] AF III 640 continet tantummodo provincias cismontanas. Alios catalogos cum *nominibus conventuum* anno 1506 exsistentium cf. apud W XV 317; *Haroldus,* Epitome Annal. O. M., Append. II; Menologium 144. — Gonzaga 45 non patet.

[2] Gub. II 101. [3] *Marczic* II 277.

[4] *Kerval,* S. François d'Assise 244.

quos tunc temporis adhuc possidebant, nil certi declarari potest. *Provincias* habebant 34 iuxta divisionem antiquam; at plurimae earum valde erant debilitatae, immo quaedam quasi totaliter exstinctae.

Caput III.

Constitutio ordinis.

§ 34. Lineamenta constitutionis ante et post annum 1239. De Cardinali protectore.

S. Franciscus, more hominum summa tantummodo appetentium, quaestiones de iure constitutionis respuit. Nimium enim boni de universitate hominum praesumenti in mentem non venit ad ordinatam vitam communem necessarias esse ordinationes accuratas, singula tangentes. Quantum autem talis idealismus sanctum fundatorem honorat, tantum erat perniciosus fundationi ipsi. Hac in re magnam ad partem inquirendus est fons taedii, quod S. Franciscus versus finem vitae suae interdum manifestabat quoad studia introducendi strictiorem organisationem. Quamdiu ipse fraternitatem gubernabat, ipsius voluntas erat norma, quare constitutio supervacanea erat. Anno 1221 a regimine ordinis se abdicans instituit „Ministrum (Servum) totius Fraternitatis“, cuius potestas absolute ad omnia se porrigebat, exceptis tantummodo eis, quae erant contra animam fratrum et contra regulam. In regula anni 1223 caput totius ordinis cum nomine *ministri generalis* accuratius distinguitur a ministris provincialibus, quin tamen eius potestas absoluta in aliquo coarctetur. Tamen in capitulo Pentecostes ministri provinciales et custodes eum, si ipsum inhabilem invenerint, deponere et alium loco eiusdem eligere possunt. Capitulis generalibus et provincialibus, quibus de cetero alia iura non competebant, praetermissis, continetur in dictis essentia totius constitutionis, quam ordo habebat tempore, quo mortuus est sanctus fundator.

Haec sufficiebant Ioanni Parenti, ministro generali; nulla enim facta inconvenientia audimus, quae ipso gubernante defectus accuratioris constitutionis produxerit. Elias vero absolutismo sibi concesso abusus est tyrannice, contra quod ordo protestatus totam constitutionem consentiente Pontifice *subvertit* in *capitulo generali* anni 1239 [1]. Imprimis sublato absolutismo praepositum est ministro generali ca-

---

[1] ALKG VI 20. *Boehmer,* Chronica 55.

pitulum generale, quod hucusque consilii loco fuerat. Reprobabant quidem aliqui hanc dispositionem, quia esset contra regulam, quae oboedientiam erga ministrum, non erga capitulum generale praeciperet. Contra hoc tamen interpositum est in regula contineri quoque officium celebrandi capitulum generale, cuius esset saluti ordinis prospicere, quare etiam minister generalis decreto lato pro ordinis bono oboedire deberet neque aliquid mutare posset. Intelligi quidem potest haec argumentatio ex circumstantiis illo tempore exsistentibus, quia ad evitandam tyrannidem alterius Eliae non patebat aliud effugium quam diminutio iurium ministri generalis. Nihilominus eadem quattuor magistrorum argumentatio falsa erat. Secundum regulam enim capitulum generale nulla gaudebat facultate nisi iure eligendi ministrum generalem ipsumque deponendi, si iuxta strictum verborum tenorem „*universitas* ministrorum et custodum“ pro ipsius inhabilitate suffragaretur. Participatio regiminis per legislationem capitulo vi regulae non concedebatur.

Quaeritur tamen, utrum ordinationes anni 1239, quas etiam minister generalis probabat, ordini utiles vel necessariae fuerint, quo supposito iustificatae sunt in se ipsis, quamvis verbo ac litterae regulae contradicant. Partim affirmanda erit quaestio, scilicet respectu *legislationis pro toto ordine,* cuius stabilitas certe maximo versabatur in periculo, si unusquisque minister generalis independenter leges stabiles poterat ferre, quare limitatio absolutismi in hoc puncto erat iusta, quia erat in bonum ordinis.

Attamen subversio anni 1239 ulterius progressa est. Postquam enim ministro generali *ius constituendi ministros provinciales* et ministris provincialibus respective custodibus ius nominandi guardianos ademit, transtulit hanc facultatem ad subditos ipsos. Immo fratres subditi exigebant ius celebrandi propria capitula generalia et provincialia seclusis ministris [1]. Exemplum huius videtur fuisse ordo Praedicatorum, in quo subditi in capitulis provincialibus eligebant definitores, qui per duos annos sequentes capitulum generale constituebant, superioribus ipsis convenientibus durante tertio anno. Ut lex aliqua vim acciperet obligantem, consensus horum trium capitulorum necessarius erat. In ordine Minoritarum *capitulum definitoriale* semel tantummodo est celebratum in *Monte Pessulano* (Montpellier) anno 1241. Arrogantia enim, qua ducti definitores postulabant, ut minister generalis et provincialis, qui aderant in

---

[1] Ibid. 58.

urbe, secederent, mox contradictiones excitabat, quibus contigit, ut capitulum definitoriale iterum auferretur[1], cuius loco subditis permissum est, ut participarent capitulo superiorum. Igitur ad capitulum provinciale ex quocumque conventu *discretus* a fratribus ibidem collocatis electus comparere poterat, ad capitulum vero generale discretus provinciae electus in capitulo provinciali a discretis conventuum. Hoc institutum epocham nostram supervixit.

Similiter stabile permansit *principium*, quod minister provincialis *eligendus esset* a subditis, quamquam illud omni fundamento in regula ipsa carebat. Quaerimus hic, utrum fuerit ordini proficuum. Si consideramus magnam ordinis industriam, praesertim inter inferiores populi classes, credere possimus, constitutionem democraticam ipsi esse aptissimam. Nihilominus tota ordinis historia contrarium docet et sententiam sancti fundatoris confirmat. Nunquam enim intra ordinem obmutuerunt querelae relaxationem disciplinae in provinciis originem ducere a malis superioribus, qui per malas electiones constituerentur. Laxata scilicet disciplina in aliqua provincia vocales ministrum sibi convenientem eligebant, quare reformatio saepe impossibilis erat, quamdiu non ipse minister generalis vi facultatum extraordinariarum superiores deponebat et habiles loco eorum nominabat. Quapropter durante saeculo XVII vanum conamen susceptum est restituendi constitutionem primigenam[2], proponendo, ut excepto ministro generali omnes officiales eligerentur a superioribus. Simul cautum erat, ut officium ministri generalis per duodecim annos duraret, officium vero ministri provincialis per quattuor et superiorum localium per tres annos, ita tamen, ut tempus regiminis in secundo et tertio casu prorogari posset.

Hoc loco tangitur simul alia quaestio, quae in historia ordinis saepissime occurrit, quaestio videlicet de *duratione muneris* superiorum in communi, in qua ordo omnia paene possibilia evolutionis stadia percucurrit a duratione muneris per totam vitam usque ad depositionem arbitrariam. Historiae peritus, qui experientiae tot saeculorum innixus iudicare debet, sententiam suam suspendet similis *S. Bonaventurae*[3], qui in altero loco crebram mutationem defendit, in altero vero affirmat eandem esse causam ruinae ordinis. Bonam hanc mutationem esse, in quantum hoc modo superiores inhabiles facile auferri possent; nocivam autem, in quantum superiores boni, de

[1] AF I 243. [2] Gub. I 599.
[3] Opera omnia VIII 350 361.

imminenti fine officii certi, non bene laborarent vel saltem propter brevitatem temporis nil stabile assequi possent.

Praeter has duas mutationes constitutionis tertia occurrit, qua anno 1240 *fratres laici* a regimine provinciarum, custodiarum et conventuum exclusi sunt [1]. Causa huius quoque rei erat perversus agendi modus Eliae, qui ubique praeferebat laicos, quorum arrogantia multas excitavit querelas. De cetero haec innovatio non erat contra regulam, immo in decursu temporum necessario accidere debebat, quia numerus sacerdotum semper crescebat et superioribus ordinis cura animarum pro suis subditis concessa erat. Nihilominus invenimus et postea in muneribus ordinis laicos, qui necessaria instructi erant eruditione. Denique praetermitti non debet, quod fratres laici priorum saeculorum non simpliciter comparari possint fratribus laicis nostri temporis, nam hodie clerici a laicis non tantummodo sacris ordinibus differunt, sed etiam eruditione, quod tunc temporis saepissime non accidit. Multi docti iurisperiti, medici etc. ordinem ingressi sunt, qui non semper sacros ordines recipiebant, sed laici manebant, quamquam eruditione et aptitudine ad regendum multos superarent clericos. Ad hos pertinebat ipse Elias.

Ab hac essentiali mutatione constitutionis intactum remansit institutum *Cardinalis protectoris,* quod S. Franciscus primus omnium fundatorum ordinum introduxit, duplicem intendens finem, ut scilicet fratres semper subditi manerent ecclesiae et haberent potentem protectorem apud Sedem Apostolicam. Ipse erat ex officio „protector, corrector et gubernator totius fraternitatis", ad quam etiam secundus et tertius ordo pertinebant, quare interdum invenitur nomen „protectoris *trium* ordinum S. Francisci" [2]. Ex tempore, quo orta est Observantia, protector saepe suo titulo adiunxit appositionem *„totius* ordinis Minorum" [3] aeque ac minister generalis.

In fine regulae officium petendi protectorem imponitur simpliciter ministris, quod postea recte intellectum est de ministris generalibus, quamvis etiam acciderit, ut ministri provinciales in capitulo generali hac in re votum decisivum ferrent et semel mandante Pontifice ferre deberent [4]. Exceptis primis annis magni schismatis ministro generali quasi semper contigit, ut a Pontifice protectorem acciperet, qui officium suum zelo et amore amplexatus est. Ex numero 20 protec-

---

[1] ALKG VI 26.
[2] Firm. III. Litterae Dom. Grimani. Cf. Gub. II 659.
[3] AF II 386. [4] BF VI 504.

torum, quos ordo usque ad annum 1517 habuit, quattuor facti sunt Pontifices, videlicet Gregorius IX, Alexander IV, Nicolaus III et Iulius II, e quibus Alexander IV et Nicolaus III protectoratum primis saltem Pontificatus sui temporibus retinuerunt. Praeterea nominandi sunt plures nomine Orsini, porro Cesarini, Capranica, Bessarion, pertinentes sine dubio ad praestantissimos viros, qui durante saeculo XV sacrum Collegium decorarunt. Protectoris per absentiam vel per alia negotia impediti vices interdum gessit alius Cardinalis sub nomine *vice-protectoris,* qui nobis primum occurrit versus finem saeculi XV regnante Alexandro VI[1].

Expressiones vagae, quibus regula iura protectoris circumscribit, effecerunt, ut non omnes suam potestatem eodem modo exercerent. Igitur aliqui interiori ordinis regimini se ingesserunt, quo facto ortae sunt perturbationes et inoboedientia. Quapropter Gregorius XI anno 1373[2] prohibuit, ne protectores statuta ordinis suspenderent neve ab eis dispensarent, ne mutarent acta capitularia, ne arbitrarie superiores nominarent et deponerent, lectores instituerent, fratres poenis obnoxios correctioni subtraherent, in summa ne cuicumque fratri singulari privilegia procurarent. Cum vero haec sensim sine sensu in oblivionem venirent, Sixtus IV et Iulius II repetitis vicibus ea innovarunt[3].

§ 35. Minister generalis eiusque vicarius et socii.

Potestas ministri generalis ex anno 1239 limitata est non solum per strictum S. Francisci praeceptum, ne quid mandaret, quod esset contra regulam et animam fratrum, sed etiam per constitutiones generales. Quia vero praedictae constitutiones solummodo a capitulo generali edi poterant[4], ordo simul medium acceperat restringendi ulterius iura ministri; revera ipse per decretum capituli ius maximi momenti, instituendi scilicet superiores, amisit et retinuit tantummodo facultatem confirmandi electiones a provinciis factas[5]. Superiores solum consentiente capitulo generali vel provinciali deponere poterat, nisi ob causas peculiares extraordinarias facultates a Sede Apostolica acciperet, quod saepius factum est[6].

Excepta igitur potestate convocandi capitulum generale, remansit ei merum *ius inspectionis,* quod iuxta tramitem constitutionum pro

[1] W XV 100. [2] BF VI 505. Cf. VI 531. [3] W XV 380.
[4] ALKG VI 118. [5] Ibid. 125.
[6] E. g. BF VI 136 140 368 537; VII 6.

tribus ordinibus exercere poterat. Pertinebat ad hoc facultas *visitandi ordinem* et invigilandi exsecutioni legum iam latarum, quo in negotio abhinc situm erat momentum officii, ut multi chronistae valorem ministri aestimaverint secundum studium, quo ordinem visitabat. Bene hoc intelligi potest, quia commercium litterarum tunc temporis adeo erat difficile, ut minister generalis solummodo per visitationes in propria persona manere posset in vitali connexione cum suis provinciis. Nihilominus invenimus iam primis temporibus, quod minister generalis vicarios ad provincias mittebat, qui easdem visitare et postea ipsi rationem reddere debebant. Ita iam egit Ioannes Parens [1] et multo magis Elias, *cuius visitatores* facti sunt terror provinciarum (§ 5). Interdum fratres illos ne admittebant quidem, allegantes provinciam iam esse visitatam a capitulo generali iuxta quandam constitutionem, quam hodie ignoramus [2]. Patet ex hoc, quod capitulum generale iam circa annum 1230 institutionem visitatorum sui iuris fecerit, qui usus per saecula valuit. Constitutiones Narbonnenses non agunt de visitatore a ministro generali misso, sed a capitulo generali pro unaquaque provincia per triennium instituto, qui ordinationes sibi datas accurate observare tenetur [3]. Denique Benedictus XII ministro rursus maiora concessit iura [4]. Postulavit quidem, ut infra decennium totum ordinem in propria persona visitaret, exceptis provinciis Hiberniae, Romaniae et Terrae Sanctae, nihilominus ipsi permisit, ut in casu necessitatis alios ad visitandum delegaret. Sed iam in constitutionibus Farineriis visitator iterum magis tractatur tamquam missus a capitulo quam a ministro [5]. Singulae provinciae invicem se visitent modo a capitulo generali specialius definito, et visitatores ipsi capitulo rationem reddant. Solummodo conventus Parisiensis iuxta antiquam consuetudinem [6] visitari potest per fratrem a ministro generali delegatum.

Hanc iuris conditionem ordo servasse videtur durante saeculo XIV et XV [7]. Praecepta statutorum anni 1508, quibus ministro additi sunt duo visitatores stabiles [8], nunquam venerunt in usum. Loco visitatorum fratribus offensorum minister generalis saepius *vicarios* vel *commissarios* in provincias delegavit, ut ibidem accurate definita expedirent negotia. Attamen hac quoque in re capitulum generale anno 1411 ei obstitit, admittens tales commissarios solummodo extra-

---

[1] AF I 17. [2] Ibid. 234. [3] ALKG VI 45 54 120.
[4] BF VI 35. [5] BF VI 649.
[6] ALKG VI 123. [7] Ibid. 69. Gub. III 186.
[8] Firm. III 40.

ordinariis in casibus a lege definitis et declarans eorum facultates post sex menses exstinctas[1], quare decurrente saeculo XV commissarii generales non saepius nobis occurrunt quam ipsi visitatores generales. Institutionem vicariorum et commissariorum ad ordinem non pertinentium iam anno 1373 esse vetitam alio loco (§ 16) commemoravimus.

Aeque ac potestas restricta est etiam *duratio officii* ministri generalis, quae secundum regulam solummodo dependebat de ipsius habilitate comprobanda a capitulo generali. Iam primis temporibus saepe non desiderata interruptio generalatus accidit per promotionem ministri ad Cardinalatus vel Episcopatus dignitatem, quod bono ordinis semper erat detrimento. Denique in capitulo anni 1506 promulgatum est breve Pontificis, quo duratio generalatus ad triennium reducta est, quo finito reeligi poterat ad alterum triennium[2]. Idem fere ordinavit Leo X anno 1517 decernens, ut officium ministri generalis per sexennium duraret, nisi ipse iuxta regulam prius esset deponendus[3].

Electio ministri generalis solis ministris provincialibus et custodibus in capitulo generali congregatis demandata erat (§ 36). Electus statim post publicationem votorum officium suscepit, quin egeret aliqua confirmatione; quod iam Alexander IV anno 1255 declaraverat[4]. Ad valorem electionis non exigebantur in eligendo aliae proprietates, nisi ut pertineret ad statum clericalem et ortus esset legitimo toro sicut omnes praelati ordinis[5]. Ex saeculo XV honoris causa accepit titulum „Reverendissimi", qui anno 1508 legibus est definitus[6] pro tempore, quo actu erat in officio, quo finito ceteris fratribus est annumeratus sine aliquo privilegio.

Concilium stabile pro expediendis negotiis in principio non erat adiunctum ministro generali, qui collaboratores iuxta proprium beneplacitum ipse sibi eligebat. Ineunte tamen saeculo XIV etiam hac in re eius libertas est limitata, quippe qui in statutis anni 1337 duos peritos *socios* acceperit, cismontanum scilicet et ultramontanum, quos audito consilio capituli nominare debebat[7]. Constitutiones Martinianae addunt *scriptorem* et decernunt, ut socius cismontanus custodiat sigillum ordinis, si minister generalis sit frater ultramontanus et viceversa. Neque licere ministro generali socios iuxta beneplacitum

---

[1] AF II 241. [2] Ibid. 539. [3] W XVI 44.
[4] BF II 76. [5] ALKG VI 151. [6] Firm. III 36.
[7] BF VI 34.

proprium mutare[1]. Hoc praeceptum anno 1500 mitigatum est, ut saltem tempore visitationis accipere posset socium novum, qui linguam ditionis visitandae calleret[2].

Officio generalatus per mortem vel promotionem ministri vacante *vicarius generalis* regimen ordinis suscipere debebat. Hoc officium ante annum 1285 in ordine nondum erat notum, in utroque enim casu, quo minister ad Cardinalatum evectus erat, gubernacula ordinis retinuit usque ad proximum capitulum generale, mortuo vero ministro legitimum vigebat interregnum. Constitutiones enim anni 1260 praecipiunt[3], ut, si minister generalis ante festum S. Michaelis decesserit, minister provincialis loci, in quo mortuus sit, statim capitulum generale indicere debeat pro anno sequenti. Si vero eum mori contigerit post praedictum festum, ministrum provincialem ordini mortem communicare quidem debere, capitulum vero generale demum anno post convocandum esse, nisi ordinarie celebrandum sit anno sequenti. Putabant enim fratres se tempore intermedio vivere posse sine capite, quia talis casus nondum acciderat. Cum vero Bonagratia die 3 Octobris anni 1283 mortuus esset et capitulum generale iuxta constitutiones differretur usque ad Maium anni 1285, defectus legislationis apparuit, quare in eodem capitulo decretum est, ut imposterum in talibus circumstantiis vicarius generalis eligendus esset a ministro provinciali loci illius, in quo mortuum esset caput ordinis, et a duobus ministris provinciarum vicinarum[4], cui totus ordo oboedire teneretur. Ipse non gaudebat omnibus ministri generalis facultatibus neque uti poterat sigillo ordinis, sed proprio sigillo vicariatus. Iam proximo anno primus vicarius electus est, qui tamen non se praestitit habilem, quapropter Papa anno 1288 decretum capituli iterum sustulit *reservans institutionem vicarii Sedi Apostolicae* vel Cardinali protectori[5]. Igitur omnes ceteri vicarii generales huius epochae nominati sunt a Pontifice, qui etiam ambitum facultatum ipsorum circumscripsit, quae semper inferiores manebant facultatibus ministri generalis[6]. Praestantissimum huius officii negotium erat convocare capitulum generale ibique praesidere usque ad novam electionem perfectam. Vicarius generalis ab ordine constitutus usque ad annum 1517 non amplius occurrit, quamquam statuta anni 1508 ius nominationis ordini recuperare conabantur[7].

---

[1] W X 156. [2] Gub. III 192. [3] ALKG VI 125.
[4] ALKG VI 53. [5] BF IV 21. [6] W VII 95.
[7] Firm. III 29.

Ministri generalis adiutor maximi momenti mox factus est *procurator generalis* [1], qui omnia negotia procurabat, pro quorum exsecutione interventio curiae Papalis necessaria erat. Initia huius instituti adhuc non patent, certum tamen est illud sicut in ceteris ordinibus ita etiam in ordine Minorum mox necessarium factum esse, quapropter iam in decursu saeculi XIII procuratores inveniuntur, tunc sane adhuc ad tempus solummodo constituti, quorum facultates negotiis exsecutis exspirabant. Ipsi curiam Papalem quoquoversus comitati sunt, quare *Procuratores in curia Romana* vocari consueverunt. Avenione a Pontifice relicta procuratores primum in conventu Aracoelitano habitabant, quo Observantibus tradito transierunt ad conventum S. Salvatoris in Unda (S. Salvatore in Onda). Anno 1500 minister generalis in vanum conatus est cogere procuratorem, ut in conventu principali duodecim Apostolorum domicilium suum collocaret [2].

Primae ordinationes accuratae de officio procuratoris, quod interea stabile erat factum, continentur in constitutionibus Benedictinis [3], iuxta quas capitulum generale procuratorem instituere et simul iudicare debet, utrum iterum confirmandus sit in officio an non. Minister generalis solummodo tempore intermedio, illo mortuo vel inhabilem se praestante, cum quibusdam fratribus dignioribus vicarium usque ad sequens capitulum generale nominare potest. Procuratori e familia ultramontana desumpto socius cismontanus adiungendus est et viceversa. Tectum et vestitum recipit a conventu loci illius, in quo residet curia Romana; pro ceteris expensis satisfacere debent omnes provinciae, quarum ministris procurator in capitulo generali rationem reddere tenetur. Constitutiones Farineriae [4] paucis accidentalibus mutatis addunt, quod ordini et ministro generali *iusiurandum fidelitatis* praestare et capitulo generali rationem de causis in curia pendentibus reddere debeat. In eodem capitulo immediate post ministros provinciales officium suum resignare tenetur.

Ex causis ignotis capitulum generale anno 1379 ius *instituendi imposterum procuratorem* ministro generali soli demandavit [5]. Haec ordinatio diutius viguisse videtur, exceptis casibus extraordinariis, in quibus Papa ipse eundem nominavit [6].

---

[1] *F. Benoffi*, Dei procuratori generali dei Minori nella Curia Romana, Pesaro 1830. *Seriem* procuratorum, quae tamen integra non est, vide apud Patrem 11 sqq; Gub. I 429; Chron. II 347.

[2] Gub. III 195. [3] BF VI 37. [4] Ibid. 643.

[5] Gub. III 75. Cf. Patrem 118. [6] BF VII 33.

Initio saeculi XV *socius* ipsi procuratori aequiparatus est, quapropter ordo abhinc procuratorem cismontanum et ultramontanum habebat, quorum uterque negotia suae familiae independenter ab altero agebat[1]. Statuta anni 1500 repetentia decreta hucusque edita capitulo generali denuo influxum in nominationem procuratoris comparare conantur, ita tamen, ut minister generalis tempore inter duo capitula intermedio singulis annis ipsum in officio confirmare vel ab eo removere possit[2]. Renovatur institutio *unius* procuratoris cum socio, cuius loco autem minister generalis alterum procuratorem nominare potest. Iniungitur procuratori, ut acta in archivio conservet et severe contra illos fratres procedat, qui sibi privilegia contra statuta ordinis procuraverint. Tales litteras Pontificias subreptitias esse declarandas, quia supponendum sit Papam bene informatum privilegia contra ordinis bonum non concessurum fuisse.

§ 36. De capitulo generali.

Primis ordinis temporibus fratres bis in anno congregati sunt apud Portiunculam, ut invicem salutarent, invicem ad fidem professionis hortarentur et invicem communicarent, quae in missionibus experti essent. In capitulo Pentecostes omnes fratres non exceptis novitiis conveniebant, in festo autem S. Michaelis pars solummodo fratrum, quos ipse sanctus fundator sibi eligebat[3]. Ibi probabiliter modo familiari de societatis bono deliberatum est, certe saltem hae congregationes typum iuridicum non habebant, sed spiritus sancti Patriarchae dominabatur omnibus omniaque decidebat. Capitulo finito unusquisque benedicente sibi Patre dilecto eo discessit, quo mittebatur.

Attamen cum ordo per totam Europam propagatus esset, hic modus servari amplius non poterat, quare *regula anni 1221* capitulum autumnale pro singulis provinciis seorsim celebrandum mandavit. Unusquisque ergo minister suos fratres ad aliquem locum convocare debebat, ut ibidem tractarent „de his, quae ad Deum pertinent". Capitulum Pentecostes exclusive factum est congregatio ministrorum, qui singulis annis apud Portiunculam convenire debebant, nisi ministro generali aliud melius videbatur. Excipiebantur ministri provinciarum extra Italiam, qui solummodo quarto quoque anno comparere tenebantur[4]. In *regula* definitiva *anni 1223* destinatio loci capitularis plenarie beneplacito ministri generalis reservatur, respectu temporis vero

[1] W X 82 159. [2] Gub. III 194.
[3] Leg. trium soc. (ed. *Monaldi*) c. 14. [4] Regula 1221, c. 18.

retinetur festum Pentecostes, quo ministri provinciales et custodes convenire debent, et hoc semel in tribus annis vel ad alium terminum, sicut praedicto ministro melius expedire videbitur. Capitulo ipsi prima vice iura conceduntur, quippe quod de habilitate ministri generalis iudicare, et si necessarium videtur, eum deponere possit. Capitulo Pentecostes finito ministri provinciales et custodes fratres suos eodem anno ad capitulum convocare possunt, quin tamen ad haec obligentur [1].

Igitur iuxta regulam ius *convocandi* capitulum *et destinandi* eiusdem *locum et tempus* exclusive reservatur ministro generali, qui usque ad annum 1517 in summa mansit in eiusdem possessione. Respectu loci Ioannes a Parma bene disposuerat, ut capitulum generale vicissim citra et ultra Alpes celebraretur [2], qua ordinatione difficultates itineris aeque dispensare et experientiam ministrorum provincialium per explorationem conditionis aliarum provinciarum augere intendit. Quapropter haec dispositio in constitutiones Narbonnenses ralata et adhuc anno 1500 repetita est [3]. Nihilominus solummodo durante saeculo XIII et XIV exsecuta est, idque non sine exceptionibus. Constitutiones anni 1260 etiam tempus capituli legibus statuunt, praescribentes terminum trium annorum, nisi ministro generali consentiente capitulo spatium usque ad proximam congregationem prorogandum videtur. In capitulo immediate praecedenti publicanda sunt tempus et locus sequentis [4].

Sic simplex *convocationis* modus erat excogitatus. Accidit tamen, ut interdum ea, de quibus vocales circa hanc rem convenerant, certis de causis servari non possent, quo in casu minister generalis capitulum denuo indicare debebat. Rebus tamen in discrimen adductis etiam Papa vel eo mandante Cardinalis protector omisso ministro generali capitulum convocavit, quod a tempore Innocentii IV usque ad tempus Leonis X aliquoties factum est [5]. Singulare quid in historia ordinis accidit anno 1239, quo fratres contra voluntatem Eliae, ministri generalis, convenerunt, quia hic per septem annos capitulum non celebraverat et illi perversum regiminis modum amplius tolerare nolebant [6].

Cum iure convocandi cohaeret *ius praesidendi capitulo,* quo minister generalis ordinarie usus est. Ex causis tamen extraordinariis Papa praesidium Cardinali protectori vel alio Cardinali commisit, vel etiam

---

[1] Regula 1223, c. 8. [2] AF I 244. [3] Gub. III 184.
[4] ALKG VI 134 137. [5] Ibid. 30. W XV 300; XVI 23.
[6] AF I 242.

in propria persona suscepit, quod semper aestimabatur praecipuus honor[1]. Supposito quod minister generalis quacumque de causa capitulo non interesset, iuxta constitutiones Narbonnenses[2] praesidere debebat minister provinciae capitularis simul cum duobus aliis ministris ab ipso electis. Si autem in hoc casu eligendus erat novus minister generalis, praedictus minister provincialis solus usque ad electionem peractam praesidium suscepit, quod duobus aliis sibi adscitis continuare quoque debebat, si electus erat frater a capitulo absens. Ius praesidendi competebat etiam *vicario generali,* qui tamen hoc in casu minister generalis fieri non poterat sine expressa dispensatione Papali, quae aequivalebat recommendationi[3].

Haec omnia adhuc tamquam necessarium supplementum et tamquam evolutio praeceptorum regulae considerari possunt, quod non est dicendum de constitutionibus anni 1239, quae tractant de *compositione et facultatibus* capituli generalis. Iuxta verbum et litteram ultimae regulae soli ministri provinciales et custodes *de iure* erant membra capituli generalis, quamquam ceteri quoque fratres eodem participare poterant et revera saepe plurimi participabant non exclusis novitiis[4]. Saepius quidem vocales tentabant hos *fratres supernumerarios* a loco capituli arcere, attamen minister generalis ad augendam celebritatem quoslibet fratres libere invitare poterat[5], quare in plurimis capitulis magnum numerum invenimus fratrum, quorum aliquoties 3000—5000 fuerunt[6]. Parti ipsorum demandatae erant disputationes scientificae, quas iam S. Bonaventura cum capitulis generalibus coniunxerat[7].

Hi omnes exclusi manebant a negotiis capitulo propriis, quae reservata erant solis ministris provincialibus et custodibus, quibus post abolitionem capituli definitorum adiuncti sunt *discreti discretorum* vel *discreti capituli generalis* electi in capitulis provincialibus[8]. Igitur ex unaquaque provincia tres fratres capitulo generali intererant, videlicet minister provincialis, custos (§ 38) et discretus. Utrum etiam vicariae vocales ad capitulum delegare potuerint, nullibi legimus.

---

[1] Iuxta Patrem (p. 98) praesidebant: Gregorius IX (1227, 1230, 1239), Innocentius IV (1244, 1247), Alexander IV (1257), Nicolaus IV (1289), Bonifatius VIII (1296), Martinus V (1418), Eugenius IV (1446 pro Observantibus), Nicolaus V (1450), Sixtus IV (1475, 1479).

[2] ALKG VI 125. [3] BF VII 611. [4] AF I 236 241.

[5] ALKG VI 65. BF VI 654. Gub. III 184.

[6] W XII 51; XV 313. [7] Gub. I 129; III 186.

[8] ALKG VI 26. BF VI 653.

Quodsi aliqui vocales quacumque de causa non comparuerant, minister generalis vel per se ipsum vel de consilio ceterorum capituli membrorum alios fratres eorum loco substituere poterat [1]. Hoc casu extraordinario excepto minister generalis ne minimum quidem influxum in compositionem capituli habebat, quia omnes, qui participabant, a subditis ipsis eligebantur. Igitur ordo loco absolutismi prioris regimen constitutionale acceperat, idque in ultima analysi *pure parlamenteum,* cuius organum exsecutivum erat minister generalis.

Membra capituli generalis non eisdem gaudebant iuribus, quia praeceptum regulae eatenus observabatur, ut correctio et electio ministri generalis solummodo ministris et custodibus competeret. Ceteri vero labores perficiebantur per *definitores (diffinitores) capituli generalis,* qui erant ministri et discreti provinciarum. Capitulo finito eorum facultates exspirabant. Neque idem discretus duobus capitulis immediate sibi succedentibus interesse poterat, quare semper alius subditorum vicarius eligi debebat [2]. De cetero nomen discreti in legislatione ordinis priorum saeculorum saepe significat definitorem et saepius adhuc generaliter fratrem prudentem et peritum, quo in casu non est nomen officii. Saepe enim ministri generales et provinciales admonentur, ut in casibus difficilibus talium fratrum consilio utantur, quare a Benedicto XII etiam *consiliarii* vocantur [3]. Hi magis quam definitores capituli nominandi sunt praedecessores definitorum modernorum, a quibus tamen etiam in eo differunt, quod a ministro generali pro singulis casibus libere eligebantur.

De *ratione negotiorum* in capitulo generali *gerendorum* iam constitutiones Narbonnenses accuratas continent ordinationes [4], quae usque ad annum 1517 amplificatae quidem sunt, sed in essentialibus non mutatae: in vigilia Pentecostes imprimis facienda est *syndicatio ministri generalis,* in qua ipse peccata contra officium suum commissa confitetur, quo facto ministros et custodes relinquit, qui a guardiano domus includuntur in conclavi, ubi sine cibo manere debent usque ad perfectam correctionem vel electionem ministri generalis. Supposito quod tantummodo accusationes parvi momenti proferantur, minister arcessitur, ut sese possit defendere, quo facto statim iterum recedere debet. Postea suffragium ferendum est, utrum sit corrigendus vel deponendus. In primo casu iterum citatur ad conclave. ut accipiat a capitulo correctionem; casu vero quo maioritas eius

[1] BF VI 121 124 179. AF II 538.
[2] ALKG VI 132. [3] BF VI 38. [4] ALKG VI 135.

depositioni suffragatur, quidam vocales (disquisitores) deputantur, ut ei spontaneam resignationem proponant, qua recusata depositus habeatur. Postea statim suscipiendae sunt electiones, ut ordo in ipso festo Pentecostes novum ministrum generalem habeat sive praesentem sive absentem. *Modus eligendi* in eisdem statutis accurate ordinatus est eratque idem pro omnibus capitulis ordinis[1], scilicet: unusquisque vocalis votum suum oretenus insinuat disquisitoribus in loco segregato commorantibus, qui illud actibus inscribere debent. Deinde summa votorum publicatur et ille, cui absolute maior vocalium numerus suffragatus est, electus est habendus[2]. Supposito quod per electiones saepius repetitas maioritas talis adipisci non possit, electio per compromissum committi potest tribus vel quinque fratribus e gremio capituli desumptis. Ceterum maioritas absoluta pro omnibus suffragiis in capitulo sufficiebat, excepto casu quo tractabatur de erectione novarum vel divisione veterum provinciarum, quae fieri non potuit sine consensu duarum capituli partium. Contra decreta a maioritate capituli lata appellatio omnino illicita erat[3]. Ad excitandas conscientias ex tempore Benedicti XII praescriptum est, ut electores iurarent se digniores esse electuros; similiter etiam electi iurare debebant se officium suum fideliter esse exsecuturos[4].

Electione perfecta die Pentecostes omnia capituli negotia quieverunt. Deinde feria II sessio pro omnibus fratribus praesentibus publica erat, in qua sermones habebantur, numerus defunctorum publicabatur et suffragia pro eisdem recitabantur. Denique feria III negotia capituli continuabantur per definitores capituli, qui relationes ex provinciis transmissas expedire, fratres incriminatos audire, lectores, praedicatores et missionarios instituere debebant. Ceterum ex tempore, quo capitulum generale summum forum et corpus legislativum pro toto ordine est factum, quaelibet negotia illuc deferri poterant. Saepissime etiam *praecepta liturgica* edebantur, quae sicut cetera ordinis statuta consensu maioritatis egebant. Decurrente saeculo XV negotia non amplius in communi, sed divisim expedita esse videntur, quod patet ex constitutionibus Alexandrinis[5]. Loco magni numeri definitorum pro unoquoque negotiorum genere consilia minora formata sunt, quorum membra *auditores* vel *ordinatores* vocabantur. —

---

[1] ALKG VI 124. [2] Cf. AF IV 418. [3] ALKG VI 135.
[4] BF VI 34.
[5] Gub. III 185. Ibidem etiam accurata descriptio rationis negotiorum gerendorum reperienda est. Cf. Firm. III 36.

Capitulo finito minister generalis decreta eiusdem ad singulas provincias transmittere debebat.

Maior pars capitulorum generalium antiquorum *congregationes* erant *celeberrimae*, quibus populus quoque alacriter participabat. Principes et urbes celebritatem augere studebant et non raro expensas necessarias solvebant; Papa vero iam primis temporibus saepe et postea ordinarie participantibus indulgentias impertivit[1], immo semel, anno scilicet 1457, indulgentiam Portiunculae[2]. Occasione capituli saepe *litterae affiliationis* (filiantiae) concedebantur, quae personis, quibus offerebantur, participationem omnium operum bonorum totius ordinis promittebant. Ceterum minister generalis et provincialis soli concedere poterant easdem litteras, quarum prima originem ducit a Ioanne de Parma[3].

§ 37. De ministro et capitulo provinciali.

Sicut minister generalis, ita ministri provinciales quoque secundum verbum ac litteram regulae erant „servi et ministri“ fratrum sibi subditorum, quare etiam in decursu saeculi XIII nomen „ministri generalis“ capiti ordinis proprium ipsis saepius est impositum[4]. Primis temporibus ministri provinciales erant *rectores missionum* in illis ditionibus, ad quas S. Franciscus eos destinaverat. Ad Portiunculam reversi communiter ab officio erant absoluti et aliis locis vel officiis tribuebantur. Adhuc anno 1221 eorum officium nondum erat stabile („Nullus minister . . . appropriet sibi ministerium“), sed totaliter ab arbitrio ministri generalis dependebat. Repraesentantur tamen iam tunc ad modum magistratuum subalternorum inter ministrum generalem et fraternitatem cum certis facultatibus, quippe qui fratribus domicilia assignent, praedicatores instituant, novitios recipiant, ius et officium visitandi provincias habeant et quotannis die festo S. Michaelis fratres suos ad capitulum convocare possint[5]. Regula anni 1223 ipsis easdem facultates concedit excepto iure approbandi praedicatores, quod demum anno 1240 a Gregorio IX iterum receperunt.

Igitur Elias limites facultatum suarum non est transgressus saepe transferendo vel deponendo ministros provinciales. Quia vero nihilominus talis agendi ratio evolutioni prosperae provinciarum detri-

---

[1] BF II 197; VI 302. Gub. III 187. [2] W XIII 29.

[3] Mon. Germ. hist. SS. XXXII 298.

[4] *Papini* II 182. [5] Regula 1221, c. 2 4 17.

mento esse debebat, capitulum generale anni 1239 iure instituendi vel deponendi ministros provinciales ministro generali adempto decrevit, ut provinciales, custodes et guardiani constituerentur per electionem et in unaquaque provincia singulis, ut videtur, trienniis ministri provinciales *unum,* subditi vero duo capitula celebrarent[1]. Haec provincialia *capitula definitorum* non diutius durasse videntur ac capitula definitorum pro toto ordine; mox enim coniuncta sunt cum *capitulo provinciali*, quod abhinc singulis annis cogebatur[2]. Ita res se habebant usque ad annum 1517[3]. Casu vero quo propter causas extraordinarias capitulum provinciale convocari non poterat, *convocatio custodum* celebrabatur[4]. Loco capituli definitorum subditi accipiebant ius eligendi in singulis conventibus *discretum*[5], qui eisdem iuribus gaudebat ac ceteri vocales in capitulo provinciali, quod abhinc respectu provinciarum quasi eiusdem erat momenti quam capitulum generale pro toto ordine. Ipsi capitulo *praesidebat* minister provincialis vel etiam eius vicarius, in casu vero necessitatis custos loci capitularis. Ratio negotiorum gerendorum in summa eadem erat, quam descripsimus tractantes de capitulo generali[6]. Singulis capitulis immediate capitulum generale antecedentibus negotium accidit extraordinarium, videlicet discretus capituli generalis eligendus et syndicatio ministri generalis exaranda erat, quae simul cum syndicatione ministri provincialis (casu quo haec necessaria erat) in scriptis ad capitulum generale transmitti debebat[7].

Quoad *membra capituli provincialis* constitutiones anni 1260[8] praecipiunt, ut praeter custodes etiam illi fratres comparere deberent, qui a gubernio provinciae citarentur, quorum tamen numerus non excessivus sit. Praeterea ex officio convenire debebant discreti tamquam vicarii conventuum; saepe etiam vocati sunt guardiani, praedicatores, imprimis vero magistri theologiae, qui etiam ad electiones admittendi erant[9]. Utrum ceteri, praesertim guardiani et praedicatores, casu quo citati erant, omnibus vocalium iuribus gavisi sint, generaliter difficile erit indagatu. Adhuc anno 1467 affirmatum est guardianos per se non habere facultatem comparendi in capitulo provinciali, etsi in quibusdam provinciis iure consuetudinis cum voce

---

[1] *Boehmer,* Chronica 58. [2] ALKG VI 129.

[3] Gub. III 188.

[4] AF II. Cf. Indicem sub rubrica *Convocatio.*

[5] Interdum etiam „disquisitores" vocantur. ALKG VI 130.

[6] Ibid. 131 137. [7] Ibid. 54 133.

[8] Ibid. 129 134. [9] Gub. III 188.

activa et passiva admitterentur[1]. Ius suffragandi imprimis valorem habebat in eligendis *definitoribus capituli provincialis,* qui erant fratres selecti, qui simul cum ministro provinciali negotia principalia capituli expediebant. Versus finem epochae nostrae instar capituli generalis instituti sunt *auditores causarum* pro singulis negotiis[2]. Definitores, qui numero erant quattuor, syndicationem ministri provincialis et cetera omnia pertinentia ad capitulum decernere debebant; solummodo in condendis statutis provinciae indigebant consensu maioritatis capituli[3]. In duobus capitulis immediate sibi succedentibus idem non poterat esse bis definitor, quod tamen non valet de *correctore*[4], qui in eodem capitulo eligebatur, ut in casu, quo vota definitorum respectu syndicationis ministri provincialis ex utraque parte essent aequalia, decisivum ferret suffragium.

Notandum est potestatem his in capitulis quoad maiorem partem fuisse apud subditos, quia discreti ab eis electi numero ceteros vocales longe superabant, quare iuxta propriam sententiam definitores eligere et sic negotia capituli ad suum sensum decidere poterant. Igitur talis congregatio magis dicenda est capitulum definitorum in sensu pristino quam capitulum provinciale, in quo auctoritas ministri provincialis praeponderare debuit. Attamen capitulo finito dependentia ministri provincialis desinebat, quia tunc discretorum et definitorum facultates exspirabant. Tempore intermedio iura ministri solummodo per constitutiones generales et provinciales limitata erant; in negotiis vero magni momenti remittebatur ipse ad consilium consiliariorum, quos libere sibi eligere poterat (§ 36). Mirum non est, si auctoritas definitorum propter facultates eis concessas magna fuerit, quare sensim sine sensu habilitas ad hoc officium illis conditionibus obnoxia est facta, quae valebant pro praelatis ordinis, quamquam tunc temporis nondum hac dignitate gaudebant. Iam capitulum generale anni 1354[5] praescripsit, ut definitores provinciales legitimo toro orti esse deberent, et statuta anni 1500 praeceperunt, ut ipsi „ex solemnioribus Patribus Provinciae“ eligerentur[6].

Praecipua inter facultates capituli provincialis erat *ius eligendi ministrum provincialem,* quod pertingit usque ad annum 1239 et confirmatum invenitur in antiquissima redactione constitutionum generalium[7]. Non erat necessarium, ut eligendus ad provinciam, cuius

---

[1] AF II 429. Cf. Firm. III 34. [2] Firm. III 34. [3] ALKG VI 131.
[4] Firm. III 34. [5] BF VI 655. [6] Gub. III 189.
[7] ALKG VI 125.

ministerium ei offerebatur, pertineret, sed desumi poterat ex quavis ordinis provincia. Ministro generali remansit tantummodo ius confirmandi electos. Contra hoc novum systema in ordine contradictiones ortae esse videntur[1], quare Clemens V illud in sua constitutione „Exivi“ (1312) denuo tamquam legem praescripsit, exceptis provinciis Hiberniae, Romaniae et Terrae Sanctae, quarum ministros libere nominare poterat minister generalis[2]. Casu quo electio die definito non erat perfecta, etiam pro ceteris provinciis ipse idem ius exercere poterat, non vero, quando ex quacumque causa electio erat invalida[3]. Praeterea capitulum provinciale gaudebat etiam iure *deponendi* ministrum, quod sibi provinciae recurrentes ad iura capituli generalis vindicaverant. Definitores ministrum, quem inhabilem censebant, suspendere poterant, quae sententia suffragante maioritate capituli iuridice confirmabatur[4]. De hoc facto vocales statim certiorem facere debebant ministrum generalem, cuius responsum erat exspectandum[5]. Interim provincia gubernabatur a vicario, quem capitulum elegerat. Casu vero quo visitator generalis praesens erat, depositio statim definitive promulgari et novus minister eligi poterat. Extra tempus capituli depositio solummodo in casu necessitatis licita erat, eaque interveniente semper ministro generali, cuius etiam erat accipere spontaneam resignationem provincialatus[6].

Praeterea etiam a capitulo generali deponi poterant ministri provinciales, quippe qui iam ab antiquitus viva voce vel in scriptis ex occasione capituli generalis resignare deberent[7]. Si propter ea, quae in scriptis a provincia transmissis contenta erant, resignatio ministri accipiebatur, depositus habebatur, neque amplius a provincia eligi poterat[8]. Sed etiam in hoc casu electio novi ministri pertinebat ad capitulum provinciale, quamquam capitulum generale quoque saepius hoc iure usum est, protestantibus sane eis, quorum id intererat[9].

Iudicium de utilitate statuti, iuxta quod minister provincialis a subditis erat eligendus, magnam ad partem dependet a facto, quod in temporibus, in quibus ordo versabatur in necessitatibus vel egebat reformatione, alius non inveniebatur salutis recuperandae modus quam restitutio status pristini, iuxta quem minister generalis ministros provinciarum libere poterat nominare. Talia facta iam primis

---

[1] Ibid. III 121. [2] Cf. Gub. III 190; Firm. III 35. [3] BF V 85.
[4] ALKG VI 132. [5] BF VI 653. Gub. III 167.
[6] BF VI 35. Gub. III 190. [7] ALKG VI 135. [8] AF I 256.
[9] BF VII 683.

temporibus saepe occurrunt[1]. Rarius accidit, ut Sedes Apostolica ipsa ministros provinciales modo institutos confirmaret[2], quin tamen semper scopum suum attingeret[3].

Praedicta melius intelligimus, si consideramus *durationem officii* ministrorum provincialium in primis saeculis illimitatam fuisse, quare ille, qui semel electus erat, usque ad mortem in officio permansit, nisi ob inhabilitatem deponebatur, quod ut fieret, via iuris insistenda erat. Igitur fratres ambitiosi diutius in hoc officio permanebant, quam provinciae bono erat, neque veriti sunt confugere interdum ad principes saeculares, ut eorum auxilio locum suum obtinere possent. Quapropter Innocentius VII anno 1405[4] decrevit, ut omnes ministri provinciales, qui iam per decennium officio essent functi, depositi haberentur neve quis sine expressa licentia Pontificis ultra sexennium hoc officium suscipere posset. Quia vero haec non ubique observabantur, Gregorius XII anno 1411[5] et Eugenius IV anno 1443[6] hoc edictum iterum inculcarunt. Immo pro provincia S. Iacobi anno 1446 duratio officii ad triennium restricta est, quam vero ordinationem Nicolaus V anno 1453 iterum abolevit, quia per eam multae contentiones et scandala in provincia essent ortae[7]. Licentia Pontificis, iuxta quam in hac provincia ministri rursus ad tempus indefinitum eligi poterant, totus ordo usus esse videtur, eoque magis, quia hoc edictum ministrum generalem auctorem habuerat. Denique in statutis anni 1500 iterum recommendatur triennium tamquam terminus ordinarius, nisi minister generalis vel capitulum provinciale gravibus de causis aliter decreverint[8]. Capitulum generale Trecis (Troyes) anno 1503 congregatum hanc ordinationem ad omnes superiores extendit[9], quin tamen successum habuisse videatur. Idem est dicendum de statutis Iulii II, quae introducere volebant annuum provincialatus terminum[10]. Non obstantibus omnibus his edictis perpetua duratio officii ministrorum apud Conventuales, saltem in multis provinciis, usque ad annum 1517 retenta est[11].

---

[1] E. g. BF V 497 509 520 525; VII 52.

[2] Ibid. VII 196 199 474 479. [3] Gub. I 447. BF VII 489.

[4] BF VII 181.

[5] Ibid. 208. Cf. decretum capituli anni 1411 (AF II 242), quo edictum Pontificis implicite iterum tollitur.

[6] W XI 441. [7] W XII 179.

[8] Gub. III 167. Ad haec vero cf. 190.

[9] Gub. III 213. [10] Firm. III 32.

[11] Cf. *K. Eubel*, Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz, Würzburg 1886, 165. *Palomes* 80.

Tamquam *stabiles adiutores* ministri provincialis in nostra epocha commemorantur „socius discretus“ et *scriptor*[1], qui erat praecursor secretarii provincialis moderni.

Saepius etiam accidit, ut ministri provinciales facultates suas *vicario* vel *commissario* committerent, praesertim quando aegri vel senio confecti erant. Quapropter capitulum generale anni 1411 decrevit, ut huius institutio, si esset necessaria, provinciae vel ministro generali competeret[2]. Fundatum erat hoc edictum in eo, quod talis minister tamquam inhabilis iuxta statuta vel resignare debebat vel deponendus erat. In quibusdam vero casibus etiam imposterum *vicarius provincialis* institui poterat, scilicet quando minister provincialis ad capitulum generale profecturus erat[3], quando depositus vel quando mortuus erat[4]. Hoc tamen in casu non statim vicarius eligebatur, quia electores a lege definiti non aderant, sed custos loci, in quo minister provincialis mortuus erat, indicere debebat capitulum provinciale quam primum celebrandum, tempore autem intermedio provincia capite carebat. Capitulo coacto imprimis eligendus erat vicarius, qui negotia gerere debebat usque ad electionem novi ministri[5]. In casu quo capitulum provinciale die ad electionem praefinito de ministro eligendo convenire non poterat, saltem vicarium instituere debebat, usquedum minister generalis novum ministrum provincialem nominaret[6]. Praeterea minister provincialis ipse suum vicarium instituere poterat pro illo tempore, quo occasione capituli generalis extra provinciam morabatur[7].

Iura huius vicarii in principio non accurate erant definita[8]. In communi necessaria disponere poterat; eius munus principale in eo constitisse videtur, ut quam primum electionem novi ministri adduceret. Postea denique ordinatum est, ut, paucis facultatibus exceptis, omnibus ministri provincialis iuribus gauderet[9].

§ 38. De custodibus et capitulo custodum.

Nomen custodis primum invenimus in regula anni 1223, sed eius officium iam diutius exstiterat[10]. Quia enim termini provinciarum tam amplas ditiones intercludebant, mox necessarium esse apparuit dividere easdem in territoria minora, quibus superiores praeponebantur,

---

[1] BF VI 35. [2] AF II 241. [3] ALKG VI 134.
[4] Ibid. 125. [5] BF VI 651. ALKG VI 126.
[6] BF VI 651. [7] Ibid. 652. [8] ALKG VI 45.
[9] BF VI 652. Gub. III 183. [10] *Müller*, Anfänge des Minoritenordens 86.

qui ministris provincialibus subditi ius inspectionis super conventus sibi commissos exercebant. Hi soli postea vocati sunt *custodes*. Primis tamen temporibus etiam ministri generales et provinciales hoc nomen audiebant, et custodes econverso durante saeculi XIII appellati quoque sunt „ministri“ [1]. Tamquam officium huic muneri proprium S. Franciscus praescripsit, ut simul cum ministris pro fratribus induendis sollicitam curam gererent atque in capitulo Pentecostes comparere deberent, in quo eisdem iuribus gauderent ac ministri provinciales.

Hoc gravissimum ius custodum valde restrictum est anno 1230 per Gregorium IX [2], qui ordinavit, ut omnes custodes uniuscuiusque provinciae unum solummodo collegam ad capitulum generale delegare possent, qui tamquam *custos custodum* simul cum ministris provincialibus ministrum generalem eligeret. Durante sua absentia aeque ac minister provincialis *vicarium* instituere debebat [3]. Papa haec mandans intendisse videtur diminuere numerum membrorum capituli et augere influxum ministrorum; custodes enim numero ministros provinciales longe superabant, quare omnia ad suum sensum decidere poterant, etiamsi ministri omnes insimul eis contradicebant. Accessit ad hoc, quod in casu quo dispositio regulae observata esset, vocales provinciarum ultramontanarum plures fuissent quam vocales familiae cismontanae, quia provinciae ultramontanae ampliores erant ideoque plures custodias complectebantur. Mirum non est, si custodes, hac innovatione male contenti, conati sunt recuperare iura vi regulae sibi competentia, qua in re adiuti sunt a Spiritualibus, qui hanc mutationem putabant violationem regulae. Cum vero anno 1287 in capitulo congregato in Monte Pessulano quidam exigerent, ut iterum omnes custodes in capitulo generali comparere possent vel saltem, ut custos custodum tot votis gauderet, quot collegarum vice fungeretur, Nicolaus IV ordinationem sui antecessoris iterum inculcavit, dicens eandem firmiter esse retinendam [4]. Ex hoc temporis momento custodes non amplius conati sunt augere suum influxum, immo interdum adeo non de eo sentiebant, ut etiam fratres ad capitulum delegarent, qui non erant custodes. Hoc tamen anno 1421 prohibitum est [5].

Pro hac iurium suorum diminutione custodes quandam recompensationem habebant in amplis facultatibus, quibus in principio respectu morum subditorum gaudebant; nam sine interventione ministri pro-

---

[1] *Papini* II 183. [2] BF I 68. [3] ALKG VI 128.
[4] Ibid. 60. [5] AF II 275.

vincialis guardianos instituere et deponere poterant. Mox vero, postquam hoc quoque iure anno 1239 privati sunt[1], multi exigebant, ut officium custodum totaliter auferretur, quia amplius scopum non haberet[2]. Quamquam huic postulationi usque ad annum 1517 non est satisfactum, tamen ipsi in dies auctoritatem et valorem perdidisse videntur, non obstante, quod inter praelatos ordinis recepti sint. Iam anno 1260 guardianis oboedientia erga custodes inculcari debuit; simul autem custodibus consultum est, ut singulis annis contenti essent una visitatione, qua durante subditis suis leges ordinis in lingua vernacula exponere deberent[3]. Dissuadebatur eis visitatio secreta, qua nihilominus ministro provinciali consentiente suscepta rationem reddere debebant eidem ministro[4].

Saepissime mutatus est *modus instituendi custodes.* Tempore enim absolutismi nominabantur a ministris generalibus et provincialibus, postea, ex anno scilicet 1239, eligebantur a subditis, deinde paucis annis post electione sublata[5] ius nominandi concessum est ministro provinciali simul cum capitulo, in quo abhinc custodes resignare debebant[6]. Solummodo quando eius officium per mortem vel depositionem iam ante capitulum erat liberum, minister provincialis consultis quibusdam fratribus probatis relativae custodiae novum custodem instituere poterat. Deinde Benedictus XII hunc modum iterum totaliter subvertit ordinando, ut custodes in capitulo provinciali a discretis conventuum respectivae custodiae eligerentur, quo in negotio guardiani excludebantur, nisi tamquam discreti ad capitulum erant missi. Casu quo custos notabile tempus ante capitulum moreretur, eidem discreti novum custodem eligere debebant; ministro autem provinciali solummodo ius confirmationis reservabatur[7]. Quia vero hae frequentes electiones multas contentiones producebant, Clemens VI instante ministro generali anno 1343 ordinationes sui antecessoris abolevit, restituens antiquum ius capitulorum provincialium[8]. Hoc retinent etiam *constitutiones Alexandrinae,* nisi in provinciis aliae consuetudines probatae exsistant decernentes simul, ut custos ordinarie solummodo per biennium regnare possit; hucusque enim de duratione huius muneris nihil definitum erat. Nova quoque erat lex, quod custos doctor aut baccalaureus theologiae vel bonus praedicator vel saltem probus vir 30 annorum esse deberet. Haec valebant etiam

---

[1] Ibid. 63. [2] AF I 243. [3] ALKG VI 34 117.
[4] Ibid. 64. [5] AF I 243. [6] ALKG VI 127 131.
[7] BF VI 36. [8] AF III 540.

de guardianis multoque magis de ministris provincialibus[1]. Statuta anni 1508 triennium pro ordinaria *duratione officii* custodis praecipiunt, admittentes tamen eiusdem prorogationem[2].

Paucissima scimus de *capitulis custodiarum*, quae custos vi regulae celebrare poterat. Membra eorum erant *discreti* a conventibus delegati[3], qui forsitan eidem erant ac discreti capitulorum provincialium. Per aliquod tempus capitula custodiarum discretos pro capitulo provinciali eligebant[4], ceterum vero probabiliter tantummodo de bono custodiae in communi conferre poterant, quia omnes facultates iuridicae ad capitulum provinciale pertinebant. Quapropter ipsa nunquam magnum valorem adepti sunt, immo versus finem saeculi XIV dubium est ortum, utrum haberent ius exsistentiae[5]. Decurrente tempore in multis provinciis neglecta esse videntur, in quibusdam vero habita sunt usque ad annum 1517. Casu quo minister provincialis huic capitulo intererat, negotia capituli provincialis pro sua custodia expedire poterat[6].

§ 39. De guardianis et conventibus.

Praesides residentiarum iuxta intentionem sancti fundatoris non titulo prioris uti, sed simpliciter *praefecti* vel *guardiani* vocari debebant. Ex vitis S. Francisci patet iam primis temporibus hoc nomen fuisse in usu. Quotiescumque enim plures fratres per aliquod tempus diutius in aliquo eremitorio degebant, vel quotiescumque fratres sine ministro ad praedicandum mittebantur, praeficiebantur eis guardiani. Igitur guardianatus non erat coniunctus cum certo territorio neque stabile erat officium, sed simplex potestas disponendi de fratribus sibi subditis. Mirum est, quod hoc nomen in regula definitiva non commemoretur, ex quo certe patet, quam paucas domos stabiles societas adhuc anno 1223 habuerit. In testamento quidem Franciscus severe oboedientiam erga guardianos a ministris institutos praecipit, quia vero haec ultimae voluntatis significatio vim obligantem non habebat, adhuc post aliqua decennia dubitatum est, utrum fratres vi regulae ad oboedientiam erga guardianos obligati essent. Igitur quidam abolitionem huius nominis consulentes titulum „custodis domus" vel „ministri domus" proponebant[7].

---

[1] Gub. III 167 sq 182. [2] Firm. III 32. [3] ALKG VI 129.
[4] BF VI 36. [5] AF IV 419. [6] Gub. III 188. Firm. 30 34.
[7] ALKG VI 14.

Peculiares proprietates in principio non exigebantur in fratribus, ut guardianatus officium suscipere possent, quare novitii quoque ad hoc munus admissi sunt[1]. Postquam autem magnae domus ab ordine receptae sunt, auctoritas ipsorum in dies crevit. Igitur ex anno 1239 laici a munere superiorum domus exclusi sunt, et ex anno 1260 guardianatus factus est praelatura cum iuribus curae animarum respectu subditorum[2]. Quanto plures fratres decurrente saeculo XIV et XV magisterium theologiae adepti sunt, tanto maior scientia exigebatur a guardianis. Capitulum anni 1421 praescripsit, ut saltem guardiani magnorum conventuum in numero essent doctorum[3]. Denique circa annum 1500 ordinatum est, ut guardiani eisdem proprietatibus excellere deberent ac custodes (§ 38).

Generaliter conditio guardiani tanto maioris erat momenti, quanto maior erat domus, quam regebat. Maximi ordinis conventus partim a iurisdictione ministri provincialis exempti erant et immediate subditi ministro generali. Ad hos pertinebat sacer conventus Assisiensis, magna domus studiorum Parisiensis (saltem versus finem huius epochae) et conventus in loco curiae Romanae[4]. Praeter hos *conventus generales* iam primis temporibus *loca conventualia* vel conventus in sensu stricto, in quibus saltem 12—13 fratres habitabant, distincta sunt a *locis non conventualibus,* in quibus saltem 4—6 fratres maximam anni partem transigebant. Inter haec in principio numerabantur *eremitoria,* quo tamen nomine versus finem saeculi XV accuratius intelligebantur parvae residentiae, quibus non praeerat guardianus[5], sed praeses vel vicarius[6]. Ante hoc temporis momentum exsistebant tantummodo *guardiani conventuales* et *guardiani non conventuales;* hi etiam guardiani loci appellabantur[7]. Utrum vel quomodo domus minores a proximis conventibus maioribus dependentes fuerint, adhuc non patet; certum saltem est illas non esse gavisas eisdem iuribus, quod praesertim ex institutione guardianorum clare apparet.

In principio guardiani simpliciter a ministris provincialibus instituti sunt, usquedum anno 1239 constitutione ordinis mutata conventus ipsi suos superiores eligere possent. Sed iam anno 1242, hoc iure iterum cassato[8], capitulum provinciale superiores instituebat, saltem pro conventibus in sensu proprio. Guardianos vero non conventuales custos, quibusdam fratribus consultis, nominare quidem

[1] AF I 221. [2] ALKG VI 34. [3] AF II 275.
[4] BF VI 650. Firm. III 43. Cf. BF VI 36; Gub. I 78.
[5] Gub. III 183. BF VI 652. [6] *Howlett* 106. [7] *Papini* I 252.
[8] AF I 243.

poterat, sed non sine consensu ministri provincialis deponere [1]. Haec iuris conditio per constitutiones Benedictinas funditus est mutata et totaliter consuetudinibus ordinum monasticorum adaptata. Guardianus enim abhinc in locis conventualibus canonice erat eligendus a fratribus ad relativam domum pertinentibus, qui ordines maiores habebant et saltem 25 annorum erant [2]. Ministro generali vel provinciali solummodo facultas eosdem confirmandi competebat. Capitulum anni 1343 impetravit quidem abrogationem huius statuti, quia multas dissensiones in conventibus excitabat [3], attamen magna ordinis pars illud retinuit, quamquam et constitutiones Farineriae ipsum reprobabant [4]. Statuta Martiniana hanc quaestionem omnino relinquunt et constitutiones Alexandrinae approbant consuetudines laudabiles in provinciis exsistentes, etiamsi in communi capitulo provinciali ius nominandi vindicare conantur. Concedunt quoque ministro generali facultatem reformationem ordinis perficiendi, deponendi guardianos inhabiles et nominandi alios loco eorum, bene allegantes malam arborem non posse bonos fructus facere [5]. Hoc effatum simul continet optimum iudicium de iure electionis ex parte conventuum. Quia ergo domus reformatione egentes per electiones subditorum vix unquam bonos superiores accipiunt, abolitio huius statuti omnino necessaria erat pro illa ordinis parte, quae in disciplina remiserat.

Praedictus eligendi modus, qui durante saeculo XIV et XV in multis provinciis observabatur, tunc tantum alicuius erat momenti, quando simul cum eo stabilitas ordinum monasticorum recipiebatur. Revera in decursu temporis *quaedam stabilitas* in ordinem irrepserat, quamquam ipsa contradicebat eius constitutioni, iuxta quam totus ordo unicam efficiebat monarchiam. Iam tempore contentionum cum Spiritualibus querelae audiebantur aliquos fratres — *appropriatores conventuum* vocabantur — in suis conventibus, praesertim in patria sua inveterascere [6]. Attamen tunc temporis talis agendi ratio adhuc tamquam abusus condemnabatur neque durante saeculo XIV iuridice concessa esse videtur. Nihilominus in eodem saeculo hoc systema practice sensim sine sensu in ordinem introductum est, forsitan tamquam sequela constitutionum Benedicti XII, quia capitulum generale anni 1421 de *conventu nativo* loquitur tamquam de re omnibus nota [7].

[1] ALKG VI 128 sq.
[2] BF VI 36. Guardiani non conventuales ne commemorantur quidem.
[3] AF III 540.
[4] BF VI 51. Contra quod cf. Gub. III 68.
[5] Gub. III 182 sq. [6] ALKG III 111. [7] AF II 277.

Hoc verbo constitutiones Alexandrinae[1] intelligunt illum conventum, in cuius communitatem frater ordinem ingrediens tamquam membrum recipiebatur. Notionis conventus nativi elementum essentiale erat assignatio loci tempore ingressus in ordinem, etiamsi receptio in alio loco esset facta. Hic circa annum 1500 apud Conventuales communis erat usus, ut fratres simpliciter iuxta conventum, ad quem pertinebant, discernerentur. Licita tamen erat *excorporatio* simul cum incorporatione in alium conventum, quae etiam adoptatio vocabatur[2]. Conventus, cui aliquis frater erat incorporatus, ius in eius utensilia habebat, etiamsi ipse alibi esset mortuus. Quousque minister provincialis contra voluntatem fratris in excorporatione procedere potuerit non clare patet, licita saltem erat, quia eaedem constitutiones ministris praecipiunt, ut contra appropriationem conventuum tamquam contra abusum intercedant. Commemorantur tamen ibidem *patres conventus,* qui propter dignitatem vel senium praerogativam prae ceteris habebant, qua probabiliter eorum expropriatio difficilior reddebatur[3].

Duratio officii guardianorum primis temporibus non erat limitata, nam etsi in capitulo resignare debebant[4], tamen resignatione non accepta in officio permanere poterant. Demum anno 1500 ordinatum est, ne quis ultra biennium guardianus esset[5]. Dubium vero est, utrum haec ordinatio exsecutioni sit mandata.

Vices guardiani absentis mature gessit *vicarius conventus,* qui a guardiano nominandus erat. Iam vero anno 1274 guardianis inculcatum est, ut cauti esse neque inscio ministro vel custode hac in re agere deberent[6], quapropter vicarius iam in capitulo designatus esse videtur, quia secus hoc praeceptum exsecutioni dari non potuisset. In constitutionibus Caturcensibus (Cahors) vicarius iam continetur tamquam praedestinatus gerens negotiorum guardiani[7]. Denique durante saeculo XV ipse certe in capitulo provinciali nominabatur, quin tamen pateat, utrum factum sit proponente guardiano an non[8]. Interdum quoque commemoratur *vice-guardianus*[9], qui probabiliter idem erat ac vicarius. *Fratres discreti*[10], quorum consilio guardianus in negotiis maioris momenti uti debebat, in nostra epocha sunt fratres libere electi, sicut consiliarii ministri provincialis et generalis.

---

[1] Gub. III 169. [2] W XIV 124. [3] Gub. III 167 sq.
[4] ALKG VI 131. [5] Gub. III 167. [6] ALKG VI 44.
[7] BF VI 36. [8] *Papini* I 252. Gub. III 183 sq.
[9] BF V 465. AF II 518. [10] ALKG VI 130.

Sicut ceteri superiores, ita etiam guardiani gaudebant iure celebrandi capitulum, quod dicitur *capitulum conventuale,* quodque non est confundendum cum *capitulo culparum* iam ex saeculo XIII in ordinem introducto[1], in quo guardianus excessus suorum subditorum castigabat; in capitulo enim conventuali tractabatur de vitiis superiorum. Ad capitulum provinciale enim transmitti debebant relationes, iuxta quas syndicatio ministri provincialis et ceterorum superiorum conficiebatur. Priusquam hae relationes conscriberentur, guardianus capitulum convocare debebat, in quo fratres conferebant de vitiis ministri provincialis et custodis et collata scriptis mandabant. Cum causa guardiani agebatur, ipse capitulum relinquere debebat, quo facto primis temporibus vicarius praesidebat, postea tamen custos[2]. Hoc modo unusquisque frater sententiam suam de guardiano edicere et capitulo provinciali communicare poterat; non vero licebat recommendare guardianum vel petere, ut relinqueretur in suo loco[3] Praeter ius faciendi syndicationem et (in multis saltem conventibus) eligendi guardianum capitulum conventuale aliam facultatem magni momenti habebat, eligendi scilicet *discretum capituli provincialis vel custodialis,* qui interdum etiam syndicus vocabatur[4]. Iure eundem eligendi in principio omnes fratres gaudebant, etiam si in vicinis monasteriis Clarissarum commorabantur, immo lectores quoque, qui extra provinciam legebant, vocem activam habebant[5], qua in scriptis uti poterant. Demum constitutiones Farineriae omnes fratres, qui nondum 20 annos erant nati, excludebant ab electione discreti et a syndicatione superiorum[6]. Haec erat optima ordinatio, quae unquam de periculosis illis capitulis conventualibus edita est.

§ 40. Constitutio Observantium usque ad annum 1517.

Observantia nova necessario conditionem iuris tunc in ordine exsistentem retinere debebat, quam relinquere non poterat, nisi in quantum superiores communitatis ei indulgebant. Observantes Galli quidem iam per concilium Constantiense relativam independentiam adepti sunt, qua eis licebat proprias condere leges, attamen conditio Observantium Italorum omnino alia erat. Quidquid enim hi ante annum 1443 suscipiebant, expressa licentia ministri generalis vel provincialis faciebant. Poterant et ipsi congregationes vel capitula celebrare, in quibus guardianos eligebant, sed haec omnia depen-

---

[1] ALKG VI 99. [2] Gub. III 188. [3] ALKG VI 130 133.
[4] BF VII 515. [5] ALKG VI 129. [6] BF VI 652. Gub. III 188.

debant a beneplacito ministri provincialis[1]. Neque anno 1446, quo Observantia cismontana eandem independentiam est adepta ac ultramontana, ambae uniformem iurium codicem accipiebant; utraque enim habebat proprium vicarium generalem, propria capitula generalia et proprium ius constitutionis, quo multis in rebus valde ab invicem differebant, quapropter eiusdem descriptio admodum est difficilis. Communicatio quoque privilegiorum inter Observantes ultramontanos et cismontanos anno 1498 concessa[2] sola beneficia Papalia, non vero edicta capitulorum generalium respectu quaestionum iuris attigisse videtur. Differentia enim inter utramque familiam ultra annum 1517 duravit. Paucis tantummodo in casibus utraque Observantium familia in eodem capitulo conveniebat, quando scilicet simul cum Conventualibus *capitulum generalissimum* celebrare debebat, quod factum est annis 1430, 1443, 1457, 1458, 1506 et 1517.

Hoc loco eas solummodo constitutionis partes commemorare intendimus, quae a constitutione in toto ordine usque ad annum 1517 observata differunt. Imprimis notandum est S. Capistranum anno 1444 pro Observantibus cismontanis ordinasse, ut *laici* iterum voce activa et passiva gauderent, immo, ut eidem etiam vicarii provinciales eligi possent[3]. Postea tamen haec dispositio singularis non amplius commemoratur, quare credere licet eandem mox esse abolitam. Alius quoque extraordinarius usus Observantium cismontanorum erat *publicatio nominum electorum,* contra quam saepe est protestatum, usquedum anno 1478 saltem pro capitulo generali auferretur. In aliquibus vero capitulis provincialibus per Italiam electio publica retinebatur usque ad concilium Tridentinum, in quo penitus est interdicta[4].

De *vicariis generalibus,* quorum officium per triennium durabat, essentialia iam cognovimus in decursu historiae de interna ordinis evolutione. Electus habebatur ille, cui in capitulo generali suffragatae erant duae partes vocalium[5], ad quos, casibus extraordinariis exceptis[6], soli vicarii provinciales, custodes (casu quo in familia exsistebant), et discreti pertinebant[7]. Novus vicarius generalis et provincialis in principio officium suum non ante acceptam confirmationem ministri generalis vel provincialis exercere poterat, quare vicarius modo ab officio decedens tempore intermedio tamquam commissarius Apostolicus regnabat. Quia vero hoc institutum non se

[1] *B. Bernardini* Chronica 24. [2] W XV 174.
[3] Gub. III 105. [4] Ibid. 119 128. [5] W XI 251 253.
[6] AF II 337 540. W XV 379. [7] *Howlett* 113.

praestabat bonum, anno 1475 in familia cismontana et anno 1493 etiam in familia ultramontana novus vicarius simul commissariatum accipiebat, usquedum confirmatio esset concessa [1]. Ex anno denique 1514 novus vicarius provincialis statim officium suum exercebat, attamen intra sex menses confirmationem a ministro provinciali petere debebat.

Quo longius Observantes a Conventualibus discedebant, eo magis necessarium esse apparuit, ut ipsi quoque *proprios procuratores* ad curiam Romanam delegarent. S. Capistranus hos officiales, qui nomen *commissarii curiae* vel officialis in curia habebant, primus introduxit conventu Aracoelitano Observantibus tradito, qui abhinc tamquam conventus generalis immediate suberat vicario generali [2]. Primum erat intentum, ut plures fratres probati, ex principalioribus nationibus desumpti, negotia suae ditionis tamquam commissarii nationales expedirent, denique autem duo instituti sunt tamquam vicarii utriusque familiae [3]. Anno 1515 Leo X ipsis facultatem maximi momenti concessit, qua exemptiones singulorum fratrum, si necessarium esse videbatur, invalidas declarare poterant [4]. Hoc facto ordini efficacissimum obtigerat medium, quo valide membris disciplinam subvertentibus occurrere poterat.

In *regimine provinciarum* quoque per longum tempus ambae familiae ab invicem differebant, etiamsi omittimus illos casus particulares, in quibus Pontifices quibusdam communitatibus vel provinciis propriam regiminis formam concesserant [5]. Iuxta *statuta S. Capistrani* vicarius provincialis singulis annis resignare debebat in capitulo provinciali, a quo tamen confirmari poterat usque ad triennium perfectum. Capitula provincialia Observantium, quae etiam congregationes vel *capitula vicarialia* appellabantur, paucis diebus ante capitula Conventualium celebrari debebant, quia omnes superiores in communi tabula provinciae promulgari debebant. In his capitulis guardiani et discreti singularum domorum *iure eligendi* gaudebant [6].

Etiam in *ultramontana familia* vicarius provincialis in capitulo singulis annis celebrando eligebatur. Sed circa annum 1470 ordinatio, iuxta quam singulis annis resignare debebat, est abolita et res consuetudinibus provinciarum relicta, dummodo singulis trienniis

---

[1] W XIV 126 195; XV 31. [2] W XI 254.
[3] Gub. I 386. Cf. W XVI 23.
[4] W XV 676. [5] BF VII 591 658 698.
[6] Gub. III 96.

novus vicarius eligeretur[1]. Ex anno 1472 capitulum provinciale bis tantum infra triennium celebrari debebat[2]. Vocales capituli in principio soli discreti conventuum erant, deinde sensim sine sensu in minoribus provinciis guardiani quoque admittebantur, denique ex anno 1514 guardiani ubique tamquam vocales agniti simul cum discretis in capitulo comparere debebant[3]. Ante hoc temporis momentum guardiani non raro tamquam discreti conventuum capitulo intererant, quare saepe in chronicis invenienda est rubrica „Guardianus et Discretus Conventus N."

Ratio negotiorum in hoc capitulo gerendorum erat eadem, quam descripsimus in paragraphis praecedentibus. Nova statuta aut in tabula capitulari *(intra tabulam)* simul cum ceteris ordinationibus publicata sunt, vel in libellis a tabula distinctis *(extra tabulam),* quando erant tantummodo monitiones ad tempus observandae[4].

Tamquam vicarios vel coadiutores vicarii provincialis in ultramontana familia saltem invenimus *commissarium,* qui durante absentia vicarii ex occasione capituli generalis instituendus erat[5], et *socium vicarii,* qui habebat praecedentiam post concionatores conventuum[6].

Adhuc maior erat differentia inter utramque familiam respectu *custodum.* Observantes enim Itali nullum custodem habuisse videntur, excepta vicaria Bosnae, quae hoc institutum non sine contradictionibus retinere studebat[7]. Econtra in amplis provinciis ultramontanis iam a principio custodes aderant, immo in Hispania invenimus iam circa annum 1424 *custodem gubernii,* qui nulli vicario provinciali suberat[8]. Statuta Barcinonensia respectu custodum consuetudines provinciarum in suo vigore relinquunt, quare ipsi partim a subditis eligebantur, partim in capitulo nominabantur. Si unus tantum custos in provincia aderat, simul cum discreto discretorum capitulo generali participare poterat; si vero plures erant, eligendus erat ex ipsis custos custodum[9]. Anno 1472 saepius studium manifestatum est abolendi totaliter eorum officium vel, ubi hoc non erat possibile, restringendi saltem durationem muneris ad triennium[10]. Ast illud studium tam parum est probatum, ut etiam post separationem anni 1517 novae erigerentur custodiae, quarum superiores in capitulo provinciali vel

---

[1] AF II 448. [2] W XIV 58. Gub. III 134.
[3] *Howlett* 110. Gub. III 216. AF II 554.
[4] AF II 508 548. [5] *Howlett* 112.
[6] AF II 465. Gub. III 216. [7] *B. Bernardini* Chronica 101.
[8] BF VII 616. [9] *Howlett* 106 113.
[10] Gub. III 112. W XIV 63.

custodiali eligebantur. Potestatem vero amplius non habebant nisi discretivam, plenarie dependentem a voluntate ministri provincialis [1].

Iam ex tempore Capistrani familia cismontana sententiam defenderat *iura conventibus* decurrente tempore concessa restringenda esse, quare guardiani in capitulo provinciali sine interventione conventuum instituebantur, discretos vero capituli provincialis conventus eligere poterant [2]. Hunc modum Itali per totam epocham observabant, cumque ceterae provinciae cismontanae guardianos suos ipsae eligere intenderent, anno 1507 coactae sunt recipere consuetudinem Italam [3].

Longe aliter haec res se habebat in familia ultramontana. Iam antequam institutum vicariorum provincialium in ordinem introduceretur, aliqui conventus in Hispania ius acceperant eligendi suos guardianos, immo et vicarios [4]. Deinde statuta Barcinonensia conventibus generalem concedebant facultatem eligendi guardianos [5]. Nihilominus postea quoque provinciae inveniuntur, in quibus guardiani partim a capitulis nominabantur, partim a conventibus creabantur [6], quapropter saepius monitum est repetitum, ut constitutiones observarentur neve guardiani sine consensu conventus instituerentur [7]. *Duratio officii* horum guardianorum triennalis erat, ita tamen, ut a capitulo prorogari posset [8], quare in hac epocha guardianus nobis occurrit, qui per 25 annos continuos suum officium exercebat [9].

Capitulum culparum apud Observantes maioris erat momenti quam apud Conventuales, quippe quod singulis hebdomadibus tribus vicibus persolvi deberet [10]. Neque *capitulum conventuale,* in quo discreti eligebantur et syndicatio guardiani conficiebatur, in desuetudinem venit. In aliquibus Galliae et Hispaniae provinciis haec syndicatio ita in peius est mutata, ut non amplius in communi tractari posset, sed ante delegatum, qui sententia singulorum audita rem ad capitulum provinciale referre debebat. Ceteris quoque provinciis licebat imitari hanc agendi rationem [11]. Ex iuribus conventibus concessis aliquibus in locis communitates eousque pervenerunt, ut ordo contra illas procedere deberet, quia guardianum considerabant tamquam fratrem auctoritati conventus subditum et affirmabant vicarium non esse substitutum guardiani, sed officialem communitatis, quem ipsa ad arbitrium deponere posset [12]. Haec stulte erant facta, sed non sine

---

[1] AF II 560. [2] Gub. III 96.
[3] Chron. I 213. [4] BF VII 321 390.
[5] *Howlett* 106. [6] AF II 348. [7] W XIV 64. Gub. III 134.
[8] AF II 414. Gub. III 213 216. [9] AF II 530. [10] *Howlett* 108.
[11] AF II 429. [12] W XIV 63.

fundamento, si consideramus syndicationem guardiani conventui concessam.

Praeter vicarium in tabulis provinciarum interdum commemoratur *tertianus,* cuius tamen facultates ignoramus[1].

Caput IV.

Ordinis influxus et industria.

A. Missio in sinu ecclesiae.

§ 41. De ordinis influxu et industria in communi.

Quicumque historiam de interna omnium ordinum evolutione perscrutatur, facile propensus erit ex defectibus in eiusdem decursu apparentibus conclusiones modum excedentes easque iniquas facere. Defectus enim ex natura rei procedunt et inveniuntur modo analogo in omnibus societatibus, immo in omnibus individuis. Nonne historia interior etiam optimorum virorum, summa petentium, quasi continua est series contentionum, victoriarum et cladium, cum perpetuo defectu inter esse et debere? Et haec forsitan non obstante, quod eaedem personae maxima produxerint, quapropter gratiam et admirationem posterorum sibi comparaverint. Idem dicendum est de historia ecclesiae et Pontificum. Iniquitas esset certe maxima, si in pugnis interioribus et infirmitatibus, in perpetuo studio adipiscendi normam perfecti et in creberrima defectione ab eadem insistentes neglegeremus infinitum bonum, quod ecclesia et Pontifices mundo praestiterunt.

Eodem modo consideranda est historia ordinis Franciscanorum et omnium congregationum ad eundem pertinentium. Describentes ordinis evolutionem internam sincere demonstravimus vitia, varias defectiones ab idea, supra quam erat fundatus, et continuas contentiones pro conservanda hac norma simul cum omnibus miseriis hominibus propriis — contentiones, quae ordini, praesertim personis litigantibus valde nocuerunt, sed insimul consideratae ipsis non sunt dedecori. Non enim certatum est de bonis materialibus neque de voluptatibus, sed de ideis religiosis sive imaginariis sive veris. Magnam quoque ad partem his pugnis est ascribendum, quod ordo ipse nunquam praeda inertiae factus sit, quodque ad nostra usque

[1] AF II 348.

tempora vividior permanserit quam plurimi alii. Optimum huius rei argumentum est historia de industria, quam ordo in decursu omnium saeculorum explicavit, quaeque adhuc sane non satis est perscrutata. Descriptio eiusdem etiam alia de causa difficilior redditur: sicut apud clerum saecularem labor ordinatus, quietus et indesinens recenseri non consuevit, ita etiam in ordinibus facta tantum extraordinaria, quae omnium oculos ad se convertunt, in chronicas referri solent, quare historiae peritus haec imprimis sequi debet, quin tamen ipsis deficientibus torporem possit conicere. Ubi enim circumstantiae loci vel temporis extraordinaria facta non exigunt, vel ubi ordo extraordinarios viros non habet, semper ordinarius fratrum labor in verbo et exemplo remanet, qui non satis potest aestimari, etiamsi nullibi est descriptus.

Ut in communi discamus, quanta fuerit ordinis efficacitas et influxus tempore sui originis, sufficit relegere verba Iacobi de Vitriaco, quae iam pridem adduximus (§ 4). Industriam Minoritarum post medium saeculi XIV Gregorius XI, Papa, his prosequitur laudibus[1]: „Alii a mundanis abstracti et gravibus poenitentiis dediti coelestibus inhiant et ad illas per contemplationis pennas suavius et altius elevantur ut aquilae et cum Maria parte optima perfruuntur, alii vero sanctam sollicitudinem Marthae sectantes celebrationi divinorum vacant solertius, alii discunt et docent Dei scientiam et alii plebem instituunt in eadem aliique ferventioris spiritus ardore succensi — non timentes, sed amantes barbaras nationes — ad illarum conversionem pergunt intrepidi, ut valeant ad Dominicam arrham multos afferre manipulos et de talentis eis creditis Domino bonam reddere rationem. *Hi profecto sunt fratres ordinis Minorum* in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus per praedicationis et sanctitatis opera prae ceteris religionum professoribus usque ad extremum terrae noscitur exivisse.“

Simili modo a plurimis modernis historiae peritis, etiam acatholicis, influxus ordinis durante saeculo XIII et XIV describitur. Unum solummodo audiamus: „Bini et terni profecti sunt, nudi pedibus et viles induti tunicas, corde tamen pleno profundissimo amore Dei et hominum. Species eorum insolita ludibria et persecutiones excitabat, sed patientia sua angelica adversarios vincebant et admirationem, amorem et reverentiam sibi comparabant. Viris his simplicibus et piis populus libenter dona largiebatur. Statim oratoria, ecclesias et

[1] BF VI 505.

conventus aedificare coeperunt, solis beneficiis confisi. Homines supranaturales hi religiosi esse videntur. In idea paupertatis absolutae revera immensae vires erant reconditae. Mendicantes enim, qui his in terris nihil exspectare nihilque perdere poterant, qui ergo nihil sperabant et nihil timebant, qui ex infima plebe orti sciebant, quomodo huiusmodi homines cogitarent et quibus egerent, facti sunt pauperum et oppressorum amici, consolatores, defensores et ultores.

„Catervatim populus ad ecclesias novorum religiosorum properabat, non solum propter multas et magnas indulgentias eisdem annexas, sed etiam propter officia divina, quae Fratres Minores modo vere populari celebrabant. . . . Non ad ambitum conventus vel civitatis, in qua habitabant, efficaciam suam restringebant, sed quoquoversus profecti sunt, de urbe in urbem, de pago in pagum, missam celebrantes, praedicantes et confessionem audientes in casis, in horreis, immo etiam in aperto. . . . *Imprimis vero curam suscipiebant infimae plebis urbium,* quam ecclesiae ministri hucusque parum respexerant. Nunc vero fratres mendicantes inter cives et proletarios per defectum cultus divini et scholarum quasi penitus neglectos apparuerunt. Proletariorum numerus in dies crescebat, praesertim in urbibus commercio deditis, in quarum angustis, saluti totaliter contrariis vicis iam tunc temporis magna multitudo hominum erat conglobata, quae corpore sine intermissione dolorem, famem et luem perferrebat et vitiis criminibusque assueta erat. Franciscani ergo sordes auferri curabant, quo facto viam aperiebant purificationi aeris et terrae, pigris inculcabant etiam infimum laborem famem arcere; aegrotis in hospitalibus inservientes non timebant contagionem ex lepra et morte nigra. . . . Igitur mox habebantur benefactores multitudinis hominum hucusque derelictorum, qui fratrum curae salutem corporis debebant et eorum doctrinae ac admonitioni pacem animae. Ita fratres mendicantes facti sunt amici virorum in omnibus vitae vicissitudinibus et intimi feminarum in cura pro rebus domesticis et educatione filiorum." [1]

Sic facile comprehendi potest extraordinaria *popularitas,* qua ordo praesertim primis saeculis apud magnates et plebem pariter gaudebat [2], et de qua Bartholomaeus Pisanus scribere non dubitat [3]: „Non credo, quod sit aliquis ordo, ad quem tantum fideles afficiantur sicut

---

[1] *A. Koch,* Die frühesten Niederlassungen der Minoriten im Rheingebiete, Leipzig 1881, 72.

[2] *Thode* 402 405. [3] AF IV 563.

ad istum." Ad haec demonstranda adducit beneficentiam populi versus ordinem, magnum novitiorum numerum, studium fidelium accipiendi sepulturam in ecclesiis fratrum et praesertim desiderium multorum nobilium habendi secum semper Minoritas. „Vide Franciam, respice Alamaniam, verte te ad Angliam, inspice Guasconiam, Aragoniam, Hispaniam, Bohemiam, Ungariam, Austriam, Lombardiam, Siciliam et totam Italiam, et reperies, quod reges, filii regum et filiae uxoresque, comites, duces, principes, barones et dignitate saeculi fulgentes fratres Minores in suis hospitiis habere pro confessoribus et informatoribus." Chronista sane pericula coniuncta cum tali industria respectu vitae spiritualis fratrum non celat, nihilominus eam non vituperat propter utilitatem populorum, propter promotionem boni et propter lucrum vitae aeternae.

Quidquid sentiendum sit de hac re, certum est multos imperatores et reges, principes et Episcopos Minoritis non solum tamquam *confessariis*[1] usos esse, sed etiam tamquam pacis reconciliatoribus natis et *legatis* cuiusque generis[2]. Ordinem pericula huiusmodi laborum bene cognovisse patet ex eo, quod saepius „privilegia" sibi procuraret, quibus tales fratres ad libitum revocare vel eorum industriam coercere posset[3]. Neque solum ministerio fratrum principes saeculares et ecclesiastici usi sunt, sed multi quoque eorum unum ex tribus ordinibus professi sunt. Bernardus a Besse, secretarius S. Bonaventurae, hac de re testatur[4]: „Intraverunt episcopi, abbates, archidiaconi et solemnes in theologia magistri, principes quoque ac proceres, aliique innumeri dignitate et scientia conspicui, flos denique nobilitatis atque scientiae." Revera chronistae centenos recensent virorum illustrium, quorum multi generis erant imperialis et regii, qui vel ordinem ingressi sunt[5] vel sepulturam in ecclesiis ordinis impetrabant[6], eamque saepe habitum induti fratrum.

§ 42. Minoritae in immediatis Apostolicae Sedis servitiis.

Contrarius Albigensibus, Waldensibus et similibus sectis, quae magno suo influxu abusi sunt contra ecclesiam, S. Franciscus iam

[1] Nomina vide apud Giard. I 606; *Patrem* 135.

[2] Nomina vide apud Giard. I 596; Manuale 305; *Patrem* 135.

[3] BF II 298; III 21. [4] AF III 685.

[5] AF IV 437. Firm. I 41. *Lequile* II 281. Manuale 309. Nomina iuxta ditiones disposita in Giard. I 670; series chronologica nominum apud *Patrem* 9 13 21; cf. 135. *F. Reineccius,* Cleobulus Franciscanus, Oeniponti 1651 *Idem,* Thales Franciscanus, Oeniponti 1654.

[6] Nomina principum vide apud Giard. I 776 792.

a principio societatem suam arcte coniunxerat ecclesiae eiusque capiti. Ordo ipse in summa fideliter in hac fundatoris sui intentione persistens pugnabat pro unitate ecclesiae et pro auctoritate Pontificis cum tanta confidentia, quanta solummodo in viris inveniri potest, quibus in hoc mundo nihil est sperandum nihilque timendum. Pontifices haec grate agnoscentes fratres mature inter suos familiares receperunt, eorum fidelitati, probitati et integritati confisi, qua in re non sunt decepti. Minoritae enim soli Innocentio III, Honorio III, Gregorio IX et Alexandro IV morientibus astiterunt, cum ceteri familiares eorum, nullam propriam utilitatem amplius sperantes, recederent[1].

Magis minusve arcte Minoritae personae Pontificis connexi sunt tamquam *capellani*[2], *sacristae*[3], *praedicatores*[4] *et poenitentiarii*[5] Papales. Poenitentiarii in tres distinguuntur classes, imprimis, qui erant Pontificis ipsius confessarii[6], deinde „poenitentiarii Apostolicae curiae, qui ad familiares Papae pertinebant et saepe legationes suscipere debebant, denique poenitentiarii Apostolici in certis ecclesiis Romae exsistentibus vel in basilicis Pontificiis alibi exstructis. Haec tertia classis demum post primam historiae ordinis epocham orta est, cum Pius V in quibusdam ecclesiis collegia Poenitentiariorum constitueret, quorum membra ad certum ordinem pertinebant. Venerabilis et antiqua basilica Lateranensis Observantibus est tradita, Conventualibus vero in basilica S. Petri munus Poenitentiariorum est demandatum, postquam Clemens XIV societatem Iesu dissolvit[7]. Difficilis conditio fratrum in Laterano exsistentium, qui neque habebant, unde uterentur, usque ad saeculum XVIII remedia ex parte ordinis et curiae Romanae postulabat[8]. Inter praefectos poenitentiariae Apostolicae, qui dicuntur *poenitentiarii maiores*, praesertim commemorari meretur doctus Cardinalis *Bentivenga* († 1290)[9].

Longe maioris momenti quam maxima praedictorum munerum pars erant positiones, quas Franciscani occupabant tamquam *Cardi-*

---

[1] *P. Sabatier*, Vie de S. Franc.[27] 184, nota.

[2] Giard. I 623. *Panfilo* II 149. *Patrem* 135.

[3] *Panfilo* II 152. [4] Giard. I 616.

[5] Giard. 627 634. *Lequile* II 252 272. *E. Göller*, Die päpstliche Pönitentiarie, Rom 1907, 85 129.

[6] Giard. I 623. *Patrem* 135. [7] *Panfilo* II 148.

[8] Gub. III 392. Chron. III 2, 383; IV 187.

[9] *K. Eubel*, Der Registerband des Kardinal-Großpönitentiars Bentivenga, Mainz 1890.

nales[1] *et Episcopi,* idque omnibus temporibus et in omnibus ditionibus. Iam primo exsistentiae suae saeculo ordo 162 fratres his dignitatibus insignitos numerabat[2] et a principio ad nostra usque tempora ex toto ordine desumpti sunt versus 90 Cardinales et ultra 2500 Episcopi, Archiepiscopi et Patriarchae[3]. Quamquam inter eos aliqui fuerunt, qui contra spiritum S. Francisci has dignitates ambierant, tamen adhuc longe plures erant, qui easdem constanter recusabant vel tantum per strictissimum mandatum cogi poterant easdem subire. Porro neque reticendum est elevationem fratrum egregiorum ad dignitates extra ordinem ipsi quidem honori fuisse, sed etiam magno damno, praesertim quando agebatur de ministris generalibus.

Neque solum ad ordinaria ecclesiae officia Minoritae adhibiti sunt, sed etiam saepissime ad expedienda negotia extraordinaria. Vox Eugenii IV ad Observantes: „Segregate mihi viros in obsequium Sedis Apostolicae ab omni ordinis officio liberos“[4] saepissime in decursu saeculorum ex ore Pontificum ad ordinem facta est, maxime vero durante saeculo XIII. In certamine cum haeresi multi Minoritae tamquam *inquisitores*[5] adhibiti sunt, quamquam conversio per verbum et exemplum mansuetudini sancti fundatoris magis conveniebat quam conversio per severitatem inquisitionis. Saepius quoque fratres in hoc officio periculis pleno constituti querelis ansam praebebant per suam inoboedientiam erga superiores ordinis et per alias deordinationes in suo modo vivendi[6].

Neque magis in ultima analysi spiritui Franciscano conveniebant partes, quas Minoritae in pugna contra *dynastiam Hohenstauficam* susceperunt[7]. Non quo contra hanc dynastiam ipsam affecti fuissent, sed tamquam fideles Pontificis ministri sacrosanctum suum officium esse putabant defendere eius iura contra omnes adversarios. Quemadmodum saepe contra haereticos et Mahumetanos cruce signatos milites convocaverant, ita nunc *crucem praedicabant* contra genus

---

[1] *Pietr' Antonio di Venetia,* Gloriose Memorie delle vite e fatti illustri delli Sommi Pontifici e Cardinali assonti dal Serafico Ordine, Treviso 1703. *F. Reineccius,* Periander Franciscanus, Oeniponti 1656.

[2] *K. Eubel:* Röm. Quartalschrift IV (1890) 185. BF V 605; VI 656; VII 742.

[3] Chronologice eos recenset Giard. I 481 567, iuxta Sedes Episcopales: ibid. II 425; Series alphabetica nominum ibid. 538. Cf. AF IV 345; Manuale 271; *Lequile* II 159; *Patrem* 7 13 19 61 69 87 134.

[4] Gub. II 200.

[5] *Marczic* II 619. *Lequile* I 329. Nomina eorum chronologice et iuxta ditiones disposita in Giard. I 642.

[6] BF IV 453 551 553; VII 504 516. Gub. III 58.

[7] *A. Koch* 100.

Hohenstauficum, quapropter ab eiusdem asseclis odium et persecutionem usque ad sanguinis effusionem passi sunt, et haec non sine causa. Minoritae enim eorumque Tertiarii potentissima erant factio, quae Imperatori magnum afferebat damnum, quippe quae persuasa causam suam esse iustam admirabili heroismo decertaret et contumelias, carceres atque formidolosissima tormenta perferret. Ideoque viri eiusmodi generis ac Ezzelinus tyrannus, qui vix unquam aliquid reverebantur, nihil in hoc mundo magis timebant quam fratres de ordine S. Francisci. Neque tamen praetereundum est Minoritas in eadem pugna inter Pontificatum et Imperium etiam *legationes pacis* suscepisse, quotiescumque reconciliationis spes affulgebat. Ita anno 1228 Gregorius IX duos Franciscanos tamquam pacis auctores ad Fridericum II misit; post decem annos Elias, minister generalis, eandem intentionem prosecutus est, et anno 1236 Imperator orationibus Minoritarum se recommendavit laudans eorum vitam religiosam.

Dum hoc magnum certamen Imperium a fundamentis commovet, Minoritae illud tueri studebant contra *Tatarorum* incursiones, quae tunc temporis vehementer instabant (1241). Mandante Pontifice ipsi crucigeros milites contra eos praedicando colligebant[1]. Eodem tempore alii Minoritae omnibus viribus conabantur adducere *unionem Graecorum*[2]. Anno 1232 quinque fratres, qui in Oriente laborabant, Patriarcham Constantinopolitanum induxerant, ut tractatus cum Sede Apostolica inciperet. Mox Papa duos Dominicanos et duos Franciscanos in officio *apocrisiariorum* ad eum delegavit, qui tamen, adversus suam indubiam habilitatem, nihil assecuti sunt. Anno 1247 Innocentius IV iterum Minoritas Constantinopolim misit et paulo post, desiderante imperatore Graecorum, Ioannem a Parma, ministrum generalem, qui per duos annos in Oriente commoratus ubique maximam sibi conciliavit venerationem tamquam „angelus pacis". Rogante Michaele Palaeologo imperatore Urbanus IV anno 1263 iterum quattuor Franciscanos delegavit, qui simul cum aliis postea repetitis vicibus missis causam eo perduxerunt, ut imperator Graecorum anno 1271 per clarissimum illum Ioannem a Monte Corvino Pontifici communicaret se esse paratum ad unionem. Hac re comperta Papa iterum quattuor Minoritas delegavit, inter quos erat Hieronymus Asculanus, qui postea factus est Nicolaus IV, quique causam cum tanta sollertia suscepit, ut anno 1274 in concilio Lugdunensi unio revera sit perfecta, qua de re etiam S. Bonaventura optime est meritus.

---

[1] BF I 296. [2] Gub. V 233. *Lequile* I 320.

Cum vero unio paucis annis post iterum dissoluta esset, tractatus denuo durante saeculo XIV suscepti sunt, quibus iterum multi Minoritae tamquam Sedis Apostolicae delegati intererant. Demum haec studia anno 1439 in concilio Florentino successum habebant, qui magnam ad partem referendus est ad Guilelmum Casalensem, Bernardinum Senensem et Albertum a Sartiano [1]. Etiam *unioni Armenorum* Franciscani cooperati erant, praesertim Iacobus de Primadizzi, vicarius generalis Observantium. Circa idem tempus Eugenius IV aliquos fratres ducente Alberto de Sartiano in Orientem misit, ut viam aperirent *unioni cum Coptis et Iacobitis* [2], quae quidem solummodo ad partem contigit. Etiam inter *Maronitas*, qui anno 1182 ad ecclesiam Romanam redierant, Minoritae saeculo XV et XVI multum boni produxerunt, cum varii abusus stabilitatem unionis in discrimen vocarent. *Grifo,* natione Belga, per 25 annos inter eos commoratus est educans bonum clerum indigenum [3].

Etiam ad expedienda alia opera Pontifices usi sunt Minoritis. Chronistae versus 300 fratres nominant, qui tamquam *legati vel nuntii* fere in omnes totius orbis ditiones missi sunt [4]. Saepe quoque exsecutores voluntatis Papae facti sunt in negotiis omnis generis: modo in electionibus Episcoporum et abbatum arbitri esse, monasteria reformare, dispensationes in causis matrimonialibus exsequi et a poenis ecclesiasticis absolvere debebant; modo delegati sunt, ut librum Talmud discuterent et in causas iuris inquirerent; modo Episcopos a profusione bonorum ecclesiasticorum compescere et principes ad sanationem iniuriarum commissarum adhortari debebant, immo interdum demandata est eis visitatio hospitalium, aedificatio aquaeductus et exstirpatio latronum [5].

§ 43. Verbi Dei praedicatio durante saeculo XIII et XIV.

S. Franciscus non cogitavit, sicut iam saepius commemoravimus, fundare ordinem in sensu pristino, sed intendit, ut fratres sui iuxta exemplum Christi et Apostolorum tam saluti animarum quam propriae sanctificationi incumberent. Quapropter omnibus regulis suis inseruit proprium capitulum „de praedicatoribus“, postulans simul, ut omnes fratres officio praedicationis participarent. Illi ergo, qui ore verbum Dei diffundere non poterant, saltem exemplo suo prae-

---

[1] W XI 2 58. [2] Ibid. 71 119. [3] W XIV 128; XV 5.
[4] Giard. I 572. Manuale 277. *Lequile* II 279. *Patrem* 134.
[5] BF I—VII passim. W V 6; VIII 187. MF V 160. *A. Koch* 95.

dicare debebant[1], quare S. Bonaventura[2] iure animadvertit: „Patet, quod Fratres ex sua professione habent praedicare, in quorum Regula inter omnes specialis tractatus de praedicationis officio continetur; unde certissime constat, quod nullis Religiosis aliis plus competit praedicare ex ratione status sui, quam his, qui hanc Regulam profitentur."

Normam hanc secutus est sanctus fundator ordinis cum primis sociis, ut Iacobus de Vitriaco societatem simpliciter describat tamquam „ordinem praedicatorum, quos Fratres Minores appellamus" [3]. Quin agamus de controversia, utrum iam primis ordinis temporibus fratres iuxta simplicem exhortationem etiam conciones proprie dogmaticas habuerint[4], dicere possumus „simplicem modum praedicandi fratrum maximam fecisse impressionem in populum. Exemplo abnegationis sui et contemptus mundi, coniunctum cum exhortationibus ad poenitentiam, quae ex profundissima persuasione religiosa et experientia propria prodibant, populum ad se rapiebant et successum praedicationis in tuto collocabant." [5] Quapropter Gregorius IX pulchra haec scribere potuit verba: „Christus in Fratrum Minorum ordine nascitur et salutem innumerae multitudinis exemplo, doctrina et miraculis operatur." [6]

Quanto plures cuiusque generis homines in ordinem recipiebantur, tanto periculosior erat res concedere omnibus licentiam praedicandi verbi Dei. Igitur iam in regula anni 1221 ordinatur, ut facultas praedicandi a licentia ministri dependeat, qui eandem concedere et revocare possit. Regula anni 1223 libertatem praedicandi adhuc arctius restrinxit, supponendo tacitum saltem Episcoporum consensum et praecipiendo expressam licentiam ministri generalis, qui sibi certitudinem de habilitate approbandi comparare debet. Propter difficultates hoc praecepto coniunctas Gregorius IX ministris quoque provincialibus licentiam concessit approbandi occasione capituli praedicatores (§ 6), qui modus observatus est ad nostra usque tempora. Quamquam licentia praedicandi semper libere poterat revocari, tamen

---

[1] Regula 1221, c. 17. [2] Opera omnia VIII 431; cf. 333.

[3] *Böhmer,* Analekten 102.

[4] Cf. *H. Felder,* Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden, Freiburg 1904, 33, et *F. X. Seppelt:* Sdraleks Kirchengeschichtliche Abhandlungen IV 149.

[5] *A. Franz,* Drei deutsche Minoritenprediger aus dem 13. und 14. Jahrhundert. Freiburg 1907, 1.

[6] W II 353.

illi, qui semel erant approbati, ordinarie in officio permanebant, qua de causa in ordine duplex fratrum classis est orta, prout erant habiles ad praedicandum vel non. Praedicatores, praesertim „magni praedicatores“, summa gaudebant auctoritate intra ordinem et ordinarie ad capitulum citabantur.

Cum ortu classis praedicatorum, a qua laici mox totaliter sunt exclusi, maximam ad partem mutatio exhortationis consuetae in propriam concionem cum forma scholastica cohaeret. Adhuc diu quidem praedicatio vere Minoritica typum popularis exhortationis ad poenitentiam conservabat, nihilominus vero methodus illius temporis magnum in eandem exercebat influxum. Tunc temporis enim scientia scholastica efflorescens homileticum genus dicendi immutavit in scholasticum [1]. Eodem modo, quo novi ordines mendicantium scientiae incumbebant scholasticae, eorum quoque genus praedicandi formam scholasticam accipiebat. Magni magistri eloquentiae saeculi XIII hac in re prudenter modum tenere sciebant, ne vigor et effectus concionis damnum pateretur. Simul tamen etiam alii erant, qui subtilitates scholae ad suggestum transferebant spiritus interni totaliter obliti, quare demutationi praedicationis viam aperiebant. Contra hoc malum iam Rogerius Baco invectus est et versus finem saeculi XIV quasi ubique irrepsisse videtur [2].

Primus Franciscanus, qui veterem et novam methodum feliciter novit coniungere, S. Antonius Patavinus fuisse videtur, qui nobis etiam exemplum perfecti praedicatoris Minoritae describit [3]. Hic, instructus necessaria scientia et pietate atque exemplum verbo factoque, quoquoversus mittitur, ire debet. Praedicatio eius ex verbo Dei efflorescat neque fabulis sit deformata. Liber ab omni cupiditate gloriae non loquatur de excellentia sui ordinis vel de magno fratrum suorum numero eorumque virtutibus. Solam salutem animarum respicere debet, quare frequens sit in confessionibus audiendis, quia fructus, qui praedicatione maturescunt, in confessionali colliguntur. Eiusdem sententiae erat S. Bonaventura, qui nos asseverat fratres maxime praedicando et confessiones excipiendo utilitati fuisse fidelibus [4].

Ordinem durante saeculo XIII multos produxisse praedicatores, qui ad normam modo descriptam prope accedebant, ab omnibus conceditur. „Praedicatio“, ait vir doctus protestanticus [5], „erat proprium munus Franciscanorum. . . . Ecclesia, quid sibi ipsi et populo

---

[1] *Franz* 2. [2] Ibid. 5. ALKG III 75 122. AF IV 420.
[3] *Franz* 4. [4] Opera omnia VIII 337. [5] *Thode* 416.

esset necessarium, per Franciscum Assisiensem sibi conscia facta religiosos mendicantes populares suae doctrinae praedicatores emittebat. Talis praedicatio denuo demonstravit, quod iam temporibus Apostolorum apparuerat, scilicet evangelium a principio pro pauperibus esse destinatum et semper denuo infinitas benedictiones in humanitatem effundere, dummodo iuxta proprium sibi argumentum simpliciter et sincere praedicetur.... Quaecumque christiana praedicatio de rebus moralibus praedicatio est amoris, et si quando tales purae praedicationes habitae sunt, erant illae Franciscanorum. Populus proprios habere volebat praedicatores, qui eius lingua uterentur eiusque doloribus et gaudiis participarent, severos simulque mansuetos admonitores habere cupiebat — Franciscani haec omnia, quae populus desiderabat, praestabant. Hic est fons extraordinarii influxus eorum."

Uberrima *praestantibus praedicatoribus* durante saeculo XIII videtur fuisse *Italia,* ubi post S. Franciscum *S. Antonius Patavinus* ingentem exercebat influxum, quam tamen minime comprehendere possumus ex sermonibus Latinis, qui sub eius nomine ad nos pervenerunt. Certum est eum, quamquam Lusitanus esset, lingua Italica tantum valuisse quantum lingua sua vernacula, quo factum est, ut innumerae hominum multitudines — aliquando versus 30000 fuisse dicuntur — eius sermonibus auscultarent et postea ad ecclesiam properarent, in quibus confessionalia et sacerdotes non sufficiebant ad satisfaciendum desideriis poenitentium[1]. Haec poenitentiae praedicatio, quae animos concutiebat, agmina quoque flagellantium produxit[2], quae medio aevo posteriori adhuc saepius excitata simulque degenerata sunt. Praeter S. Antonium magni praedicatoris nomen adepti sunt *Leo Perego,* qui postea factus est Archiepiscopus Mediolanensis, *Gherardus Boccabadi* Mutinensis (Modena), *Lucas de Apulia, Bonaventura Aesinus* (Jesi), *Benvenutus Mutinensis* et *Rinaldus Aretinus* (Arezzo)[3].

In *Gallia*[4] *Hugo de Dina* († ca an. 1256) tanto cum successu praedicabat, ut Ioannes de Parma eum alterum appellaret Paulum. *Guibertus de Tornaco* (Tournay) propter eloquentiam suam multum laudatus mandante Alexandro IV orationes suas coram clero Parisiensi habitas collegit. Celeberrimus quoque erat *Odo Rigaud,* qui anno 1265 mortuus est tamquam Episcopus Rhotomagensis (Rouen).

---

[1] *Thode* 418. [2] W II 117. [3] *Panfilo* II 103.

[4] *Lecoy de la Marche*, La chaire française au moyen-âge, Paris 1868, 137. *Chevalier* 1917 2201 3972.

Maioris momenti praedicatores Minoritarum facti sunt in *Germania,* ubi simul cum Dominicanis definitivum exercuerunt influxum in evolutionem praedicationis Germanicae. Absque ullo dubio ipsi clerum saecularem ad imitationem provocaverunt, praebentes ei in magnis suis praedicatoribus exempla et in operibus suis homileticis media [1]. Longe primum inter eos locum frater *Bertholdus Ratisbonensis* (Regensburg) [2] occupat, maximus orator popularis medii aevi Germani et forsitan eventu praeclarissimus totius ordinis praedicator. A medio saeculi XIII usque ad annum 1272, quo mortuus est Bertholdus, „deliciae Dei hominumque", Germaniam superiorem, Helvetiam, Austriam, Moraviam et Bohemiam praedicando peragravit cum tanto successu, ut Rogerius Baco affirmet Bertholdum solum plus boni produxisse quam ceteros praedicatores utriusque magni ordinis mendicantium omnes. Versus 40 000 auditorum saepe circa cathedram suam sub divo erectam congregati esse dicuntur. Magnam suae eloquentiae vim produxerunt: eximius sacrae scripturae usus, summa perspicuitas et vigor perceptionis, amor naturae eiusque pulchritudinis, abundans copia figurarum et parabolarum, summa eloquentiae vis simul cum teneritudine sensus parvulorum [3] et magnam quoque ad partem fama sanctitatis, quae eum quoquoversus praecessit quaeque ei gratam venerationem post mortem comparavit usque ad saecularisationem in principio saeculi XIX factam [4].

Sicut conciones Bertholdi, ita etiam sermones sub nomine *„Praedicator de Silva Nigra"* (Schwarzwald) collecti margaritae sunt litteraturae homileticae medii aevi Germani. Eorum auctor videtur fuisse Minorita, certum saltem est eum maxime usum esse praedicationibus fratris *Conradi de Saxonia* [5], qui simul cum *fratre Ludovico,* discipulo Bertholdi, praecipuis praedicatoribus saeculi XIII est annumerandus. His comparata collectio sermonum sub titulo *Graeculi* (*Piper,* Flores Apostolorum) a quodam Minorita in principio saeculi XIV edita iam demutationem eloquentiae sacrae continet. Hac

---

[1] *Cruel,* Geschichte der deutschen Predigt im Mittelalter, Detmold 1879, 609.

[2] Amplam litteraturam vide apud *Chevalier* 581. Ad hoc: *E. Michael,* Geschichte des deutschen Volkes II 144. *E. Bernhardt,* Bruder Berthold von Regensburg, Erfurt 1905. EF XII (1904) 620; XIII 5 129 394; XIV 133. — Pro religiosis valde notabile est opus *P. Hoetzl,* Beati Fr. Bertholdi sermones ad religiosos XX, Monachii 1882.

[3] *Schlager,* Die deutschen Franziskaner und ihre Verdienste um die Lösung der sozialen Frage, Regensburg 1907, 55.

[4] *Eubel,* Geschichte der oberdeutschen Provinz 30.

[5] De hoc et sequentibus multa tractat *A. Franz* l. c.

simul cum sermonibus Conradi de Saxonia per longum tempus libenter praedicatores usi sunt.

Anglia quoque multos bonos praedicatores et confessarios produxit[1]. Optimi eorum vocandi sunt in prima saeculi XIII parte *Haymo de Faversham,* qui postea factus est minister generalis, et *Radulphus de Rosa.*

§ 44. Verbi divini praedicatio durante saeculo XV.

Post brevem saeculi XIV regressum praedicatio Minoritarum saeculo XV inopinatum reassumpsit impetum, qui sine dubio cum regeneratione cohaeret, quam Observantia in ordine produxit. „[Eorum] eloquentia", ita contemporaneus chronista[2] de Observantibus tradit, „doctrina et sanctitate tota Italia commota fuit et in maxima devotione excitata. Demum aliae provinciae christianorum odorem sanctitatis ipsorum senserunt ita et taliter, quod iam tota christianitas quodam modo reformata videtur."

Hoc iudicium per peritissimos temporis renascimenti (Renaissance) confirmatur[3]. „Non exsistebat tunc maius praeiudicium quam de fratribus mendicantibus: praedicatores poenitentiae illud superarunt. Humanismus superbus carpebat et illudebat. Elevantibus autem his praedicatoribus vocem, omnes humanismi obliti sunt. Historia horum virorum, qui tam severo et vehementi studio succensi erant, adhuc non satis est discussa. Ipsa pertinet ad iucundissima facta illius temporis, quod multis redundat malis, quia ex ipsa patet, quod novus vitalisque spiritus ecclesiam penetrare coepit. . . . Praecipue per excitationem conscientiae hi benefactores et conservatores populi tam vehementer suos aequales commovebant. . . . Quam accommodatum eorum genus dicendi ingenio populi Itali fuerit, patet ex concursu et successu extraordinario, quo maior horum praedicatorum pars gaudebat, qui cum apparerent, totam civitatem et finitimam regionem commovebant. Tabernae et fabricae claudi consueverunt et saepe sub divo cathedra erigebatur, quia ecclesiae non sufficiebant. Milia hominum constipatorum praedicationibus, quae saepe per plures durabant horas, auscultabant. Effectus earum, qui non raro augebantur per pias *repraesentationes scenicas,* quasi ubique apparebant in liberatione pauperum, qui propter aes alienum in captivitate retinebantur,

[1] AF I 228 240. [2] *B. Bernardini* Chronica 22.

[3] *J. Burckhardt,* Die Kultur der Renaissance, citatus a *Pastor,* Geschichte der Päpste I² 30; III 127 129.

in crematione ‚vanitatum', chartarum scilicet, alearum, imaginum lubricarum etc., in restitutione bonorum alienorum, reconciliatione inimicorum. . . . Paucae totius historiae epochae conversiones tam extraordinarias integrarum civitatum et provinciarum exhibere possunt quam epocha renascimenti."

Non omnes quidem huius temporis praedicatores eandem merentur laudem. Meliores enim eorum ipsi conquesti sunt de vitiis et abusibus suorum confratrum in praedicatione verbi divini. Multi enim peccabant vel nimium indulgentes doctrinae scholasticae, subtilitatibus et altisonis verbis, vel falsas prophetias, miracula et superstitiosas narrationes proferentes, vel irreverenter et acrius aequo in praelatorum peccata invehentes [1]. Iustitia vero exigit, ut adnotemus haec vitia non esse attribuenda ordinibus, ad quos hi praedicatores pertinebant. Saepius enim capitula ordinum hos abusus damnaverunt, inter quae capitulum Observantium Mechliniae congregatum declaravit: „Tales apparitiones frivolas, deceptorias et phantasticas reputamus." [2] Saepe etiam superiores ordinis nullum in hos praedicatores influxum exercere poterant, cum Pontifices, sicut e. g. Calixtus III, omnibus religiosis concederent praedicare crucem etiam contra voluntatem superiorum suorum. Simili modo res se habebat respectu quorundam, qui *indulgentiam praedicantes* pecuniam colligere debebant, quare facile magis intendebant lucro pecuniarum quam animarum, quod necessario magnos producebat abusus [3]. Igitur iam magnus Ximenes paucis annis ante reformationis ecclesiasticae initium huic generi praedicationis contradixit; denique Francisco de Angelis (Quiñones) contigit, ut fratres liberarentur ab hoc labore ordini pernicioso [4].

Commemoremus simul hoc loco illud genus praedicandi, quod *controversias theologicas* exponens populo non erat utilitati et saepe contentiones producebat. Inter huiusmodi praedicationes praecipue est nominanda *controversia de sanguine Christi,* scilicet, utrum sanguis Christi in passione a corpore Christi separatus adhuc in unione cum divinitate manserit ideoque adorandus sit. Quaestio haec iam saeculo XIV in cathedris discussa, durante saeculo XV iterum vehementer recruduit, usquedum Pius II perpetuum praeciperet silentium [5].

Maiorem partem *magnorum praedicatorum* saeculi XV invenimus in Italia, ubi iterum Observantes plurimos omnium ordinum excel-

---

[1] *Pastor* III 131. [2] Gub. III 117 129.
[3] *B. Bernardini* Chronica 72. [4] W XV 453.
[5] W VIII 58; XIII 206 264.

lentes oratores populares producebant, inter quos imprimis nominandi sunt quattuor Observantiae columnae. *S. Bernardinus Senensis* ubique extraordinario gaudebat successu[1]. Ipse eloquentiam iuxta antiquorum exempla didicisse fertur, quod certe scimus de *Alberto (Berdini) a Sartiano* († 1450), qui vulgo dicebatur „rex praedicatorum" [2]. *S. Iacobus de Marchia,* ad cuius sermones semper multi homines confluebant, non solum per Italiam, sed etiam per Dalmatiam, Bosnam et Hungariam praedicabat. Eius merita contra Turcos et Fraticellos praesertim commemorari merentur[3]. Hos omnes *S. Ioannes Capistranus* gravitate eloquentiae et successu superabat. Fama, quae de eius efficacia per Italiam percrebruerat, Fridericum Imperatorem induxit, ut a Pontifice magnum hunc praedicatorem pro Germania peteret[4]. Quocumque veniebat, clerus et populus ei occurrebant eumque recipiebant tamquam legatum Pontificis, praedicatorem veritatis, magnum prophetam et angelum coeli. A montibus quoque montani descendebant, desiderantes tangere tantummodo fimbriam vestimenti eius. Quotidie ad ipsius praedicationes versus 20 000—30 000 hominum properabant, qui, quamquam eius linguam non intelligerent, ei cum maiori auscultabant attentione quam eius interpreti. Ita, ubique praedicans poenitentiam, magnam partem Germaniae, Moraviae, Bohemiae et Poloniae peragravit. Uberrimos ubique fructus produxit. Aliquando, cum Lipsiae (Leipzig) de morte praedicasset, 120 iuvenes diversos ingressi sunt ordines. Praeter has missiones intra populum commemorandi quoque sunt eius labores contra *Hussitas*[5], praesertim vero contra *Turcas.* Crucigeri milites ab ipso congregati, qui paene unicum erant subsidium heroici illius Hunyady, vexilla praeferebant, quae ex una parte crucem monstrabant, ex altera autem imaginem cuiusdam Sancti ex ordine. Exitus huius rei omnibus est notus: die 14 Iulii 1456 Taurunum (Belgrad) est liberatum et post dies octo victoria decisiva de Turcis reportata[6]. „Hoc facto Hungaria et sub quodam respectu christianitas atque cultus Europaeus est servatus, qui salutem suam magnam ad partem ardenti studio Capistrani indefessi debent, qui simul cum Hunyady fuerat anima difficilis illius pugnae et plurimum contulerat ad prosperum eventum." [7]

---

[1] *Pastor* I² 30 191. [2] *B. Bernardini* Chronica 19.
[3] W XII—XIV passim. [4] *Pastor* I² 389 591. [5] Gub. V 193.
[6] *L. Lemmens,* Victoriae mirabilis divinitus de Turcis habitae duce B. Ioann. de Cap. series descripta per *Fr. Ioannem de Tagliacotio,* illius socium . . ., Quaracchi 1906.
[7] *Pastor* I² 594.

Neque hi quattuor viri soli erant praedicatores magni, quos ordo durante saeculo XV produxit. Ultra 20 adduci possunt[1], qui extraordinaria fama et successu gaudebant, quique adhuc non satis sunt noti. Maiores eorum sunt: *Robertus Lyciensis* († 1483), cuius „Opus quadragesimale" ultra octogies est impressum, *Antonius de Rimini* († 1450), *Silvester Senensis* († 1459), *Ioannes de Prato* († 1455), *Antonius Vercellensis* († 1483), *Herculanus de Plagario* (Piagale, † 1451), clarus praedicator de passione Domini[2], *Michael de Carcano,* Mediolanensis († 1485), *Pacificus a Ceredano* († 1482), *Cherubinus a Spoleto* († 1484), *Bernardinus de Feltre* († 1494), *Dominicus a Gonessa* (Leonessa, † 1497) et *Bernardinus de Bustis* († 1500).

Versus finem saeculi XV et initium saeculi XVI in *Gallia meridionali Thomas Illyricus*[3] († 1529) uberrimos fructus produxit, et *Oliverius Maillard*[4] († 1502) in ceteris regni partibus, atque etiam in Germania[5], inaudita confidentia plagas temporis castigabat. Celebres praedicatores in Gallia erant etiam *Stephanus Brulefer* († ca 1500), *Ioannes de Biturici* (Bourges) eiusque socius *Ioannes Tisserand*[6] († 1494), qui praesertim conversioni puellarum lapsarum studebat. Neque praetereundus est praedicator *Richardus* nomine, qui in principio saeculi XV magno cum successu Parisiis praedicans nationalismum Gallorum contra invasionem Anglicam excitabat, quo fieri potuit, ut etiam in heroismum virginis Aurelianensis influxum exerceret[7].

Inter praedicatores *Hispaniae* excelluit *Benedictus a Valencia* († 1490). Plura scimus de praedicatoribus Minoritarum in *Germania.* Historia praesertim Franciscanos *Guestfalos* praedicat tamquam clarissimos concionatores Germanos versus finem medii aevi, quorum alii per utilitatem concionum suarum pro universali historia homileticae magni valoris facti sunt, alii vero per magnum suum influxum in populum catholicum Germaniae inferioris[8]. In prima saeculi XV parte nominandi sunt *Ioannes de Minden* († 1413), *Henricus de Werl,*

---

[1] *Pastor* I² 30. W XII 62. Gub. V 66.

[2] *B. Bernardini* Chronica 17.   [3] Gub. V 82.

[4] *J. Samouillan,* Oliv. Maillard, sa prédication et son temps, Bordeaux 1891.

[5] AF II 505.

[6] Gub. V 81. *Ubald d'Alençon:* EF VII (1902) 538.

[7] *F. Dorive,* Les Franciscains précurseurs de Jeanne d'Arc: Action Franciscaine I (1904) 205 245. *Léon de Kerval,* Jeanne d'Arc et les Franciscains, Vanves 1893.

[8] *F. Landmann,* Die westfälischen Prediger aus den Mendikantenorden zu Ende des Mittelalters, Münster 1896, 5.

praesertim *Ioannes de Werden,* qui volumen consultatorium sermonum composuit, quod inscribitur „Dormi secure“ quodque illis temporibus multum est adhibitum. Maiorem adhuc gloriam adepti sunt Observantes *Ioannes Brugmann*[1] († 1478) et *Theodoricus* (Dietrich) *Coelde*[2] († 1515) a Monasterio. Ille, studiosissimus reformator ordinis, reconciliator pacis et missionarius, per Hollandiam et Germaniam inferiorem tantam explicavit industriam, ut interdum Bertholdo de Ratisbona sit comparatus. Eius eloquentia proverbii obtinuit locum, per saecula enim vulgo audiebatur: Etsi (utinam) loqui posses sicut Brugmann! Eius opus continuavit Theodoricus Coelde, de quo aequalis quidam ait: „Eloquentia eius spiritus dirigit et hominum sortes mutat sicut miraculum.“ Inter praecipuos Germaniae inferioris praedicatores numerandi sunt praeterea *Ioannes Kannemann,* clarus praedicator de passione Domini, et *Ioannes Kannengiesser,* qui „tuba veritatis“ appellabatur et circa initium saeculi XVI concionator ecclesiae cathedralis Hildesheimensis erat[3].

Germania quoque superior eodem tempore magnos praedicatores produxit. Ineunte saeculo XV Basileae clarebat *Ioannes Gritsch,* cuius sermones elegantia linguae ita excellebant, ut tempore concilii ab omnibus sit laudatus[4]. Eius successor *Ioannes Maeder* magistri quidem laudes non est adeptus, commemorari tamen meretur tamquam praedicator de passione Domini et auctor sermonum, qui saepe sunt perlecti[5]. Maiorem successum habebat *Ioannes Pauli,* typus homileticus saeculi XV ad finem vergentis, cuius liber „Schimpf und Ernst“ (ironia et severitas) ultra spatium unius saeculi deliciae populi Germani mansit[6]. Inter Observantes Germaniae superioris tamquam praedicatores magni sunt aestimati: *Petrus Christmann* (Christiani, † 1483), *Ioannes Alphart* († 1492), *Henricus Kastner* et *Stephanus Fridelin,* qui etiam Taulero est comparatus[7]. *Theobaldum*

---

[1] *W. Moll,* Joh. Brugmann, 2 voll., Amsterdam 1854. *Landmann* l. c. 8. Cf. Der Katholik 1902, I 119 232.

[2] *I. Beel,* Vita P. Theodorici a Monasterio, Monasterii 1869. *Landmann* l. c. 8.

[3] *L. Lemmens,* Niedersächsische Franziskanerklöster, Hildesheim 1896, 27 29.

[4] *K. Eubel,* Oberdeutsche Minoritenprovinz 35.

[5] *Theod. v. Liebenau:* Kathol. Schweizer-Blätter, Luzern 1899, 313. *P. Keppler:* Histor. Jahrb. der Görres-Gesellschaft III (1882) 299.

[6] *Eubel* l. c. 66. *Linsenmayer:* Histor. Jahrb. XVIII (1898) 873.

[7] *P. Minges,* Die Geschichte der Franziskaner in Bayern 59. Hist.-polit. Bl. CXIII (1894) 465; CXX 150. *F. Landmann,* Das Predigtbuch des Franziskaners H. Kastner: Festgabe, gewidmet H. Finke, Münster 1904, 423.

a Geislingen, qui vulgo dicebatur „Apostolus Austriae", anno 1520 mortuum tota civitas Viennensis (Wien) lugebat[1].

In ceteris Europae ditionibus tamquam praedicatores excellebant: *Pelbartus a Temesvar*[2], cuius fama terminos Hungariae longe excedebat: in Polonia: beatus *Simon a Lipnica* (Lipnicz, † 1482) et beatus *Ioannes de Dukla* († 1484), qui, quamquam lumen oculorum amiserat, praedicationis officium non dereliquit et multum pro unione Ruthenorum schismaticorum laboravit[3], denique beatus *Ladislaus a Gielniow* († 1505), *luminare maius Polonicae gentis*[4].

§ 45. Ordinis influxus in liturgiam ecclesiasticam et devotiones religiosas.

Durante saeculo XIII ordines religiosi, aeque ac singulae dioeceses, adhuc amplis gaudebant facultatibus disponendi pro se ipsis ordinationes liturgicas. Ordo Minoritarum hac licentia in capitulis usus est, praesertim in capitulis generalibus, quae iam a principio constanter „ordinationes circa divinum officium" faciebant[5]. Ambae Observantium familiae hac in re independenter ab invicem agebant, usquedum in altera saeculi XIV parte ad unitatem in praeceptis liturgicis cogerentur[6].

Considerantibus magnum influxum ordinis in populum christianum mirum non videtur, quod quaedam ordinis praecepta et exercitia a fidelibus recepta et denique ab ecclesia ipsa approbata sint. Quapropter sicut aliis ordinibus ita et Minoritis crimini est datum eos esse cooperatos, ut pietas redderetur superficialis. Attamen nihil magis est certum quam factum maiores ordinis praedicatores maximo cum successu id studuisse, ut vitam religiosam profundiorem facerent moresque emendarent. Nullum quoque dubium est, quin ordo ipse in generali eadem praecipue intenderit et semper sanctorum sacramentorum receptionem augere contenderit. Ideoque etiam ex tempore saeculi XIII populus frequentius confessionalia adiit. Neque tamen negamus statu scientiarum in ordine in peius verso multos fratres nimis

---

[1] *P. Herzog,* Cosmographia Austriaco-Franciscana, Coloniae 1740, 132.

[2] *Chevalier* 3565.

[3] W XIV 343 373 *Greiderer* I 421 425.

[4] W XV 302. *[Guggenbichler] Gaudentius,* Beiträge zur Kirchengeschichte des 16. und 17. Jahrhunderts, Bozen 1880, 462. *Greiderer* I 428.

[5] Harum seriem chronologicam vide in Mon. III 258; Gub. III 223. Rituale systematicum simul cum libro formularum vide in Firm. III 48.

[6] Gub. III 288 354.

tribuisse externis pietatis exercitiis, quae ut propagarent, usi sunt mediis a superstitione parum alienis. Quantum huius facti tribuendum sit singulis fratribus quantumque ingenio aevi — praedicta enim tunc ubique tam apud clerum regularem quam apud saecularem inveniuntur — hoc loco discutere non possumus.

Nihilominus infitiari non potest ordinem in communi in evolutionem cultus divini et in progressum festorum atque devotionum ecclesiasticorum bonum exercuisse influxum. Profundissimum fidei nostrae festum, quo magna pars anni ecclesiastici nomen traxit, *festum* scilicet *sanctissimae Trinitatis,* in aliquibus quidem locis iam ante saeculum XIII celebratum, latius vero demum propagatum est, postquam Minoritae anno 1260 illud in calendarium ordinis receperunt et Ioannes Pecchanus eius officium denuo retractavit. Denique anno 1334 a Ioanne XXII ad universam ecclesiam est extensum [1].

Iuxta intentionem sui fundatoris Minoritae maxime *personam Salvatoris* venerati sunt et populo praesertim, quod humanum in Christo erat, insinuare quaesierunt, praeferentes concreta atque facilia captu et intima cordium penetrantia. „Praesepe, crucem et SS. Sacramentum“, maxima amoris divini pignora, Minoritae populo praecipue veneranda proponebant. *Repraesentatio praesepis Domini tempore Nativitatis* iam ante S. Franciscum nota erat, sed ex tempore, quo ipse amoenam illam festivitatem Graecii (Greccio) celebraverat, ordo propagationi „praesepium“ cum zelo studebat et hodiernum usque in diem in suis ecclesiis populo mysteria incarnationis et infantiae Iesu in diversissimis repraesentationibus proponit [2]. Practice maioris erat momenti *cultus passionis Domini,* quem Franciscani etiam a suo fundatore in hereditatem acceperunt [3]. S. Bonaventura proprium officium de passione Domini composuit [4] et praedicatoribus atque confessariis ordinis mandatum est, ut populum christianum magis magisque ad agnitionem et imitationem Salvatoris patientis inducerent [5]. Eundem scopum prosecuta est *imitatio locorum sacrorum* Ierosolymis sitorum, cui in Occidente praesertim Minoritae studebant. Maximi momenti videtur fuisse „Ierusalem transportata“, quam Bernardinus Caimo versus finem saeculi XV in monte Verallo apud Mediolanum

---

[1] ALKG VI 35. *K. A. Kellner,* Heortologie [2], Freiburg 1906, 89.

[2] *B. Kleinschmidt:* Linzer theol. Quartalschrift LVI (1903) 96.

[3] *C. Mariotti,* La Passione de Gesù Cristo ed i Francescani, S. Maria degli Angeli 1907.

[4] Opera omnia VIII 152; cf. 159. [5] AF II 412.

erexit[1]. Ex his imitationibus sensim sine sensu *via crucis* nostri temporis orta est, quam absque ullo dubio Franciscani, praesertim S. Leonardus a Portu Mauritio, maxime propagarunt.

Non minus ardenter quam passionem Domini S. Franciscus veneratus est *S. Eucharistiam.* In pluribus suis litteris et postremo etiam in suo testamento iterum atque iterum ad hoc mysterium revertitur, supplicans sacerdotibus et fidelibus, ut maximo cum amore et reverentia illud tractent[3]. Revera fratres a principio studuerunt desideriis sancti patris obsecundare et populum fidelem admonere, „ut Eucharistiam praecipue veneraretur" [4]. Iam primus S. Francisci successor praecepit, ut Corpus Domini in tabernaculo bene clauso asservaretur neque amplius super altare suspenderetur propter pericula et irreverentiam cum hoc usu coniuncto[5]; ex quo simul patet praeceptum simile a concilio Lateranensi anno 1215 editum exsecutioni non esse mandatum. Cooperantibus Minoritis *fraternitates* ortae sunt, quae sibi venerationem S. Eucharistiae tamquam scopum principalem praefigebant. Inter alios *Cherubinus a Spoleto* congregationem fundavit, cuius membra curam gerere debebant pro digno Sanctissimi comitatu, quando ad aegrotos portabatur[6]. Extraordinaria devotione ad mysterium divini amoris inter Sanctos ordinis excellebat *Paschalis Baylon,* quapropter a Leone XIII anno 1897 coelestis omnium coetuum Eucharisticorum patronus est declaratus[7].

Etiam veneratio *nominis Iesu* repetenda est[8] a S. Francisco, qui omnia nomina sancta cum reverentia tractanda esse aiebat tamquam symbola relationum, quas personae eisdem significatae ad nos haberent. Durante quidem saeculo XIII et XIV haec devotio a Minoritis minus est culta, attamen per S. Bernardinum Senensem eiusque discipulum Ioannem Capistranum inopinatum sumpsit impetum[9]. Acres sane experti sunt contradictiones, quas gaudentes tolerabant, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. Anno 1530 Cle-

---

[1] Giard. II 382.

[2] Cf. *M. Bihl:* Arch. I (1908) 50. *J. Beaufais,* Exposé historique et pratique de la dévotion au chemin de la croix, Bruges 1908. *K. A. Kneller,* Geschichte der Kreuzwegandacht, Freiburg 1908.

[3] *Böhmer,* Analekten 37 40 55 58 62.

[4] AF I 254. *B. Sderci,* L'Eucaristia ed i Francescani, Roma 1905. *Basilide de Marie,* Les traditions franciscaines par rapport à l'eucharistie, Lille 1899. *C. Mariotti,* L'Eucaristia ed i Francescani, Fano 1908.

[5] ALKG VI 16. [6] Manuale 235. [7] Acta XVI 207.

[8] *S. Bonaventura,* Opera omnia VIII 535.

[9] Giard. II 374. *C. Mariotti,* Il nome di Gesù ed i Francescani, Roma 1898.

mens VIII ordini proprium concessit officium, quod Innocentius XIII ad universam extendit ecclesiam.

S. Franciscus eiusque socii iam a principio praeter Christum *Beatissimam Virginem Mariam* maxima amplexati sunt veneratione[1], cuius singulae significationes minime adduci possunt. Maxime nota est confidentia, qua ordo repletus *Immaculatam Conceptionem B. M. V.* defendit[2]. Festum *Visitationis B. M. V.*, primum ab ordine introductum, in decursu saeculi XV sensim sine sensu ab universa ecclesia est receptum[3]. Festum quoque *Desponsationis B. M. V.* primum videtur esse celebratum a Minoritis[4], qui mature nutritium Iesu simul cum sua sponsa virgine venerati sunt. Iam anno 1399 per decretum capituli officium *S. Ioseph* introductum est, deinde saeculo XV praesertim S. Bernardinus Senensis et Bernardinus de Bustis eius venerationem propagare studebant[5], denique anno 1621 dies ei dicata festum fori est factum. Aeque ac sponsum ordo et parentes Mariae, *Ioachim et Annam*, multo ante universam ecclesiam veneratus est[6].

Notandum quoque est verba „ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae" a Franciscanis orationi „Ave Maria" esse adiecta, priusquam saeculo XVI in communem populi christiani usum transirent[7]. Iam multo antea ordo proprium possidebat *rosarium septem gaudiorum B. M. V.*, quod anno 1422 introductum et postea praesertim a S. Capistrano propagatum est[8]. Mos hodie in toto orbe catholico receptus *pulsandi campanas in memoriam salutationis Angelicae* itidem originem ducit ab ordine Franciscano, qui eundem circa medium saeculi XIII coepit[9]. Commemoramus denique orationem *Benedicta,* quae ex tempore saeculi XIII in ordine saepe est persoluta, quaeque in summa idem est ac primum nocturnum officii parvi B. M. V.[10]

---

[1] *A. Bierbaum,* Der hl. Franziskus und die Mutter Gottes, Paderborn 1904.

[2] *P. Pauwels,* Les Franciscains et l'Immaculée Conception, Malines 1904. *C. Mariotti,* L'Immacolata Concezione di Maria ed i Francescani, Quaracchi 1904. *N. Dal-Gal,* L'opera dei Francescani attraverso i secoli per il trionfo dell'Immacolata, Quaracchi 1905.

[3] *Kellner,* Heortologie² 194. Manuale 250.

[4] Manuale 251.

[5] Gub. III 77. *Pastor* III 129.

[6] *Lequile* I 352.

[7] Manuale 258, nota.

[8] W X 61; XII 158. *Marczic* III 185. *M. Brandys,* Der Rosenkranz von den sieben Freuden Mariens, Frauenberg bei Fulda 1906.

[9] *G. Golubovich,* Bibliotheca 146. *C. A. Kneller:* Zeitschr. für kath. Theol. XXVIII (1904) 396. *M. Bihl:* Tübing. theol. Quartalschrift LXXXVIII (1906) 436.

[10] W III 172.

Magni momenti erat influxus ordinis in evolutionem *breviarii Romani,* quod factum hucusque neque satis bene est expositum neque satis iuste diiudicatum [1]. S. Franciscus, qui fundando ordinem omnino alios intendebat fines ac veteres monachorum ordines, qui magis vitae contemplativae erant dediti, discipulos suos a diuturno servitio chori liberatos esse voluit. Quapropter ipsis non officium longum, communiter receptum et pro chorali recitatione dispositum praescripsit celebrandum, sed officium multo brevius capellae Papalis. Mandante Gregorio IX Haymo, minister generalis, adhuc plura mutavit atque abbreviavit et *rubricas missalis* denuo recensuit. Per Nicolaum III ecclesiae urbis Romae ad recitationem huius breviarii Franciscani obligatae sunt, et postquam curia Papalis Avenionem translata est, etiam ecclesiae huius dioeceseos. In decursu saeculi XIV in dies plures amicos invenit, ut circa finem eiusdem saeculi ab omnibus legitimum ecclesiae Latinae breviarium haberetur.

Altera reformatio breviarii magis radicitus perfecta etiam Franciscanum auctorem habuit, scilicet *Franciscum de Angelis* (Quiñones) Cardinalem, qui antea fuerat minister generalis. Hic mandante Pontifice abusus, qui decurrente tempore praesertim in legendas irrepserant, evellere et illas partes, quae magis pro choro quam pro recitatione privata aptae erant, delebat. Psalterium per hebdomadam ita distribuit, ut singulis diebus et horis novi psalmi essent recitandi, totam paene sacram scripturam singulis annis legendam disposuit, versiculos autem, responsoria et antiphonas omnes omisit. Hoc facto assecutus est, ut singulis diebus orationis pensum paene aequale esset, multo brevius tamen quam officium hucusque usitatum, quo praesertim diebus Dominicis sacerdotibus in cura animarum occupatis gratum afferebat levamen. Totalis haec reformatio certe non omnibus numeris erat absoluta et necessario multos inveniebat adversarios. Hi videlicet Francisco Quiñones, qui circumstantiis temporis ex integro mutatis et novis sacerdotum laboribus rationem duxerat, crimini dederunt, quod traditionem reliquisset. Longe tamen maximus sacerdotum numerus, praesertim clerus saecularis, hanc mutationem grate et libenter accepit, quod patet ex eo, quod novum breviarium post primam editionem anno 1535 factam intra 17 menses de novo edi debuit, quodque per 40 annos, quibus in usu erat, versus centies est editum, quamquam pro eius usu specialis licentia erat

---

[1] Cf. *S. Bäumer,* Geschichte des Breviers, Freiburg 1895, 319 349 385 401. *H. Felder:* EF V 490.

necessaria. Demum Pius V illud per breviarium a se ipso approbatum abolevit.

Minor erat influxus ordinis in *missale Romanum*. Rubricas missae a Haymone esse recognitas iam commemoravimus. Praeterea Ioannes a Parma usum corporalis a palla separati praescripsit, et capitulum anni 1354 ordinavit, ut omnes sacerdotes ordinis nomen Pontificis in canone missae commemorarent[1]. Quatenus haec praecepta, quia mox ad universam ecclesiam extensa sunt, verae sint novitates, in medio relinquamus. Denique studia tangamus, quae Ximenes Archiepiscopus Toletanus explicavit, ut *ritum mozarabicum* in Hispania servaret vel iterum introduceret[2].

§ 46. Actio socialis ordinis.

„Actio socialis ordinis Franciscanorum ab origine ordinis ad nostra usque tempora pertingit. Iam ordinis fundatio ipsa factum erat sociale et institutio tertii ordinis opus sociale maximi momenti. Opus Franciscanorum totam populi vitam complectebatur, omnia mutans et innovans. Ordo Minoritarum in sua essentia erat ordo socialis, qui omnibus suis operibus stigma proprii originis impressit. Monasteria temporum priorum solitaria quaesierant loca . . . mendicantes vero urbes elegerunt . . . ubi Franciscani actionem socialem in historia mundi singularem et latissime patentem explicarunt.“ His verbis vir doctus modernus[3] in communi efficaciam ordinis in rebus socialibus describit.

Quaestioni, quibus principiis haec actio innixa sit, adversarius motus Franciscani bene respondet: *Franciscus cupiebat hominem iterum facere centrum actionis socialis,* quam influxui idearum moralium obnoxiam reddere studebat[4]. Profecto, ita erat! Intelligentiam quidem huius rei ab illis tantum exspectare possumus, qui ideis christianis innixi hominem maioris aestimant quam puram machinam laboris, quique propterea coacervationem bonorum oeconomicorum improbant, quatenus solum in detrimentum dignitatis et beatitudinis humanae fieri potest. Verum est effatum ianuas, per quas fortuna ad nos ingreditur, ultro aperiendas esse in nobis ipsis[5]. Prima Franciscanorum cura in actione sua sociali erat harum ianuarum aperitio.

---

[1] ALKG VI 32. BF VI 655. [2] Manuale 258.

[3] *M. Heimbucher,* Die Orden und Kongregationen der kath. Kirche II[2] 472.

[4] *F. Glaser,* Die franziskanische Bewegung 55.

[5] *M. Longuemare:* L'action franciscaine I (1904) 115.

Per exemplum summae continentiae coniunctae cum indelebili laetitia, quae ex vultu eorum resplendebat, demonstrabant possibilem esse beatitudinem sine divitiis, quare viva erant praedicatio contra avaritiam. Pauperem Domini et Apostolorum vitam tamquam verum bonum ita praedicabant, ut paupertas apud plurimos desineret esse contempta multique pauperes sorte sua contenti fierent. Qui autem hominibus in peiore conditione sociali constitutis, qui necessario semper aderunt, continentiam docere novit, ad solutionem quaestionis socialis multo magis contulit quam ille, qui in detrimentum aliorum infinita oeconomica producit bona.

Huc accedit, quod S. Franciscus filiis suis *officium laboris*[1] quam severissime inculcavit, ea tamen conditione, ut spiritum devotionis non exstinguerent. Huius finis adipiscendi gratia Minoritae apud populum auctoritatem suam interposuerunt, docentes eum laborare, ita tamen, ut non ad machinam deformaretur neque meliorem spiritualem vitam amitteret. Quod ut securius assequerentur, favebant in urbibus coniunctioni operariorum in *collegiis,* quae praeter bonum sociale etiam vitam religiosam membrorum promovebant. Nulla societas ecclesiastica ad has institutiones medii aevi tam arctas habuit relationes ac Minoritae[2]. In eisdem ecclesiis, in quibus multi procerum sepeliri cupiebant, hae societates suas congregationes celebrabant. Ita Franciscani quasi vinculum erant, quo diversae classes populi coniungebantur, eoque magis, quod inter eos filii nobilium promiscue cum filiis pauperrimorum vivebant[3], immo fratres ex infima classe orti facile superiores fieri poterant eorum, qui quondam divites fuerant et nobiles.

Hoc ipso Franciscani aptissimos se praebebant ad *componendas lites* inter principes atque populos et inter factiones urbium; validissimi et efficacissimi arbitri innumerarum inimicitiarum erant[4]. Hoc revera proprie conveniebat filiis S. Francisci, qui suis mandaverat, ut ubique annuntiarent pacem dicentes: „Dominus det tibi pacem!“ vel „Pax huic domui!“ Quocumque venirent, ait antiqua legenda[5], imprimis pacem annuntiabant. Non obstante, quod multa facta particularia huius partis actionis Franciscanae nota sint, descriptio universalis adhuc desideratur.

---

[1] *Michel Angè:* EF I (1899) 63 397 640; III 305; IV 39 533.
[2] *Koch* 112. *Heimbucher* 473.
[3] *Schlager* 127. [4] *Koch* 110.
[5] AF IV 495.

Neque Minoritae contenti erant theoretice solum inculcare principia, quae pauperibus pacem cum se ipsis atque divitibus afferre poterant, sed omnes quoque vires intenderunt, *ut conditionem classium in vita sociali inferiorum meliorem redderent.* De beneficiis, quae per manus fratrum pauperibus distributa sunt et adhuc distribuuntur, sileamus; maior hominum pars eorum extensionis est ignarus. Magis notandum est fratres *protexisse oppressos contra suos dominos,* etiamsi reges vel vicarii Imperatoris erant sicut Ezzelinus. Bertholdus a Ratisbona in suis concionibus saepius causam famulorum suscepit postulans, ut domini humane illos tractarent; in quadam urbe praedicare recusavit, quia in ipsa populo tributa iniusta essent imposita[1]. Alii *brephotrophea*[2] et *hospitalia* fundabant et curam eorum gerebant, qui captivi vel ad mortem damnati erant[3]. Neque infelici illo Enzioni, filio Friderici II, qui eos persequebatur, auxilium, quatenus fieri potuit, negabant. Huic enim, cui destinatum erat mori inedia, *Albertinus a Verona* amore Dei cibos afferre volebat. Cumque custodes id fieri recusarent, pactus est cum eis dicens: ludam vobiscum alea, et si vicero, licentiam habebo afferendi cibos. Revera vicit et infelici illo desiderata attulit alimonia simulque suavem consolationem[4]. Similia facta proprie Franciscana non videntur fuisse singularia.

Plura scimus de industria, quam Minoritae explicarunt in *cura leprosorum*[5], qua in re simpliciter exemplum sui sancti fundatoris imitati sunt. Aegrotorum vulnera maxima, qua potuerunt, diligentia curabant et leprosis sancta sacramenta ministrabant — unicus forse labor fratrum, cui alii non invidebant. Cum novam ingrederentur urbem, saepe domus leprosorum prima residentia eorum facta est et non raro contagioni succubuerunt. Quidam Minorita leprosus in Germania ne in hac tristi quidem conditione laetitiam Franciscanam perdidisse, sed optima carmina et poemata, quae mox ab ore omnium resonabant, cecinisse dicitur. Ioannes de Diest, confrater eius, postquam Episcopus Lubecensis (Lübeck) est factus, societatem religiosam feminarum leprosarum instituit, cuius scopus erat alios exhortari ad patientiam et leprosos curare. Etiam ex occasione *morborum perniciálium* medio aevo saepe grassantium Minoritae suum heroismum

---

[1] *Schlager* 119. [2] MF I (1886) 96.

[3] Manuale 236 242. *Eubel,* Der Registerband des Kardinals Bentivenga 3.

[4] *Thode* 401.

[5] *Brewer* Pref. XXI. *Eubel* 28. *Wiesehoff* 12. *Schlager* 131.

demonstrabant[1]. Per saecula vulgo narrabatur, quae *Theodoricus Coelde,* magnus ille populi missionarius, hoc in casu Bruxellis fecerat[2]. Ne confratres suos inficeret, in foro civitatis tabernaculum collocavit, in quo sanctissimum Sacramentum altaris asservabat. Illuc peste laborantes, qui adhuc pedibus uti poterant, membra trahebant, ceteros vero ipse in eorum domibus exquirebat, die ac nocte laborans, usquedum lues esset finita. Tunc celeriter urbem iterum reliquit.

Minoritas magis intra populum laborasse quam in monasterio delituisse[3] patet praesertim ex eo, quod *Montes Pietatis* fundaverunt[4], antecessores mensarum publicarum et institutorum pecuniae credendae nostri temporis. Quod maxime Franciscani thesauros contemnentes fuerint, qui hominibus modicae fortunae, pecunia egentibus, viam salutis monstrabant, optime demonstrat, quam arcte ordo coniunctus sit populo quamque bene intellexerit, quid huic esset necessarium. Ex pecuniae quantitate, quae stipite a divitibus sponte collata constabat, egentes pro pignore et usuris levioribus compensationis impensarum causa exigendis mutuum accipiebant, quo inopia eorum levari poterat. Quicumque tribulationem populi illius temporis, quod graviter a foeneratoribus premebatur, novit, facile comprehendit, quantum sociale beneficium fratres haec agendo hominibus praestiterint. Franciscani quidem hac quoque in re, sicut saepissime in decursu suae historiae, offendebant inveteratam cogitandi rationem, quae immutabilis lex esse volebat. Hoc in casu obstitit prohibitio usurae, quae tunc temporis adhuc valde urgebatur, quamquam mutata conditio socialis eam reddebat impossibilem. Minoritae vero, adversus omnes doctos pure theoreticos, partes populi fideliter retinuerunt per decennia pugnantes, ut eum praedicto iuvarent modo, usquedum denique concilium Lateranense ipsorum sententiae consentiret. Inter multos fratres, qui pro Montibus Pietatis pugnabant, quique maximam ad partem erant Observantes, commemorari praesertim merentur *Barnabas Interamnensis* (Terni)[5], fundator primi Montis (Perusiae anno 1462), et B. *Bernardinus de Feltria* (Feltre), qui maxime omnium pro eorum propagatione laborabat.

---

[1] *Schlager* 134.

[2] *A. G. Demanet,* La peste de Bruxelles en 1489 et le P. Thierry de Munster, Bruxelles 1878.

[3] *Longuemare* 103.

[4] *H. Holzapfel,* Die Anfänge der Montes Pietatis, München 1903.

[5] *Conte P. Manassei:* Bollett. d. R. Dep. di Storia patria VIII (1902), fasc. III, n. 23.

Denique praeterire non possumus nexum inter actionem Franciscanam et *incrementum libertatis civilis,* qui hucusque non satis est descriptus. Respectu Italiae demonstratum habetur principia democratiae ad S. Franciscum pertingere[1]; in Anglia Minoritae primi illa principia clare proposuisse dicuntur, quae postea regimen constitutionale adduxerunt. Certum saltem est Franciscanos fuisse amicos Simonis, comitis de Montfortio (Montfort), et Episcopi Grosseteste, qui haud dubii propugnatores libertatis populi erant[2]. Utrum etiam in Germania similis nexus sit inveniendus, futura pervestigatio docebit.

§ 47. **Ordinis relatio ad clerum parochialem**[3].

S. Franciscus nihil minus cogitavit, quam iura Episcoporum vel parochorum per Apostolicos labores discipulorum suorum violare. „In eorum subsidium vocati sumus“, aiebat, „ut suppleamus in eis, quae ipsi praestare non possunt.“ Scopum nostrum, laborem videlicet in cura animarum, melius in concordia quam in discordia cum clero saeculari attingere possumus. Haec primi fratres semper prae oculis habebant, quare nunquam audimus eos cum Episcopis vel parochis dissensiones habuisse. Quo magis autem ordinis industria, quocumque manabat, efficax erat, quo magis populus fratrum praedicationes audiebat eisque peccata sua confitebatur et ecclesias parochiales relinquebat, eo magis multis in locis, etsi non ubique, oppositio inter clerum parochialem et mendicantes orta est.

Ut de dissidio, quod durante saeculo XIII et in aliquibus locis etiam postea vigebat, iuste iudicemus, relinquamus vitia et excessus, quae ex utraque parte sunt commissa. Quod enim mendicantes interdum in suis concionibus publice vitia clericorum castigabant vel vera eorum iura violabant, minime potest excusari; econtra neque probari potest, quod quidam parochi affirmabant fratribus non licere diebus Dominicis missam in ecclesia conventuali audire, eos in ecclesia parochiali sancta sacramenta recipere debere, immo quod superiores conventuum nominare et capitulis interesse volebant[4]. Neque omnia

---

[1] *Longuemare* 114. [2] *Koch* 112. *Brewer* Pref. LXXXVIII.

[3] *C. Paulus,* Welt- und Ordensklerus beim Ausgang des 13. Jahrhunderts im Kampfe um die Pfarrechte, Essen a. d. R. 1900. *C. Eubel:* Theol.-prakt. Monatsschrift I (1891) 481. *Idem:* Röm. Quartalschrift IX (1895) 395. *H. Finke* ibid. 171. *M. Straganz:* Histor. Jahrb. der Görres-Ges. XXII (1901) 98. *F. Tenckhoff,* Papst Alexander IV., Paderborn 1907, 271.

[4] *Paulus* 7.

declarari possunt vitio capitali invidiae et zelotypiae, quod sine dubio magnum habebat influxum, neque cura proventus materialis, quae sane in multis parochis non erat vituperanda. Ultima ergo ratio inquirenda est in usu cogitandi, tunc temporis late diffuso, scilicet ad curam animarum solummodo clerum parochialem ius habere et vocatum esse, quare cura animarum cuiusque generis ab aliis suscepta violatio iurium parochialium esset. Theoretice et historice loquendo hoc sane falsum erat; labor quippe maximi momenti in cura animarum, introductio religionis in novas terras, extra vinculum parochiale perficitur. Attamen practice, systemate parochiali introducto, omnes huic cogitationi ita assuefacti erant, ut a consueto deflectere violatio iuris haberetur. Simul neglectum est, quod mendicantes a capite ecclesiae missionem ad curam animarum exercendam acceperant, aeque ac clerus parochialis ab Episcopo. Solum ergo inquirendum est, utrum haec Pontificis ratio agendi necessaria vel saltem ecclesiae utilis fuerit et quousque ipse salvo iure Episcoporum et parochorum procedere potuerit. Historia huius controversiae, quam summatim tantummodo describere possumus, utramque quaestionem decidet.

Cum constitutione monarchica ordinis necessario eiusdem *exemptio* a iurisdictione Episcoporum, quatenus agebatur de relationibus iuridicis fratrum inter se, coniuncta erat. Ad haec Papa mox superioribus ius curae animarum quoad suos subditos concessit et ius infligendi censuras atque celebrandi independenter officium divinum in propriis ecclesiis[1]. Haec omnia non erant nova; ordines enim veteres iam dudum tali exempti onegaudebant. Papa tamen his contentus esse non poterat, nisi adiumentum mendicantium resignare volebat. Quapropter eis facultatem dedit, qua cum consensu Episcopi praedicare et sacramentum poenitentiae administrare possent. Pontificem haec facere potuisse nemo est, qui neget, eum vero ita agere debuisse, cuicumque patebit, qui conditionem ecclesiae durante saeculo XIII novit. Omnes historiae periti consentiunt mendicantes fuisse, qui ecclesiae multitudinem populi iterum reducebant vel servabant. Hoc non solum Sedes Apostolica, sed etiam multi Episcopi eique salutis animarum studiosissimi cognoverunt, quare mendicantes tamquam aptissimos auxiliares libenter suscipiebant. Synodus Trevirensis anno 1227 coacta parochis obligationem docendi populum inculcat, vetat tamen, ne „illitterati et inexperti“ officium praedicationis

[1] *Müller* 105.

susciperent, qui Dominicanos et Franciscanos tamquam praedicatores adhibere deberent [1]. Similia decreta sunt etiam in aliis locis [2]. Multi Episcopi officium *conservatoris Apostolici* [3] accipiebant, quocum coniunctum erat debitum tutandi mendicantes adversus impugnationem suorum iurium. Tales conservatores adhuc saeculo XVII invenimus [4].

Viceversa iam primis temporibus erant alii, qui, quacumque de causa, mendicantibus obsistebant, quae vivo adhuc S. Francisco acciderunt. Quapropter iam anno 1219 Papa ad Episcopos et ecclesiarum rectores scripsit: „Cum dilecti filii Frater Franciscus et Socii eius de vita et religione Minorum fratrum abiectis vanitatibus huius mundi elegerint vitae viam a Romana Ecclesia merito approbatam ac *serendo semina verbi Dei Apostolorum exemplo* diversas circumeant mansiones, Universitatem vestram rogamus, ... quatenus ... ipsos recipiatis sicut catholicos et fideles." [5] Annis sequentibus accipiebant ius utendi altari portatili, ius celebrandi officium divinum in suis ecclesiis tempore interdicti, idque ianuis clausis, et ius habendi proprium locum sepulturae pro fratribus. Simul Pontifices vetare debebant, ne praelati fratres eorumque hospites excommunicarent neve eos impedirent in usu suorum privilegiorum, praesertim in exsecutione officii praedicationis, salvis tamen iuribus et beneficiis parochorum [6]. Nihilominus valde crevit resistentia multorum parochorum, qui repetierunt, quae observationem iurium propriorum longe excedebant. Contra hos Gregorius IX acriter invectus est edendo plura edicta anno 1231 [7], quae omnia incipiunt a verbis: „Nimis iniqua vicissitudine largitori omnium respondetur, dum ii, qui de Christi Patrimonio impinguati luxuriant damnabiliter, in eodem Christum in famulis suis patenter persequi non verentur."

Annis sequentibus edicta hucusque edita denuo inculcata sunt [8]. Episcopi et parochi admoniti sunt, ut fratres ad praedicandum et ad audiendas confessiones admitterent [9]; mendicantes vero, ne fideles a dandis decimis ecclesiasticis arcerent, sed ut eos potius in suis concionibus ad hoc officium implendum inducerent [10]. Anno 1250 Papa expressis verbis concedit, ut Minoritae fideles, qui id desiderarent, in suis ecclesiis sepelire possent [11]. Quamquam fidelibus

---

[1] Realenzyklopädie für prot. Theologie XV [3] 648.
[2] Cf. *G. Coulton,* From S. Francis to Dante, London 1906, 273 353.
[3] Gub. I 519. *S. Bonaventura,* Opera omnia VIII 366.
[4] BD V 420. [5] BF I 2.
[6] Ibid. 9 20 22 28 31 41 58. [7] Ibid. 74.
[8] Ibid. 368 372 388 609 620. [9] Ibid. 215.
[10] Ibid. 289 533 653. [11] Ibid. 537.

ius eligendi propriam sepulturam negari non potest[1], tamen hac libertate supposita proventus parochorum facile diminuebantur, quare eorum resistentia hac in re comprehendi et excusari potest. Ceterum Minoritae minime insistebant huic iuri, immo ipsi decreverunt, ut petentium desideria denegarentur, ubicumque sine offensione fieri posset. Privilegium quoque sibi procurarunt, quod nemo in ecclesiis ordinis contra voluntatem fratrum sepeliri posset[2].

Cetera vero iura, praesertim quoad praedicationem et confessionem, retinuerunt, acriter a S. Bonaventura, ministro generali[3], contra omnes incursiones defensi. Ipse in suo libello „Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant" id iure a Minoritis fieri demonstrat, quippe qui a Pontifice approbati sint aeque ac quilibet parochus. Papam ad hoc inductum esse a necessitate temporis, nam „raros esse pastores in ecclesiis, sed per leves vicarios animarum curam venalem exponi". Multis, qui peccata sua minime parochis confiteri vellent, auxilium esse ferendum; propter decretum canonicum animas non esse perdendas, quia omnis potestas ecclesiastica ad aedificationem, non vero ad destructionem fidelium esset data. Omnibus sanctis sacerdotibus, ait in alio loco[4], semper consolationi erat videre, quod animarum salus promovebatur.

Attamen vox rationis inaudita evanescit, ubicumque magis considerantur bona materialia vel passiones. Controversia permanebat, postquam revocatio privilegiorum per Innocentium IV anno 1254 facta iam paucis hebdomadibus post sublata est[5]. Augebatur per rationem agendi Alexandri IV et successorum eius, qui mendicantium erant amici, praesertim vero per bullam Martini IV „Ad fructus uberes", quae edita est anno 1281[6]. Mendicantes per eam nova iura essentialia non accipiebant, immo Pontifex decretum ultimi concilii repetebat, quod omnes fideles semel saltem in anno parocho ordinario confiteri deberent. Hac tamen occasione controversia iam dudum agitata recruduit, utrum videlicet in confessione coram parocho facienda solummodo peccata post ultimam confessionem commissa enumeranda essent, an omnia peccata totius anni, etiamsi a confessario mendicantium iam essent remissa. Quod multi parochi

[1] *R. Scherer,* Handbuch des Kirchenrechts II 612. *S. Bonav.,* Opera omnia VIII 366.

[2] ALKG VI 36 96. BF III 23.

[3] Opera omnia VIII 355—365 372 378 429.

[4] Ibid. 318.

[5] W III 324. BF II 3 210 298 347.

[6] BF III 480.

alteram quaestionis partem affirmabant, non parum confert ad aequum iudicium de hac actione eiusque causis. Quamquam uterque magnus ordo mendicantium sua membra admoneret, ut suis privilegiis cum modo uterentur, praesertim quando ageretur de reservationibus Episcopalibus[1], tamen controversia in dies acrius exarsit, praesertim in Gallia, ubi lites in universitate Parisiensi animos turbaverant et *Guilelmus Ambiacensis* (Amiens), Episcopus, advocatum cleri parochialis se fecerat. Hoc instante Nicolaus III anno 1290 quosdam Cardinales, in quibus erat Caetani, qui postea factus est Bonifatius VIII, Parisios misit, ubi eodem anno synodum celebrabant. Vehementi accusatione a Guilelmo Ambiacensi prolata iuvenis Episcopus surgens contra eum protestatus est: „Esto quod privilegio papali fratres non gaudeant adhuc etiam, si eos prohiberem et eis vices nostras non committerem, iudicarem me mortalissime peccare, quia hoc eorum vita declarat et doctrina sana. Et quia omnes parum reputamus salutem animarum, dignum est, ut pressuram sustineamus ecclesiarum.“ [2] Ex his saltem patet etiam inter Episcopos Gallos promptos fuisse mendicantium amicos. Denique Caetani Cardinalis surrexit, ut defenderet rationem agendi Sedis Romanae: „Quia nobis commissus est mundus, cogitare debemus, non quid expediat vobis clericis pro vestro libitu, sed quid expediat universo orbi . . . non enim vocati sumus propter scire vel gloriose apparere, sed propter nostras salvare animas.“ Ergo hi duo praelati ex clero saeculari absolute cum Apostolica Sede in iudicio essentiali de hac controversia consentiunt.

Postquam Caetani Pontifex est factus, occasionem accepit decidendi controversiam auctoritate Apostolica, quod anno 1300 fecit per bullam „Super cathedram“ [3], in qua haec fere definiuntur: Mendicantes in suis ecclesiis et in locis publicis libere posse praedicare, excepto tempore, quo ipse praelatus loci praedicet; in ecclesiis parochialibus eos licentia parochi indigere. A superioribus ordinis fratres habiles tamquam confessarios Episcopis esse praesentandos, qui eosdem approbare debeant. A casibus autem reservatis eos solum cum delegatione Episcoporum absolvere posse. Libertatem eligendi sepulturam imposterum quoque fidelibus integram manere; ne autem proventus cleri parochialis per hoc nimis diminuantur, mendicantes ei „quartam funerum“ tradere debere, quotiescum-

---

[1] *Paulus* 33 [2] *Finke* 179.
[3] BF IV 498.

que aliquis apud eos sepeliri velit. His Papa iuribus Episcoporum et parochorum satisfecerat, quin mendicantium industriam impediret.

Postquam Benedictus XI bullam sui praedecessoris abolevit, quod non in augmentum pacis cessit, anno 1312 a Clemente V renovata est[1], ex quo tempore, brevibus intermissionibus exceptis[2], ultra 150 annos norma erat, quam uterque pars sequi debebat et poterat, quin bono proprio praeiudicaret. Quodsi non obstante hac re adhuc saepius contentiones ortae sunt, abhinc eo causatae erant, quod una vel altera pars legem non observabat. Maioris momenti erant controversiae, quae coniunguntur cum nominibus *Ioannis a Polliaco,* magistri theologiae, anno 1321[3]; *Richardi Episcopi de Armagh* circa annum 1350[4]; *Humberti Episcopi Basileensis* (Basel) circa annum 1406[5]; *magistri Ioannis Wichet* in Anglia circa annum 1409[6] et *Philippi Norweys,* qui ipse fuit magister in Anglia, circa annum 1440[7]. In his et similibus contentionibus[8] partes semper ad bullam „Super cathedram" redierunt, quia postulationibus utriusque satisfacere poterat. Igitur Sixtus IV mendicantibus malum praestitit servitium, cum eis iterum maiores concederet facultates, quo facto clero parochiali ansam iustarum querelarum praebebat[9]. Concilium Lateranense anni 1516 rem bene componere et transigere studebat, recommendans simul utrique parti obviam voluntatem; sed iam anno 1517 Leo X hoc decretum iterum modificavit in detrimentum cleri parochialis[10]. Demum concilium Tridentinum stabilem effecit ordinationem, iura parochorum accurate circumscribens et Episcopis illimitatum ius inspectionis in curam animarum suae dioeceseos demandans. Solummodo cum eorum delegatione religiosi curam animarum exercere possunt.

Etsi ordines per hoc decretum multa amiserunt iura, tamen eis efficacitas in cura animarum statui suo conveniens servabatur. Inde controversiae theoreticae desinunt et ubique clerus parochialis in concordia cum clero regulari bonum populi procurare potest, nisi passiones humanae relationem perturbent.

---

[1] BF V 2 87. [2] BF VII 127; cf. et notam pag. 165.
[3] BF V 208.
[4] W VIII 126. EF XIV (1905) 418.
[5] BF VII 186. [6] Ibid. 420 431.
[7] W XI 104; XII 108.
[8] AF II 350. [9] W XIII 479; XIV 98 441.
[10] W XVI 1 495.

B. Ordinis missiones inter acatholicos.

§ 48. Notae generales.

„Mare magnum iam aggredior, tractatum de gloriosis et tantis fratrum Minorum per orbem universum laboribus, agonibus et necibus in obsequium Christi et eius Ecclesiae pro fidei catholicae defensione atque propagatione toleratis"; haec Gubernatis in principio suae historiae missionum ordinis, quam, proh dolor! non potuit perficere. Revera hoc capitulum inter gloriosissima totius historiae ordinis numerabitur, cum primum historiae perito, subministratis necessariis laboribus praeparatoriis, licuerit rem, sicut eius gravitas exigit, describere. Usque ad illud tempus quaedam valde insufficientes et hinc inde dissipatae notae vicem partis neglectae supplere debent.

Officium missionum suscipiendarum includitur, ut ita dicam, in conceptu ordinis Minorum, scilicet in scopo, quem ei fundator ipse praefixit, exsequendi vitam Apostolicam in verbo factoque. S. Franciscus etiam hac in re, aeque ac in ceteris, bono praeluxit exemplo. Saepius iter in longinquas terras suscepit, sed semel tantum ei contigit, ut exoptatam attingere metam et in Aegypto coram soldano praedicare posset. Quamquam igitur ipse optatum non habuit succesum, tamen impulsum dedit laboribus in missionibus per totum orbem dispersis. Suae regulae proprium inseruit capitulum „De euntibus inter Saracenos et alios infideles", in quo postulat, ut is, qui se ad missiones vocatum sentiat, licentiam a ministris obtinere studeat. Desiderio eorum satisfacere ministrorum est, qui tamen nemini eundi licentiam tribuant, nisi quem viderint esse idoneum. Hoc praeceptum fundamento minime carebat; nihilominus iam durante saeculo XIII saepius repeti debebat, quia quidam ministri non meliores, sed plane inhabiles fratres mittebant, quo facto pro eo, ut missiones, sicut eorum officium postulabat, adiuvarent, eis damnum afferebant [1].

Exceptis his vitiis erroribusque sparsis Franciscani in missionibus maximo cum heroismo laborabant et cum successu, qui iuxta temporum conditionem maior non poterat exoptari. Ipsi profecti sunt sicut agni inter lupos sine protectione consulari et sine studiis politicis, solo desiderio flagrantes lucrandi animas infidelium pro religione christiana. Integritas et paupertas eorum multis efficacior erat sermo ac verba ipsorum. Igitur in decursu saeculi XIII missionarios

---

[1] ALKG III 128; VI 70. Gub. III 21 75.

ordinis in omnibus paene ditionibus totius orbis tunc noti invenimus, quod patet ex quodam decreto Pontificis[1]: „In terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sichorum, Rutenorum, Iacobinorum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Meclitorum aliarumque non credentium nationum Orientis et Aquilonis." Saeculo XV ordo missiones habebat a Lapponia usque ad flumen Kongo et ab Azoribus usque ad imperium Sinense.

Iterum zelus missionum revixit per Observantes, qui „tantam fortitudinem tantamque patientiam monstrabant, quanta in clero saeculari, immo etiam in ceteris ordinibus penitus disparuerat (?). In Bosna, Dalmatia, Croatia, Moldavia et Wallachia et in ceteris ditionibus, quae Muhametanismo vel iam sacratae erant vel sine ulla spe sacrandae, hi Observantes minutatim, saepe cum gladio in manibus, christianismum defendebant. Ierosolymis, apud sepulchrum Domini, in Bethlehem et alibi in Terra Sancta, in insulis Rhodo et Creta domos habebant; porro etiam in insulis Minorica et Iviza, unde expeditionibus terrarum detegendarum causa susceptis sequebantur ad insulas Canarias et ad Guineam." [2] Facile haec intelligere possumus, si fervida S. Capistrani verba legimus, quae ad suos faciebat, ut eos ad missiones et ad martyrium inflammaret[3]. Verum missionarium in terras infidelium profectum promptum esse debere ad perferendas pro Christo omnes contumelias, immo et mortem ipsam. Multi Minoritae facto demonstrarunt se ita cogitasse. Adhuc multum quidem abest, ut accuratam possideamus statisticam martyrum ordinis; scimus tamen eorum numerum plura attingere milia[4].

Simul cum Minoritis paene ubique Dominicani laborabant, quorum industriam in sequentibus eam solummodo ob causam omittimus, quia eiusdem descriptio extra terminos nostri operis vagatur. Ex membris utriusque ordinis propria congregatio missionariorum est orta, *societas* videlicet *peregrinantium propter Christum*[5], cuius statuta

---

[1] W VI 97. [2] *Pastor* II² 186.

[3] Gub. III 104.

[4] Menologium 106. *Kerval* 190. Cf. *Arturus a Monasterio*, Martyrologium Franciscanum, Paris. 1638; Sbar. SS. 695; *A. Witte*, S. P. Francisci amplissima et sanctissima genealogia, Bruxellis 1627; *Sigismondo da Venezia*, Biografia serafica, Venezia 1846; *B. Mazzara*, Leggendario francescano, 12 voll., Venezia 1721; Le Palmier Séraphique, 12 voll., Bar-le-Duc 1872; L'Auréole séraphique, 4 voll., Paris 1882, multaque opera similia ad usum populi conscripta.

[5] Gub. V 22. *Panfilo* II 489. *Miltenberger:* Röm. Quartalschrift VIII (1894) 275.

anno 1252 ab Innocentio IV sunt approbata. Praecipuum sui laboris campum in orientali plaga Europae habebat, ubi fundationi multorum Episcopatuum novorum viam aperuit. Membra huius societatis propriis suberant Archiepiscopis et Episcopis, qui extraordinariis gaudebant facultatibus, quapropter interdum cum Episcopis Russiae et Hungariae dissensiones habebant. Postquam societas durante saeculo XIV sensim sine sensu exspiravit, Bonifatius IX anno 1399 eam denuo excitavit, sed tantum ad breve tempus. Progressus enim Turcarum labores Apostolicos in dies difficiliores reddebant; denique Constantinopoli expugnata congregatio ipsa dissoluta est.

Sicut labores et sudores huic operi impensi iniuria temporum iterum perierunt, ita quoque saepius in decursu historiae missionum factum est. Immerito tamen interdum merita missionariorum negliguntur, quia, cum terra conversa postea iterum ab ecclesia deficeret, successum *stabilem* non habebant. Tale iudicium etiam operam Apostolorum parvi penderet, e. g. missiones S. Pauli, quia ecclesiae ab eo fundatae paene omnes Muhametanismo vel schismati cesserunt. Igitur historiae peritus asperos labores horum missionariorum heroismo insignium eadem pietate celebrabit, utrum stabiles produxerint fructus an per posteriores casus iterum ad nihilum sint redacti.

§ 49. Missiones Europaeae[1].

In Europa plurimae missiones ordinis dispersae erant super *paeninsulam Balcani.* Quod ibidem successus comparari non potest magnis laboribus, qui huic missioni sunt impensi, neque copiae sanguinis martyrum, qui ibidem profusus est, tribui debet conditioni politicae et religiosae Balcani, quae hanc terram ne adhuc quidem reconvalescere permisit.

Minoritae primum in *Albania* et *Montenigro* laborasse videntur[2]; inveniuntur saltem ibi iam anno 1240. Saeculo XIII et XIV plures Episcopi Antibarenses (Antivari) ex ordine Minorum commemorantur[3] et adhuc medio saeculo XV *Eugenius Somma* a Nicolao V laudatur propter sua impigra studia[4]. Turcae supervenientes terram a magnanimo Skanderbeg frustra defensam vastaverunt et omnia docu-

---

[1] Gub. V 61. *Panfilo* II 472. *Marcell.* II—VI passim. *B. van Loo,* Brevis conspectus praecipuarum missionum Ord. S. Francisci, Lovanii 1863, 74. *Henrion,* Allgemeine Geschichte der kath. Missionen. Aus dem Französischen übersetzt. 3 voll., Schaffhausen 1847—1850, I 497.

[2] Acta XXV 47 53. [3] BF V 609 615. [4] Gub. V 182.

menta deleverunt, ex quibus plura comperiri potuimus. Fratres, qui se salvare potuerunt, in montes se receperunt, unde curam paucorum catholicorum, quatenus fieri potuit, susceperunt.

Plura scimus de missione in *Bosna*[1]. Sub Nicolao IV primum Minoritae hanc terram ingressi sunt, fratres ex provincia Dalmatiae, quia Stephanus rex missionarios postulaverat, qui linguam vernaculam suae ditionis callerent. Rex quidem ipse baptizatus est, attamen eius bona voluntas non diu duravit, quare Bosna mox iterum facta est locus, in quo sectae Manichaeorum conveniebant. Franciscani duce *fratre Fabiano* laborem continuaverunt, usquedum e finibus expellerentur eorumque ecclesiae delerentur. Ast anno 1340 Geraldus, minister generalis, cum quibusdam fratribus, protegente rege Hungariae, hanc terram iterum intravit et per praedicationem suam magnam nobilium partem fidei subdidit. Fundavit quoque aliquos conventus misitque novos adiutores, in quibus erant: *Ioannes ab Aragonia,* qui agilitate sua in disputationibus cum Manichaeis praestitit, et *Peregrinus a Saxonia,* qui primus vicarius provincialis et Episcopus Bosnae fuit. Quamquam fratres ibidem degentes vix habebant, unde viverent, tamen Gregorius XI anno 1372 instititit, ut ordo novos missionarios illo mitteret. Ut hoc facilius assequeretur, fratribus permisit, ut sine licentia superiorum Bosnam proficisci possent, expressis verbis eos a contrario praecepto regulae dispensans[2]. Versus finem huius saeculi labores eorum magis profecisse videntur; Papa saltem anno 1402 testatur eos ultra 50 000 infidelium convertisse[3]. Numerus residentiarum semper creverat, quo facto firmum fundamentum aderat pro missionibus, quas saeculo XV Observantes maximo cum zelo susceperant. Eugenius IV pulchre testatur eos „se murum facientes pro domo Domini et orthodoxae propagatione fidei“[4] inimicis firmiter obstitisse. Maximo cum successu ibidem contra Manichaeos laborabant *S. Iacobus de Marchia, S. Capistranus* et *Fabianus a Bachia.* Cum Episcopus Bosnae anno 1451 peteret, ut iterum fratres sibi mitterentur, rationem reddidit his verbis: „Valde notandum, quod in locis occupatis per haereticos statim, ut fratres sunt, evanescunt haeretici sicut cera a facie ignis.“[5] Sed iam anno 1463 Turcae hanc terram expugnarunt et horribili modo vastarunt, qua occasione etiam multi fratres occisi sunt. Demum cum fortis

[1] Gub. V 141. *Van Loo* 99. *Marcell.* III 555.
[2] BF VI 433 478. [3] *Marcell.* IV 447. [4] W XI 205.
[5] Gub. V 176.

Franciscanus *Angelus Zvjedzdovič*[1] anno 1464 a Mahumete II edictum tolerantiae pro catholicis procurasset, reliqui fratres, ingentibus sane cum laboribus et sub continuis tribulationibus modicam curam animarum exercere poterant tamquam unici sacerdotes, qui ibidem degebant. Quapropter chronista merito tradit: „Continuo vivunt in martyrio.“ [2]

Historia missionis in *Serbia*[3], cuius pars meridionalis antiquitus *Rascia* vocabatur, multis in rebus similis est historiae, quam modo texuimus. Auctore regina-matre Helena, quae erat catholica, Nicolaus IV anno 1288 missionarios ex ordine Minorum misit, quorum numerus anno 1307 instante rege est auctus. Dubitatione tamen regis et insidiis schismaticorum Graecorum successus eorum iterum ad nihilum sunt redacti. Postea, anno 1354, Papa iterum Franciscanos duce fratre *Bartholomaeo,* Episcopo Tragoritano (Tragori, Traù in Dalmatia), in Serbiam misit. Cum vero Bajazet I anno 1389 Serbos fugasset, triste tempus pro missionibus venit. Demum Turcis anno 1402 a Tamerlan victis Minoritae iterum ecclesias et conventus aedificare poterant. Immo in concilio Florentino contigit, ut unio Serborum cum ecclesia Romana perficeretur, quae tamen externa solummodo erat, producta timore Turcarum. Qui cum iterum maiores progressus facerent, simul inimicitiae cleri schismatici creverunt, quare Minoritae, crudelem patientes persecutionem, terram relinquere cogitabant. Vix audierat haec *Marcus Bononiensis,* vicarius generalis, cum ad eos scripsit: „Quid est, quod vos martyrii palmam parvi pendere suadet? Quomodo pertinet hoc ad christianos?“ [4] Immo affirmat contumeliam pro toto ordine fore, si timore mortis perculsi provinciam sibi creditam relinquerent. Igitur ipsi remanserunt et Turcis anno 1456 victis conditionem paulo meliorem acceperunt. Turcae vero iterum convaluerunt et anno 1502 Serbiam penitus subiugarunt, quo ex tempore rursus longa passionum epocha pro missionariis coepit.

Bulgariam[5], quae cum imperatore Graecorum contra Latinos pactum inierat, Pontifex in concilio Lugdunensi cum ecclesia unire desiderabat. Quapropter Innocentius IV ad principem huius ditionis Minoritas tamquam legatos misit, „quia utiliores tibi eos fore cre-

---

[1] Zeitschrift für Theologie XIX (1895) 374. *Greiderer* I 215.

[2] Gub. V 180. *St. Bralič,* Monografia storica sulle crudeltà musulmane in Bosnia-Erzegovina, Roma 1898.

[3] Gub. V 138 161. *Marcell.* III 569; IV 438; V 205.

[4] Gub. V 185. [5] Ibid. 105. *Van Loo* 94. *Marcell.* V 234.

dimus, tamquam nostri Salvatoris humilitatem sequentes". Eventum huius missionis ignoramus. Postea Nicolaus IV conatus est adducere eorum unionem, quin tamen scopum suum attingeret. Bulgari enim ecclesiae inimici manebant, immo anno 1314 Franciscanum *Angelum a Spoleto,* qui unionem cum Pontifice praedicabat, interfecerunt. Demum, Bulgaria anno 1366 regi Hungariae subacta, res ad meliorem statum adductae sunt; nam multi Minoritae, praesertim ex Bosna, hoc facto Bulgariam ingressi sunt, qui ab externis perturbationibus liberi catholicam fidem disseminare poterant et intra paucos menses 200 000 infideles baptizasse dicuntur [1]. Operarii autem evangelici non sufficiebant, quare rex in litteris ad ministrum generalem datis vel 2000 novorum missionariorum petebat. Minister generalis huic desiderio annuens permisit, ut maior fratrum numerus in Bulgariam proficisceretur, qui ibidem tanto cum successu laborabant, ut mox de fundatione parochiarum cogitari posset. Missionarii ipsi Pontificem adierunt, ut clericos saeculares mitteret, qui ordinariam curam animarum susciperent, ut ipsi in conversione infidelium alibi laborare possent. Paucis decenniis post florida haec missio eversa est, cum Bajazet I anno 1393 Bulgariam sibi subiugasset, quo tempore etiam quinque Franciscani martyrium passi sunt, magis culpa schismaticorum quam Turcarum.

Neque notabiliter melior erat conditio in ditionibus septentrionalibus *Walachiae, Moldaviae, Podoliae* et in litore septentrionali Ponti Euxini apud Cumanas [2]. Iam *Ioannes de Plano Carpinis* mandante Pontifice „Ruthenos seu Russos" schismaticos ad unionem invitavit, quin tamen successum habuisse videatur, exceptis ditionibus circa Kiew, ubi anno 1247 aliqui principes et Episcopi unioni consenserunt [3]. Anno 1359 in *Russia Nigra* Franciscanum *Thomam Nimperquey* Episcopum invenimus, et circa annum 1370 *Nicolaus Melsat* a Crosna cum 25 fratribus ibidem laboravit in exstirpandis abusibus paganis et in conversione infidelium, quorum tunc temporis ibi adhuc multi exsistebant. Hi missionarii etiam 30 novos fratres in adiumentum advocare poterant sine licentia superiorum. Attamen aliqui clerici saeculares, in quibus Episcopus Leopolitanus et quidam sacerdos nomine Ioannes, fratribus semper difficultates parabant et unionem cum ecclesia Romana impediverunt [4].

---

[1] W VIII 196. AF III 561. [2] *Marcell.* III 573. Gub. V 121.
[3] Gub. V 113. *Marcell.* VI 186.
[4] BF VI 463. Cf. *Marcell.* V 349.

In *Moldavia* anno 1371 Laczko dux cum suis subditis baptismum suscepit [1]. Paucis annis post missionarii in *Walachia* proprium Episcopum acceperunt *Antonium a Spalato*, Minoritam, qui paganis convertendis multam operam impendit. Semper tamen impedimenta magna erant et multa sacrificia postulabant. Saeculo XV per operam *Iacobi de Marchia* et *Fabiani a Bachia* [2] christiana religio maiores fecisse videtur progressus, qui tamen magnam ad partem iterum ad nihilum redacti sunt, cum anno 1460 hae ditiones imperio Turcarum subactae sunt. Uno anno 1476 a Mahumetanis 40000 christiani captivi sunt abducti [3].

Iam magna saeculi XIV pars transierat, cum *Lithuania* [4] religionem christianam susciperet. Minoritae circa medium saeculi XIII ibi crucem praedicantes contendere debebant contra ordinem Teutonicum in Prussia, qui causis politicis permotus etiam Lithuanos conversos oppugnabat. Ceterum conditio Franciscanorum etiam aliis de causis difficilis erat; adhuc anno 1325 prope Wilnam 36 Franciscani a paganis interfecti sunt [5]. Denique rerum conditio melior effecta est, cum anno 1386 Iagello princeps sub nomine Ladislai baptismum susciperet, quo facto conversionem suae gentis omni modo promovebat. *Andreas Vazilo,* Minorita, primus Episcopus huius ditionis consecratus est [6]. In principio saeculi XV ibidem magno cum successu laborabat *Ioannes,* vocatus *Parvus* [7], Franciscanus Polonus, et versus finem eiusdem saeculi beatus *Ladislaus* a Gielniow tamquam magnus Massoviae missionarius celebratur [8].

In *Prussia, Livonia* et *Curia* [9] Minoritae mandante Alexandro IV evangelium praedicabant et residentias fundabant, quamquam persecutiones ex parte gentilium non intermittebant et plures fratres martyrio affecti sunt. Anno 1261 Franciscanum *Albertum* Episcopum de Marienwerder et fundatorem urbis Riesenburg invenimus [10]. Etiam hisce in regionibus ordo Teutonicus Minoritis difficultates parabat, immo eorum ecclesias et domos delebat, quare Papa saepius intercedere debebat [11]. Adhuc anno 1318 Archiepiscopus de Riga, qui ipse Franciscanus erat, hac de re conquestus est. Ex initio saeculi XV status harum regionum melius est constitutus, quo facto Minoritae

---

[1] *Marcell.* VI 423. [2] Gub. V 234. [3] *Marcell.* V 234.

[4] Gub. V 119. *Marcell.* VI 420. *A. Theiner*, Vetera documenta Poloniae et Lithuaniae gentiumque finitimarum, Romae 1860—1862.

[5] W VII 49. [6] W IX 71.

[7] *Van Loo* 106. *Marcell.* IV 451. [8] *Marcell.* V 349.

[9] Gub. V 125. [10] BF V 610. [11] Ibid. 70 143.

propriam custodiam cum quattuor conventibus erigere poterant, quae vero iam centum annis post per reformationem ecclesiasticam diruta est.

Eidem fato cessit missio in *Lapponia,* quam Franciscani a Suecia et Norwegia proficiscentes versus finem saeculi XV coeperant[1].

Ceterae ditiones Europae saeculo XIII iam dudum ad ecclesiam catholicam pertinebant excepta *Hispania meridionali,* quam Mahumetani occupabant, et parte *Corsicae,* ubi sectae cum doctrinis ad partem paganis delitescebant et mores efferati vitam christianam offuscabant[2]. Postquam Ioannes Parens generalatu abdicato ibidem laboravit, ut res ad meliorem reduceret frugem, saeculo XIV iterum Minoritae duce *Mundino Bononiensi* illo perrexerunt, ut contra haeresim et mores perditos late grassantes pugnarent. Saeculo XV Observantes, praesertim *Antonius a Stronconio,* ibidem eundem scopum attingere studuerunt.

In regno *Valenciae,* quod usque ad annum 1283 sub potestate Maurorum erat, anno 1231 *Ioannes Perusinus* et *Petrus a Saxoferrato* evangelium praedicare conati sunt, qui vero mox martyrio sunt affecti[3].

In ditione *Granatensi*[4] iam Berardus eiusque socii praedicaverant, et anno 1397 libera Christi confessio fratribus *Ioanni a Cetina* et *Petro a Dueñas* coronam martyrii comparavit. Demum cum anno 1492 Granata a christianis iterum recuperata esset, de efficaci missione in his regionibus cogitari poterat. Hac in re Ximenes certe multum boni praestitit, eius tamen modus agendi non absolute probari potest; eo enim factum est, ut multi conversionem simularent, qui postea inquisitioni adhuc diu erant molesti.

§ 50. Missiones Africanae[5].

Iam saeculo XIII missionarii Franciscani secundum totum litus septentrionale Africae a Marochio usque ad Aegyptum inveniuntur. In *Marochium*[6] Franciscus ipse traicere intenderat, postea vero fratrem Vitalem cum quinque sociis illo destinavit. Quia vero Vitalis morbo praeventus remanere debebat, *Berardus* sociis suis praeesse coepit ad martyrium, quod eis die 16 Ianuarii anni 1220 obtigit[7]

---

[1] *Marcell.* V 368. [2] AF IV 558. Gub. V 178. *V. Haute* 171.
[3] AF III 186. [4] Gub. V 89.
[5] Ibid. 528. *Marcell.* I—VII passim. *Van Loo* 38. *Panfilo* II 454.
[6] *M. Çastellanos,* Apostolado seráfico en Marruecos, Madrid-Santiago 1896.
[7] AF III 579.

tamquam protomartyribus ordinis. His paulo post clarus ille frater *Electus* cum suis sociis [1] in certamine fidei secutus est et die 10 Octobris anni 1227 *Daniel* cum sex fratribus, postquam Ceutae fidem christianam praedicaverunt [2]. Annis sequentibus fratres quosdam conventus ibidem erigere poterant, et Episcopus ex eorum gremio desumi consuevit. Non obstante, quod regia fruerentur protectione, iterum atque iterum vis eis est illata. Multum sanguinis ibidem pro fide est profusum, et admirabilis heroismus necessarius erat, ut missionarii per saecula saltem christianorum in fide confirmandorum causa perseverarent.

In *Tunetum* [3] itidem iam S. Franciscus missionarios quodam fratre *Aegidio* duce miserat, qui tamen per breve solum tempus ibi praedicare poterant [4]. Mox novi fratres illo perrexerunt, qui ex anno 1270 evangelium libere praedicare poterant, quin tamen propter indifferentismum Mahumetanorum notabiles conversiones producerent. In Tuneto et *Algerio* versus initium saeculi XIV etiam beatus *Raymundus Lullus* [5], Tertiarius, praedicavit, usquedum anno 1315 lapidaretur et vulneribus acceptis succumberet. Iam paucis decenniis ante fundationem collegii Minoritarum, in quo fratres linguam Arabicam discere poterant, in Maiorica insula perfecerat et simul postulaverat, ut in omnibus maioribus Europae civitatibus cathedrae pro linguis orientalibus erigerentur, ut quam perfectissimi missionarii pro Mahumetanis educarentur.

Oranum in principio saeculi XVI a Ximene expugnatum [6] Franciscani statim ingressi sunt, ut christianis ibi degentibus, quorum multi in servitute vivebant, auxilium spirituale ferrent [7].

In *Lybia Conradus Milianus Asculanus* († 1289) per ultima saeculi XIII decennia extraordinario cum successu praedicavit. Ultra 6000 infidelium convertisse traditur [8].

Stabiliores erant missiones Franciscanorum in *Aegypto* [9]. Saraceni quidem et schismatici ibi operam fratrum semper difficilem reddebant, attamen Minoritae in Terra Sancta degentes Aegyptum relinquere nolebant, quia maximi erat momenti pro coniunctione cum Occidente. Decurrentibus omnibus saeculis ordo ibidem multos accipiebat mar-

---

[1] Ibid. 224. *Castellanos* 122. [2] AF III 613.

[3] Gub. V 551. [4] AF IV 499.

[5] Gub. V 93. *Golubovich* 361.

[6] *[Aranda] Petrus de Quintanilla et Mendoza,* Oranum Ximenii virtute catholicum seu de africano bello, Romae 1605.

[7] Gub. V 552. [8] W V 213. [9] Gub. V 581.

tyres, quorum aliqui sub tormentis horribilibus mortui sunt. Praeclarissimi eorum sunt: *Franciscus a Spoleto 1288, Livinus de Francia 1345, Nicolaus a Monte Corvino* et *Franciscus Neapolitanus 1358, Bartholomaeus Martinozzi a Monte Politiano 1370, Ioannes Ethaeus ex Hispania 1373.* Principalis opera horum missionariorum semper cura christianorum erat, praesertim servorum, quorum multi ad religionem Mahumetanam defecerant ideoque fratribus maxime cordi erant. Etiam schismaticorum unioni partim, praesertim durante saeculo XV, cum successu studebant [1]. Ineunte saeculo XVI *Antonius de Garay,* Episcopus Tamae ad Nilum, per viginti annos Coptis et Mahumetanis praedicabat, usquedum anno 1514 Episcopatum suum resignaret [2].

Quia *Aethiopia* (Abessynia) [3] paene nullum cum finitimis commercium habebat, in decursu saeculorum propria ibidem religio christiana orta est, cui multae ideae Iudaicae et Mahumetanae immixtae erant. Desiderium tamen ad meliora eis semper manebat. Cum igitur *Ioannes de Monte Corvino* per Indiam in imperium Sinense proficisceretur, legati ex Aethiopia eum adierunt petentes, ut ipsis bonos praedicatores mitteret, quia ex tempore christianismi nascentis non amplius in fide essent instructi. Ioannes anno 1307 ex Peking ad Pontificem litteras dedit, quibus supplicavit, ut missionarii in Abessyniam mitterentur. Effectus huius petitionis non patet. Ioannes XXII et multo magis Eugenius IV unionem huius terrae cum ecclesia Romana adducere studuerunt. *Alberto a Sartiano* haec missio demandata erat; quia vero ipse eam suscipere non poterat, quosdam fratres, in quibus beatus *Thomas a Florentia* erat, illo delegavit. Fratri Thomae Aegypti maximo erant impedimento; nihilominus saltem litteras Pontificis in Aethiopiam detulisse videtur [4], quibus quaedam amicitia inter Pontificem et imperatorem orta est. Sixtus IV praesidem missionis in Aethiopia Hieronymum Tornelli Observantem destinavit, attamen, priusquam haec missio peragi potuit, princeps quidam ex Aethiopia Ierosolymis quosdam fratres fidei disseminandae causa secum duxerat. Interea ibidem regiminis mutatio peiorem adduxerat conditionem, quare pauci hi missionarii nihil magni momenti suscipere potuerunt. Adiutores anxie desiderati et anno 1484 Ierosolymis emissi in via interfecti sunt [5].

---

[1] Gub. V 590. [2] W XV 462. *Henrion* II 181.
[3] Gub. V 606. *Marcell.* II 395; IV 596; V 158.
[4] W XI 297. [5] W XIV 243 331.

Minoritae aeque ac in terris Africae iam antiquitus notis missiones fundabant, etiam illas ditiones mox adibant, quae medio aevo ad finem properante detectae sunt. Cum duo naves Genuenses anno 1291 circum Africam in Indiam orientalem traicere pararent, duo Minoritae nautis se adiunxerunt [1]. Utrum haec expeditio bonum habuerit successum, nescimus. Ultimus nuntius, quem in patriam misit, datus est ex litore occidentali Africae circa 9 lineam latitudinis septentrionalis. Eousque adhuc nemo pervenerat, et ultra centum annos duravit, usquedum audaces nautae Lusitani novam expeditionem illo suscipere conarentur. Hos quoque plures Minoritae comitari consueverant, ut in ditionibus detectis statim incipere possent praedicare evangelium.

Insulae Canariae [2] primum detectae sunt anno 1344, et mox quinque Franciscani ibidem horribiliter interempti esse dicuntur; alii tamen hoc martyrium saeculo XV factum esse affirmant [3]. Certum est Minoritas anno 1402 iterum illo perrexisse, cum insulae mandante rege Hispaniae expugnarentur, quo facto fratres brevi populum converterunt et plures conventus fundarunt. Inter operarios evangelicos ibidem laborantes commemorari meretur *S. Didacus* [4], qui anno 1441 in Fuertaventuram insulam tamquam guardianus conventus est missus.

Cum *Madera* [5] anno 1420 et *Azores* [6] anno 1444 detectae essent, Observantes mox in has insulas hominibus vacuas se receperunt, ubi vitam solitariam agebant. In missionibus quidem ibi operari non poterant, curam vero animarum inter novos colonos susceperunt.

Anno 1446 Franciscani cum navibus Lusitanis primum ad *insulas Promontorii Viridis* (Kap Verde) appulerunt [7], ubi *Rogerius*, Gallus, statim praedicare coepit. Inde Minoritae audaces inventores circum totam Africam usque ad Indiam orientalem comitati sunt.

Secundum litus *Guineae* [8] anno 1459 pro conversione gentium indigenarum laborabat *Alphonsus a Bolano*, qui anno 1472 prae-

---

[1] *G. Pertz*, Der älteste Versuch zur Entdeckung des Seeweges nach Ostindien im Jahre 1291, Berlin 1859.

[2] Gub. V 646. *Henrion* I 531. [3] *Marcell.* VI 156.

[4] W XI 138. *F. Pegna*, De vita, miraculis et actis canonizationis S. Didaci, Romae 1589. *J. Niño*, Las tres partes de las Cronicas antiguas de la orden de los Frayles Menores II, Salamanca 1626, 319.

[5] Gub. V 654. *Marcell.* V 466.

[6] Gub. V 653. *Marcell.* V 475; VI 145.

[7] Gub. V 625 655. *Marcell.* V 479; VI 176.

[8] Gub. V 619. *Marcell.* V 503; VI 179.

fectus Apostolicus huius ditionis nominatus est. Auxiliantibus novis fratribus, quos ad se vocaverat, bonum habuit successum, non obstantibus facinoribus mercatorum christianorum, qui non raro incolas conversos in servitutem vendebant.

A Guinea christiana religio in regiones iuxta flumen *Kongo* propagata est[1], ubi in principio soli Franciscani sub Episcopis ex ordine desumptis extraordinario cum successu praedicabant. Inter alios etiam quidam rex cum magna parte suorum subditorum baptizatus est[2]. Postea demum missionarii aliorum quoque ordinum advenerunt, qui omnes ad nationem Lusitanam pertinebant. Rex enim Lusitaniae, qui facultatem habuit delegandi missionarios, solummodo suos subditos admisit, qua de re hae missiones grave damnum sunt passae. Missionarii enim maiores colonias Lusitanas in Brasilia et India orientali praetulerunt, et parochi pro colonis Africanis instituti ordinaria animarum cura contenti erant.

Promontorio Bonae Spei detecto anno 1500 octo fratres duce Henrico Alvaro de Coimbra ad ora terrae *Moçambique*[3] appulerunt. Ignoramus autem, quid ipsi in missionibus praestiterint, quod etiam valet de illis quattuor fratribus, qui anno sequenti in ditionem finitimam septentrionalem, quae *Melinda* vocatur, advenerunt. Cum quinque annis post Lusitani *Sokotram*[4] insulam in sinu Adensi (Aden) ditioni suae subiecissent, aliqui Minoritae remanserunt magnamque populi partem ecclesiae catholicae adduxerunt. At fructus laboris eorum iterum evanuerunt, postquam anno 1510 Arabes hanc insulam occupaverunt.

§ 51. Missiones Sinenses[5].

Ineunte saeculo XIII Mogoli iuxta flumen Amur habitantes partem imperii Sinensis et totam Asiam occidentalem usque ad Cimerium (Krim) paeninsulam expugnarunt. Vastum hoc imperium suberat Magno-Chan, qui in urbe Cambalu (Peking) residebat. Provinciae

---

[1] Gub. V 621. *P. Eucher,* Le Congo. Essai sur l'histoire religieuse de ce pays, Huy 1894.

[2] W XIV 482; XV 445. [3] Gub. V 626. [4] Ibid. 657.

[5] Gub. V 342. *Panfilo* II 28 391. *Marcell.* II—IV passim. *[F. Kunstmann:]* Histor.-polit. Blätter XXXVII (1856) 225; XXXVIII 507 701; XLIII (1859) 677. *C. Bündgens,* Was verdankt die Länder- und Völkerkunde den mittelalterlichen Mönchen und Missionären? Frankfurt 1889. *C. Eubel:* Festschrift zum 1100jähr. Jubiläum des deutschen Campo Santo in Rom 710. *T. Külb,* Geschichte der Missionsreisen nach der Mongolei, 3 voll., Regensburg 1860.

(Chanatus) maioris momenti erant *Dschagatai* in Turcestano moderno cum urbibus Buchara, Samarkand et Armalech a lacu Balkasch inter meridiem et ortum solis spectans; item *Kiptschak,* quae ab occidente eiusdem lacus per Russiam meridionalem se porrigebat, cum capite Sarai prope civitatem modernam nomine Astrachan. Ex anno 1258 etiam Persia Chanatus est facta, cuius caput erat Tauris (Täbris). In Occidente omnia haec Mogolorum regna sub nomine *Tatariae* sunt comprehensa.

Hoc imperium, quo historia maius non novit, in Europa diu ignotum permansit. Demum cum discrimen esset ante portas et, exercitu christianorum anno 1241 prope Liegnitz fugato, timendum esset, ne Europa fieret praeda horum gregum efferatorum, exsistentia Tatarorum animadversa est. Statim Gregorius IX Dominicanos et Franciscanos misit, ut praedicando cruce signatos milites congregarent. Attamen his viris hoc nondum sufficiebat, sed ipsos Tataros adibant, ut eos ab invasione in terras christianas arcerent eosque pro christiana religione lucrarent. Haec partim sponte fecerunt, partim mandante Pontifice.

Talem missionem primus suscepit *Ioannes de Plano Carpinis*[1] (Pian di Carpine), Minorita Umber, qui praesertim in provincia Teutoniae laboraverat et anno 1250 tamquam Archiepiscopus Antibarensis (Antivari) mortuus est. Anno 1245 Papa eum cum alio confratre ad principem (Chan) provinciae Kiptschak delegavit, qui eundem ad Magnum-Chan remisit. Itaque secundum litus maris Caspici et lacus Aral per Mogoliam proficisci debuit, usquedum castra imperialia apud Karakorum urbem a lacu Baikal inter meridiem et solis ortum sitam attingeret. Magnus-Chan ei asperas quidem litteras ad Pontificem commisit, nihilominus haec missio magni erat momenti, quia Occidenti primas notitias de terris et populis Asiae interioris attulit.

Quoad haec adhuc maioris momenti erat itinerarium *Guilelmi Rubruck,* Minoritae Flandri, quod „maximum medii aevi artificium geographicum“ vocatur[2]. Guilelmus mandante S. Ludovico, rege Galliae, primum Armeniam et inde in urbes Sarai et Karakorum

---

[1] *D'Avezac,* Relation des Mongoles ou Tartares par le frère Jean du Plan de Charpin, première édition complète, Paris 1838. *Viator:* EF V (1901) 505 600. *Golubovich* 190.

[2] *Bündgens* 28. *W. Rockhill*, The journey of William of Rubruck to the Eastern parts of the world, London 1905. *H. Matrod:* EF XIX et XX passim.

profectus est. Durante toto itinere, quotiescumque potuit, Tataris, quibuscum conveniebat, evangelium praedicabat.

His praecursoribus continuae expeditiones missionum in omnes fere totius Asiae terras sequebantur, quo in negotio non solum de conversione gentilium agebatur, sed etiam de foedere inter Tatariam et Occidentem contra Saracenos. Tatari ipsi hoc pactum optabant et saepius huius rei causa legatos ad Pontificem mittebant, postulantes simul missionarios. Ioanne XXI regnante legati Mogoli a Persia venerunt, nuntium sane non satis certum de conversione Magni-Chan Kubilai afferentes. Anno 1278 Nicolaus III quinque Franciscanos, quibus mandante ministro generali plures alii se adiungebant, delegavit, ut principi (Chan) Persidis et Magno-Chan litteras afferrent et evangelium praedicarent. Ipsi tamen Persidem non transgressi esse videntur. Anno 1289 quidam eorum, duce *Ioanne de Montecorvino*[1] in Apulia, Romam reversi sunt, rationem de rebus in Perside gestis reddentes et nuntiantes regem Armenorum, Leonem III, et Patriarcham Iacobitarum paratos esse ad unionem cum Pontifice.

Cum litteris ad hos et ad principes Mogolos Persidis et Sinarum directis Nicolaus IV eosdem missionarios remisit. Postquam Ioannes a Montecorvino diplomata sua in Armenia et Perside tradidit, statim iter Sinense ad Magnum-Chan suscepit. Indiam peragratus venit in civitatem Meliapur, ubi ultra spatium unius anni Nestorianis praedicabat et 100 gentiles baptizabat. Ibi quoque unicum socium clericum amisit, Nicolaum de Pistoia, Dominicanum, qui in eius brachiis animam exhalavit. Inde navigavit in Sinam meridionalem et postea in urbem Peking ad Magnum-Chan Temur, successorem Kubilai, ubi ab anno 1294 usque ad mortem tanta operatus est, ut inter maximos totius historiae ecclesiasticae missionarios referri debeat. Operi eius Apostolico Nestoriani maximo erant impedimento, quippe qui propagationi catholicae fidei innumeras difficultates pararent. Contigit quidem Ioanni, ut principem quendam Nestorianum de Tendek, quae urbs iter dierum viginti a Peking distabat, cum magna parte populi sui ad unionem cum ecclesia adduceret, attamen statim post mortem huius tetrarchae unio vi iterum dissoluta est. Ipsi quoque Nestoriani Ioannem apud Magnum-Chan tamquam emissarium et deceptorem reddebant suspectum, usquedum eius innocentia iudicio esset probata, quo facto a curia Sinensi magni aestimatus libere missionibus se

[1] *Külb* III 84. *Panfilo* II 73. *Golubovich* 301.

impendere poterat. Anno 1299 in urbe Peking pulchram ecclesiam pro 6000 fidelibus, quos ipse christianae religioni adiunxerat, aedificando perfecit. Postquam anno 1303 fratrem *Arnoldum de Colonia* adiutorem accepit, in conspectu palatii imperialis conventum cum altera ecclesia aedificavit, ubi 150 pueros baptizatos in lingua Latina et Graeca instruebat et in cantu Gregoriano, cui Magnus-Chan ex palatio suo libenter auscultabat. Ut etiam verbo scripto animas lucraret, Novum Testamentum et psalmos in linguam Sinensem vertit.

Sed maxime necessarii erant novi operarii pro vasta hac missionum provincia. Cum igitur Papa nuntium accepisset de his, quae Ioannes gesserat, anno 1307 pro imperio Mogolorum provinciam ecclesiasticam de Cambalu cum sex Episcopatibus suffraganeis erexit et sex Franciscanos Episcopos ordinavit, qui Ioannem consecrarent eique pallium Archiepiscopale deferrent. Horum vero tres tantum ad urbem Peking pervenerunt, ceteri in via mortui sunt. Inter dioeceses, quas Ioannes erexit, cum certitudine solum *Zaiton,* portus ad fretum Formosanum (Tschang-tschou-fu), nominari potest, ubi conventus quoque et mox tres ecclesiae sunt aedificatae. Iam antea Peking tertiam ecclesiam et adhuc duo conventus acceperat. Magno erat Ioanni triumpho, cum anno 1310 Magnum-Chan *Haichan* (Out-Song), successorem Temur, ecclesiae lucrifaceret. Dolendum est, quod ipse iam anno 1311 mortuus est eiusque successor baptismum non suscepit, etsi christianis favebat. Ioannes igitur libere opus suum continuare poterat, usquedum anno 1328 maximo cum christianorum et paganorum planctu moreretur; eum Tatari et Alani tamquam sanctum coluerunt. Ad eius sepulchrum multi religionis causa peregrinati sunt usque ad finem huius saeculi, quo persecutiones christianorum eius memoriam exstinxerunt.

Magnus hic missionarius adhuc vivebat, cum beatus *Odoricus a Portunaone*[1] (Pordenone) in Foroiulio (Friaul) Peking adveniret. Ipse anno 1318 Constantinopolim profectus erat, unde Trapezuntem navigaverat; inde Persiam usque ad locum Ormuz peragravit, deinde navigavit secundum litus Indiae orientalis ad insulas Ceylon, Sumatra, Iava et Borneo, postea in Cochinchinam, denique appulit ad portum Canton, unde praedicando maiores urbes imperii Sinensis perlustravit et anno 1325 Peking advenit, ubi tribus annis per-

---

[1] *H. Cordier,* Les voyages en Asie au XIVe siècle du bien-heureux Fr. Odoric de Pordenone, Paris 1891. *L. Tinti,* Vita e missioni nell'Indo-Cina del B. Odorico da Pordenone, Roma 1901.

mansit. Pedibus per Tibet reversus est, primus Europaeorum nuntium de urbe Lhassa afferens. Anno 1330 in Italiam redux mox laboribus itineris confectus obiit.

Cum nuntius de morte primi Archiepiscopi Sinensis Avenionem pervenisset, Ioannes XXII anno 1333 Nicolaum Minoritam Archiepiscopum consecratum cum 26 confratribus Sinam delegavit. Hic vero iam durante itinere in provincia Dschagatai mortuus est. Repetita supplicatione Magni-Chan permotus Papa novam legationem quattuor Franciscanorum duce *Ioanne Marignola* de Florentia illuc misit. Hi per provinciam Kiptschak, ubi Elias Hungarus Minorita filium principis educabat, trans urbes Samarkand et Armalech profecti demum anno 1342 Peking pervenerunt. Quia vero interdum omnes Episcopi erant mortui, Magnus-Chan postulavit, ut Marignola vel alius — Minorita tamen, quia in Sina alii sacerdotes essent ignoti — tamquam Episcopus ab Europa rediret[1]. Postquam Marignola anno 1353 Avenionem reversus est, Papa ad capitulum generale anno 1354 Assisii congregatum litteras dedit, ut sibi fratres designarentur, qui Episcopi essent consecrandi. Ab hoc temporis momento de historia huius missionis pauca scimus. Commemoratur tamquam novus Archiepiscopus de Peking Kosmas Minorita, qui hucusque Episcopus de Sarai fuit, quique mox ad Episcopatum priorem rediit. Huic successit anno 1370 *Guilelmus a Prato,* qui cum 20 fratribus in Sinam profectus est. Ipsi tamen inopinatae difficultates acciderunt, quae utique cohaerent cum ruina domus imperialis adhuc regnantis, quae christianis fuerat amica. Nova dynastia Ming ex anno 1368 missionibus inimicam se praestitit et brevi omnia delevit, quae heroismus missionariorum maximo cum labore aedificaverat. Archiepiscopos de Peking, qui adhuc durante saeculo XV nominabantur, unquam in Sinam pervenisse parum verisimile est.

§ 52. Missiones in ceteris Asiae ditionibus excepta Palaestina.

Fratres in imperium Sinense proficiscentes saepe etiam in terris Asiae minoris et mediae praedicabant; historia vero harum missionum adhuc parum est culta. Ordo ad tempus saltem mansiones habebat in locis nomine *Trapezus, Caffa* ad Pontum Euxinum, *Tana* ad mare Asow, *Sarai* et *Armalech.* In omnibus his locis Minoritae

[1] *Bündgens* 60.

et Dominicani alternantes Episcopatum suscipiebant [1]. Multi quoque conventus his in regionibus inveniebantur, etiam in provincia Dschagatai (§ 30), in qua religio Mahumetana ex anno 1270 praevaluerat. Princeps Ghasan enim Franciscanos tolerare non destitit, immo filium suum fratri *Francisco de Alexandria* (Alessandria), quem inter suos consiliarios receperat, baptizandum tradidit. Cum vero Ghasan a Mahumetanis veneno sublatus esset, Ali Soldan, eius successor, sub interminatione poenae capitalis abnegationem fidei christianae praescripsit. Minoritae hanc recusantes vulgi Mahumetani saevitiae traditi et anno 1340 magnis tormentis enecati sunt. Inter hos martyres de Armalech nominantur: *Richardus a Burgundia,* Episcopus, *Paschalis a Victoria,* Hispanus, *Franciscus ab Alexandria* cum duobus popularibus *Laurentio* atque *Raymundo* et *Martellus ex Provincia* (Provence). Ipso Ali paulo post interfecto persecutio resedit et Marignola in Sinam proficiscens ecclesiam et conventum de Armalech reaedificare potuit [2].

Paulo plura scimus de missionibus Fratrum Minorum in *Armenia* [3] finitimisque terris. Ineunte saeculo XIII Armenia maior iterum independentiam suam amiserat, solaque Armenia minor, quae prius Cilicia vocabatur, proprium possidebat regem. Ibi ergo Franciscani optimam laborum suorum provinciam invenerunt et in conventibus ibidem aedificatis [4] stabile firmamentum pro expeditionibus Apostolicis in Armeniam maiorem et Georgiam. Iam anno 1233 *Iacobus a Russano* cum quibusdam confratribus in Georgiam venit libenterque receptus est. Cum anno 1247 Innocentius IV fratrem *Andream Perusinum* legatum ad regem Armeniae misisset, Minoritae ibidem pedem fixisse videntur. Bonagratia, minister generalis, maiorem numerum fratrum duce *Ioanne de Montecorvino* illuc delegavit, qui cunctis approbantibus laborabant, quare rex Raymundum Gaufredi, successorem Bonagratiae, adiit, ut novos mitteret operarios. Hoc facto *Spirituales Marchiae* venerunt, qui tamen propter contentiones cum fratribus Syriae ibi non diu persistere poterant. Possibile est praedictas dissensiones cohaesisse cum decreto capituli anno 1292 celebrati, iuxta quod fratres Armeni iurisdictioni ministri Terrae Sanctae subditi sunt [5]. Igitur maior Spiritualium pars in Italiam rediit, *Thomas a Tolentino* autem ab Angelo et Liberato secessisse

---

[1] *C. Eubel:* Festschrift z. 1100jähr. Jubil. d. deutsch. Campo Santo in Rom.
[2] Gub. V 445. *Külb* III 193.
[3] Gub. V 460. *Panfilo* II 433. *Henrion* I 231 293 461.
[4] Gub. V 484. [5] ALKG VI 64.

videtur. Hic enim imprimis tamquam legatus regis Armeni curias Europaeas adiit, quo facto iterum in missiones Asiae rediit neque amplius difficultates ex parte ceterorum fratrum expertus est.

Versus finem huius saeculi *Aito II, rex Armeniae minoris,* cum nomine Ioannis ordinem Fratrum Minorum ingressus est, postquam sceptrum tradidit Leoni III, nepoti (neveu) [1], qui cum successore suo Oschwin in unione cum ecclesia Romana permansit, partim, ut videtur, sperans fore, ut Occidens ei auxilium contra Turcas ferret, qui constanter regno exitium comminabant. Praeterea rex et missionarii sine intermissione contendere debebant contra partem populi schismaticam, quae unioni erat inimica, et contra varias deviationes a doctrina christiana, quae in decursu temporum in Armeniam irrepserant. Saeculum XIV plenum erat his studiis, quae neque intermittebantur, cum anno 1375 Armenia minor praeda Turcarum esset facta. Demum in concilio Florentino contigit, ut pars saltem huius populi catholicas veritates acciperet, quo de negotio *Iacobus de Primadizzi* maxime meritus est.

Inter Minoritas, qui in Armenia sanguinem suum pro fide fuderunt, clarissimi sunt *martyres Arzengenses* (Erzerum): *Monaldus Anconitanus, Franciscus a Fermo* et *Antonius Mediolanensis,* qui anno 1314 a Mahumetanis sunt occisi [2]. Versus septentrionem, in Georgia (iuxta montes Caspios), iam anno 1288 furoris schismaticorum victimae facti sunt *Conradus a Saxonia* et *Stephanus ab Hungaria* [3], qui non est confundendus cum altero fratre eiusdem nominis et gentis, quique anno 1334 in urbe Sarai pro fide occubuit.

In *Perside* [4] religio christiana praesertim a Dominicanis propagata est, quos Minoritae egregie adiuverunt, quamdiu haec ditio Tatarorum imperio suberat. Solus Achmet princeps (Chan) per duos annos, quibus regnavit, 1282—1284, christianos summo odio persecutus est, quo accidit, ut multi interficerentur, in quibus erant *Antonius de Armenia* et *Aldobrandinus a Florentia* [5], Minoritae. Postquam haec tempestas resedit, ibidem laborabant Ioannes a Montecorvino, beatus Odoricus et beatus *Gentilis a Matelica,* qui post uberrimam animarum messem anno 1340 in Toringia urbe martyrio est affectus [6]. Annis 1369 et 1392 iterum missionarii illuc missi sunt, quin tamen pateat, quam fortunam sint sortiti.

---

[1] *Golubovich* 328. [2] Gub. V 445. [3] *Golubovich* 324.
[4] Gub. V 489. *Marcell.* II 296; III 355 580.
[5] W V 128. *Golubovich* 429. [6] Gub. V 445 494.

Missiones in Perside et Armenia exitio erant destinatae, ex quo terribilis ille Tamerlan circa annum 1390 has terras suo sceptro subdidit. Religio enim Mahumetana praevaluit, legationes ad Pontificem desierunt et missionariis Orientem petentibus transitus est interdictus. Minoritae non reliquerunt quidem suas stationes, attamen continuo vivebant in martyrio, usquedum ultimi anno 1450 morerentur [1]. In ditionibus Caucasi et in provincia Kiptschak adhuc per aliqua decennia permanserunt, constanter vero a Mahumetanis angustiati [2]. Omnia conamina restituendi ecclesias christianas quondam floridas his in circumstantiis successum habere non poterant, quamdiu religio Mahumetana praevalebat. Igitur iam ineunte saeculo XV armis ac vi contra Tamerlan eique foederatos proficisci decretum est, idque classi in mari Caspio instruenda, cui Papa Franciscanum *Antonium de Montibus Caspiis*, regionum peritum, praeposuit. Nescimus tamen, quid factum sit [3]; sane conamen ipsum forte erat factum.

Simile studium circa medium saeculi XV *Ludovicus Bononiensis*, frater laicus, patefecit, cui mandante Pontifice unio contra Turcas erat perficienda, qua de causa multum in Oriente morabatur. Quid sentiendum sit de ratione agendi huius viri, qui ab aliquibus Papis maxime laudatur, ab aliis tamen severe vituperatur, adhuc nondum patet. Profecto improbanda est eius ambitio, studium videlicet adipiscendi Patriarchatum Orientis [4].

Dum igitur omnes missiones in imperio Tatarorum quondam maximo quasi penitus sunt deletae, religio christiana in *India orientali* [5] denuo florescere coepit. Iam saeculo XIII *Ioannes a Montecorvino* ibidem praedicaverat et ineunte saeculo XIV sub claro illo Iordanis, Dominicano, Minoritae *Thomas a Tolentino, Iacobus Patavinus, Demetrius a Tafelicio* in Georgia et *Petrus Senensis* ibidem laborabant, qui anno 1321 in urbe Tana insulae Salsette prope Bombay a Saracenis interfecti sunt [6]. Reliquias eorum beatus Odoricus in urbem Zaiton transtulit, ubi in ecclesia conventuali depositae sunt.

Num durante saeculo XV missiones Franciscanorum in India fuerint, nescimus; ineunte tamen saeculo XVI, inventa via maritima tam diu quaesita, Minoritae simul cum Lusitanis appulerunt. Iam anno 1500 *Henricus a Coimbra* cum septem sociis (§ 50) magno

[1] Gub. V 417 419. [2] W XIV 399. *Marcell.* V 193.

[3] W IX 247. [4] *Pastor* II² 215. *Marcell.* VI 317.

[5] Gub. V 498. *Henrion* II 7.

[6] AF III 597. *C. Mariotti,* Breve istoria del B. Tommaso da Tolentino Martire e de' suoi compagni, Roma 1894.

cum gaudio christianorum S. Thomae evangelium praedicare coepit [1]. Mox vero Mahumetani seditionem plebis concitaverunt, qua multi Europaei, in quibus tres erant Minoritae, occisi sunt. Opus missionariorum pugnis, quae in principio inter Lusitanos incolasque sunt ortae, magnum detrimentum est passum. Quidquid ope humana fieri potuit, ut adduceretur pax, Franciscani fecerunt, praesertim quidam frater *Ludovicus* et frater *Antonius de Loreiro,* qui anno 1510 ex Sokotra in Indiam orientalem pervenerat. Eodem anno urbs Goa expugnata eiusque ecclesia Mahumetana in christianam dedicata est, quo facto Minoritae pro novis christianis scholas erigebant, aegrotis in hospitalibus inserviebant et ubique maximo cum fructu evangelium disseminabant. Ex eorum numero *Ferdinandus Vaquier* anno 1531 primus Episcopus coloniarum Lusitanarum in India constitutus est, et anno 1537 Goa *Ioannem Albuquerque* († 1533) primum Archiepiscopum accepit, quo regnante demum S. Franciscus Xaverius, magnus ille gentium Apostolus, ibidem appulit.

§ 53. Missiones in Terra Sancta [2].

Missionem in Terra Sancta praeclarissimam omnium fuisse, quae ordini unquam sunt commissae, dubium non est. Cum anno 1219 S. Franciscus in Palaestinam venisset, iam fratres ibidem laborantes invenit, neque unquam ordo hanc provinciam reliquit usque in hodiernum diem. Magnos quidem successus in conversione schismaticorum et Mahumetanorum fratres durante toto tempore in medium afferre non possunt, neque, quantum opinio fert hominum, proximis temporibus afferent, qua de re is, qui conditionem illius populi novit, non mirabitur. Franciscani contenti esse debebant, quod curam animarum quoad catholicos ibi degentes peragere, scholas necessarias sustentare et peregrinos hospitio recipere poterant. Maioris momenti

---

[1] W XV 212 229 246 295 414; XVI 306 426.

[2] *F. Quaresmius,* Elucidatio Terrae Sanctae historica, theologica et moralis, 2 voll., Antwerpiae 1634—1639, ed. *Cyprian. de Tarvisio,* Venet. 1880—1881. *Giovanni di Calaorra,* Historia cronologica della Provincia di Syria e Terra Santa, tradotta nella ling. ital. dal P. Angelico di Milano, Venezia 1694. Giard. Seraf. II 85. *Marcell.* I—VI passim. *Patrem* 7 135. *G. Golubovich,* Serie cronologica dei Superiori di Terra Santa, Gerusalemme 1898. *Idem,* Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente francescano I, Quaracchi 1906. Album missionis Terrae Sanctae, 2 voll., 1893. *G. Golubovich,* Ichnographiae locorum et monumentorum veterum Terrae Sanctae accurate delineatae et descriptae a P. *Elzeario Horn* O. Min. Prov. Thuring. (1725—1744), Romae 1902.

pro ecclesia universali erat recuperatio et conservatio locorum sacrorum pro Occidente, qui labor cum indicibilibus sacrificiis per saecula ad nostra usque tempora continuari debebat. Diuturno hoc temporis spatio sane vitia quoque sunt commissa multaque officia neglecta, quod indubiam vituperationem meretur. Quam improbum autem sit despicere ob eam rem omnia, quae ordo in Palaestina fecit, optime patet ex conspectu historiae huius missionis, quae quidem propter persecutiones et martyria iterum atque iterum repetita quasi unum eundemque aspectum praebet et legentem fatigat. Omnes universi fratres, qui in Terra Sancta victimae pro fide occubuerunt, versus 2000 numerantur, et ultra 6000, qui ibidem tempore pestis martyres caritatis sunt effecti [1].

Ordo aeque ac ubique etiam per provinciam Syriae, ad quam Terra Sancta spectabat, celeriter propagatus est plurimisque in civitatibus, rescriptis Pontificiis adiutus, residentias fundabat [2]. Ex anno 1222, certe tamen ab anno 1230, fratres Ierosolymis conventum possidebant [3]. Anno 1233 Gregorius IX Minoritas ad soldanum Damasci delegavit eum obtestaturos, ut verbis legatorum obsecundans fidem christianam acciperet [4]. Deinde ordinem cohortatus est, ut multos fratres in Terram Sanctam mitteret, copiosas simul indulgentias eis concedens, qui vocationi huic obsequerentur, quia de re periculosa agebatur, pro qua multi vitam tradere debebant. Cum soldanus Aegypti anno 1244 Ierosolymam, quam anno praecedenti Occidentales occupaverant, recuperasset, 5000 christianorum trucidati sunt, in quibus omnes Franciscani erant, qui tunc temporis in urbe sancta habitabant [5]. Pars fratrum, qui in locis Bethlehem et Nazareth degebant, anno 1263 eidem fato cessit, tribusque annis post fratres *Iacobus de Podio* (Puy) et *Ieremias Lyciensis* victimae caedis in loco Safet Galilaeae occubuerunt. Cum urbs traderetur, christianis promissum erat eos libere posse discedere, postea tamen perfide capti sunt et ad abnegationem fidei compulsi. Hortantibus his duobus fratribus captivi exemplum admirabilis constantiae praestiterunt: nam octo tantum ex 3000 vitam ignominia plenam morti gloriosae praetulerunt.

Annis sequentibus novae persecutiones sunt ortae. Anno 1268 oppidis Iaffa et Antiochia expugnatis conventus Minoritarum deletus et fratres occisi sunt vel sub corona venerunt. Anno sequenti *Conradus de Hallis* cum sex sociis palmam adeptus est martyrii [7], et

---

[1] *Patrem* 137. [2] *Golubovich*, Biblioteca 413.
[3] *Patrem* 136. *Golubovich* l. c. 158 356. [4] BF I 93.
[5] *Golubovich* l. c. 189. [6] Ibid. 259. [7] Ibid. 269 sq.

anno 1289 fratres Tripoli degentes eidem fato cesserunt ac fratres Antiochenses[1]. Denique anno 1291 Akkon, ultimum Occidentis oppidum, cecidit, cuius incolae partim occisi partim venumdati sunt, qua occasione etiam quattuordecim Minoritae et omnes Clarissae sanguinem suum profuderunt[2]. Neque sors fratrum Tyri et Sidone degentium melior fuisse videtur, cum hae urbes eodem anno in manus Saracenorum incidissent[3].

Terra Sancta amissa mortem Nicolai IV, primi Pontificis ex ordine, adduxit. Ipse, quaecumque potuit, fecerat, ut principes Europaeos ad expeditionem sacram evocaret, quin aliquid obtineret. Maiori successu gaudebant eadem studia Franciscanorum in Oriente. Anno enim 1299 Aitoni II, regi Armeniae, et Henrico II, regi Cypri — qui ambo postea ordinem S. Francisci sunt ingressi — contigit, ut simul cum principe (Chan) Persidis Terram Sanctam recuperarent, quo facto duo Minoritae in Europam delegati sunt, ut suppliciter auxilium magnorum implorarent, ne terra recuperata iterum periret. Cum vero ne minimum quidem subsidium eis mitteretur, Palaestina anno 1301 iterum in ditionem soldani Aegyptii redacta est[4].

Akkon oppido expugnato clerus Latinus ex Terra Sancta discessit; minister quoque provincialis Minoritarum Syriae melius duxit transferre sedem suam in Cyprum insulam[5]. Franciscani vero ibidem remanserunt studentes, ut, quantum fieri posset, loca sacra retinerent vel recuperarent. Iam anno 1272 Bibars soldanus eis residentias in monte Sion et Bethlehem confirmaverat[6], et anno 1309 novum acceperunt edictum (Ferman), quo eis solis ius in sacraria montis Sion, S. Sepulchri et Bethlehem concedebatur[7]. Durantibus decenniis sequentibus plura latifundia, probabiliter amplificandi conventus causa, comparaverunt[8].

Magni momenti erant, quae *Rogerius Guérin,* Minorita Gallus, peregit; anno enim 1333 a soldano licentiam obtinuit, qua confirmatis domibus iam exsistentibus fratribus concedebatur, ut ubique in Terra Sancta residentias fundare possent, qua in re Guérin adiutus esse videtur a curia Galliae[9]. Maximo quoque cum zelo laborabant rex et regina Siciliae, *Robertus* et *Sancia,* qui magnis sumptibus Franciscanis ius comparabant manendi in ecclesia S. Sepulchri, quique prae-

---

[1] *Golubovich,* Biblioteca 326. [2] Ibid. 350. AF III 650.
[3] *Golubovich* l. c. 353. [4] Ibid. 360.
[5] *Patrem* 11. [6] *Golubovich* l. c. 282.
[7] *Golubovich,* Serie cronologica 129.
[8] Ibid. 134 145 155. *Calaorra* 156. [9] AF II 160. W VII 263.

terea in monte Sion novum conventum pro duodecim fratribus aedificabant, quibus et victum procurabant. Clemens VI Papa haec omnia anno 1342 confirmavit admonens simul ministrum generalem, ut semper duodecim fratres in monte Sion collocaret, eosque „fratres idoneos et devotos de toto ordine“ [1]. Paulo post iuxta hunc conventum *hospitium pro aegrotis et peregrinis* exstructum est, cui Tertiariae inserviebant. Hoc anno 1355 confirmatum est; paucis tamen annis post a Saracenis fratribus ereptum — res non rara in historia Terrae Sanctae —, denique anno 1364 ordini interveniente regina Siciliae iterum est restitutum.

Post breve hoc spatium quietis vexationes redorsae sunt. Cum enim anno 1365 christiani Alexandriam expugnassent, Mahumetani Minoritas Palaestinae ulti sunt. Igitur 28 fratres capti partim in carceribus obierunt, partim, in quibus erat beatus *Nicolaus Tavileis de Sebenico,* tribus annis post capite plexi sunt [2]. Mox quidem stationes eorum alii Franciscani ex Occidente occupaverunt, interea tamen Georgii montis Calvariae potiti erant, Armeni S. Sepulchri, monachus quidam Mahumetanus (Derwisch) sepulchri Beatae Virginis. Post vehementes pugnas, in quibus quattuor fratres occubuerunt, Franciscani coenaculum, vallem Iosaphat, S. Sepulchrum et Bethlehem receperunt, sacrarium vero Nazareth exstructum demum anno 1468 recuperarunt [3].

Saeculum XV initium sumpsit a caede omnium Franciscanorum in insula *Cypro,* ubi eadem cruenta annis 1405, 1418, 1426 et 1571 sunt repetita [4].

Locis sacris anno 1420 a soldano Aegypti Minoritis iterum adiudicatis quidam praelati titulares in bona quiete et securitate viventes frontem habuerunt exigendi sibi eadem loca, quippe quae antea in possessione illorum praelatorum fuissent, quorum titulis ipsi gauderent. Patriarcha titularis Ierosolymitanus postulavit S. Sepulchrum, Episcopus titularis dioeceseos Bethlehem antrum nativitatis, prior quidam titularis Canonicorum S. Augustini coenaculum et abbas quidam titularis vallem Iosaphat cum sepulchro Virginis Mariae. Episcopi, quibus Martinus V mandaverat, ut singulos iuris titulos probarent et sententiam dicerent, vindiciis Franciscanorum consenserunt, quorum iudicium Papa anno 1421 confirmavit [5]. Coenaculum, quod paulo post instigantibus Iudaeis ordini ablatum est, fratres

---

[1] BF VI 95. [2] *Calaorra* 208. *Patrem* 138. [3] *Patrem* 15 19 138.
[4] Ibid. 138. W X 107. [5] BF VII 549. W X 36.

maxima pecunia a soldano redemerunt[1], quod etiam anno 1440 facere debuerunt, ut conventum Bethlehem exsistentem et hospitium in monte Sion propter persecutiones in dies crescentes muro circumdare possent. Anno sequenti multi fratres victimae huius persecutionis sunt facti, qui partim occisi partim incarcerati sunt[2]. Anno 1489 Arabes conventum S. Ieremiae deleverunt eiusque habitatores interfecerunt[3]. Versus finem huius saeculi Minoritae montem Calvariae defendere debuerunt contra vindicias Georgiorum, qui tempore caedis anno 1365 factae partem huius loci occupaverant, quam vero anno 1481 reddere debuerunt. Post longas disceptationes Georgii anno 1512 victores exsistentes iterum partem Calvariae occupaverunt[4].

Annus 1517, qui tanti est momenti pro historia ecclesiae et ordinis, etiam fatum Terrae Sanctae perfecit, quippe quae ex ditione soldani Aegyptii in potestatem Turcarum transiret, quo facto statim Franciscani omnes in carceres sunt detrusi, in quibus manebant, usquedum post 27 menses liberarentur, quatenus captivitatem supervixerant. Similia eis iam anno 1537 iterum acciderunt[5]; ceterum ipsis semper mortes et carceres instar gladii Damoclei impenderunt. Nam etsi soldani saepe bene erga Minoritas erant affecti et possessio sanctuariorum per contractus magna pecunia emptos in tuto posita videbatur, tamen magistratus inferiores non raro haec omnia parvipenderunt. Mutata animi affectio satrapis (Pascha) sufficiebat, ut vitam vel possessiones amitterent, — quin Europa nuntium de his acciperet.

Terra Sancta quoad regimen in principio a ceteris provinciis ordinis non differebat, excepto quod in ea fratres ex toto ordine desumpti morabantur. Hac de causa simulque quia ordinis multum intererat missiones Terrae Sanctae conservari, mature factum est, ut capitulum generale proprias constitutiones pro fratribus ibi degentibus conficeret. Capitulum Aquilae anno 1376 congregatum *Bartholomaeum ab Alverna* tamquam commissarium delegavit, ut simul cum peritissimis Terrae Sanctae fratribus prima conderet statuta[6], quae multas res notabiles continent; e. g. iurisdictionem ministri provincialis restringunt, instituentes guardianum montis Sion superiorem omnium sanctuariorum, et praescribunt, ut generaliter non ultra 20 fratres haec loca custodirent. Capitulum anno 1414 Lausonii

---

[1] *Calaorra* 236. [2] *Patrem* 17. *Calaorra* 274.
[3] *Patrem* 21. [4] *Calaorra* 367.
[5] *Patrem* 138. [6] W VIII 335.

(Lausanne) coactum aliqua decreta adiecit[1] iterumque inculcavit, ut tantum optimus quisque fratrum in Terram Sanctam mitteretur, quia plurimis periculis essent expositi et continue prima infidelium iacula propter fidem nominis christiani sustinere deberent.

Haec tamen praecepta non sufficienter observata esse videntur, quare Martinus V *Nicolaum Auximanum* (Osimo) visitatorem in Terram Sanctam delegavit, qui vero infecta re iterum discedere coactus est. Igitur Eugenius IV ministro generali mandavit, ut quendam ex Observantibus Ierosolymis superiorem institueret. Cum autem minister mandato non obsecundasset, Papa ipse anno 1434 Observantem *Iacobum Delfini,* Venetianum, superiorem in Palaestinam misit. Denique cum anno 1493 *S. Capistranus* visitationem vigore sibi proprio peregisset, regimen totaliter ad Observantes transiit[2]. Conventuales adhuc diu provinciales titulares Terrae Sanctae instituebant, etiam cum non amplius fratres eorum ibidem degerent. Observantes in capitulis generalibus familiae cismontanae guardianum montis Sion superiorem Terrae Sanctae nominare consueverant, raro tantum proprius vicarius provincialis, commissarius vel praeses commemoratur[3].

Relatio Observantium ad paupertatem ordinis, quatenus fieri potuit, etiam in Terra Sancta viguit; studia contraria haud cunctanter repressa sunt[4]. Confidebant enim fratres subsidiis Occidentis, quae commendante Innocentio VIII iterum creverunt. Liberalitate sua praesertim reges Hispaniae et Galliae excelluerunt[5].

C. Scientiae et artes.

§ 54. Ordinis relatio ad scientias[6].

Qualem relationem S. Franciscus ad studia scientifica ordinis habuerit, adhuc est controversum, cuius quaestionis solutio magnam ad partem a iudicio de fontibus ad historiam fundatoris ordinis pertinentibus dependet. Quicumque litteraturae Spiritualium haud dubius adhaeret, affirmare tenetur S. Franciscum scientiis colendis a suis discipulis praefracte contradixisse. Verumtamen etsi res ita se

---

[1] W IX 360. [2] *Calaorra* 239 304.

[3] *Golubovich,* Serie cronologica 26 sq. [4] W XIV 176.

[5] *Calaorra* 332. *Patrem* 21 59.

[6] *H. Felder,* Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden bis um die Mitte des 13. Jahrhunderts, Freiburg i. Br. 1904. *F. X. Seppelt: Sdraleks* Kirchengeschichtl. Abhandl. III (1905) 229; IV 151. *Thode* 407. *K. Müller* 103. *Brewer,* Monum. Franc. I xliii.

haberet, concedendum esset Sanctum hoc quoque sub respectu evolutioni fuisse abnoxium, quo factum est, ut scientiis in ordinem introducendis postea magis faveret. Hoc non solum ex verbis patet, quibus in testamento suo praecipit, ut theologi honorentur tamquam qui ministrant nobis spiritum et vitam, sed etiam ex brevi epistola ad S. Antonium directa, qua eum primum theologiae lectorem nominavit, ea tamen conditione, ut per studium orationis et devotionis spiritum non exstingueret. Ex duobus his locis certissime sequitur Franciscum talem solummodo admisisse scientiam, quae animis proximorum veram afferret utilitatem, eumque cuicumque modo studendi fuisse inimicum, qui animis studentium ipsorum gravem afferret damnum. Numquid hac in re differt a Christo et Apostolis, quos imitare totum suae vitae fecerat scopum? Quis vero audeat affirmare Christum noluisse, ut in ecclesia sua scientiae colerentur, quia rudes piscatores in suos Apostolos cooptaverit et quia in scriptis Novi Testamenti multi inveniantur loci, qui in detrimentum scientiarum possint explanari? Verum sane est homines indoctos quidem, sed plenos spiritu divino multo maiora operatos esse ac doctos; attamen, quia talia charismata semper extraordinarium quid sunt, ipsis desinentibus omnis influxus spiritualis in proximos impossibilis redderetur, casu quo viae ordinariae difficilis laboris spiritualis intercluderentur. Numquid hoc S. Franciscus intendit?

Inter eius filios semper fuerunt, qui hanc quaestionem magis minusve fortiter affirmarent, quo sensu etiam de omnibus ordinis semper studiis et de relatione Sancti ad eadem iudicabant. Tales cogitationes solummodo ordinarie ex medio eorum fratrum manifestatas esse, qui veram vel putativam reformationem perficere volebant, mirum non videbitur, si noverimus magna vitia, quae praecipue in magistris et discipulis ordinis saepius apparuerunt. Nihilominus hoc quoque loco commemorari debet duces illustres partium reformatarum abstinuisse ab insectatione studiorum scientificorum, immo ad eorum incrementum incubuisse. Adhuc maioris est momenti pro historiae peritis multos fratres vivo etiam Sancto et primis decenniis post eius mortem maximo cum studio scientias arripuisse *simulque* fama gavisos esse, quod ad optimos Minoritas pertinerent. Haec valent e. g. de provinciis Bononiae et Angliae durante saeculo XIII[1], quae certe credebant se intentionibus sancti fundatoris non contradicere, quocum recenti adhuc traditione proxime coniuncti erant.

---

[1] AF I 228 244 254; IV 524.

Huc pertinent quoque pulchra S. Bonaventurae verba[1]: „Fateor coram Deo, quod hoc est, quod me fecit vitam beati Francisci maxime diligere, quia similis est initio et perfectioni Ecclesiae, quae primo incepit a piscatoribus simplicibus et postmodum profecit ad doctores clarissimos et peritissimos; sic videbis in Religione beati Francisci.“ Sane non omnes ita cogitabant. Iam Seraphicus doctor ordinem defendere debebat contra eos, qui Minoritas vituperabant, quod doctoratum acciperent et studia colerent, quae serium non haberent scopum. Bonaventura proprios magistros ex ordine desumptos, qui eisdem dotibus ac ceteri essent instructi, omnino necessarios ducit, postulat tamen, ut omnem ambitionem et ostentationem contemnerent eaque, quae docerent, etiam facerent. Neque reticet se „philosophantes“ eorumque „curiositates“ moleste ferre; nihilominus „fortasse“, ait, „aliqui videntur curiosi, qui magis sunt studiosi“ [2].

Similes monitiones durantibus saeculis omnibus repetitae sunt, quae haud dubie intendebant, ut iuxta spiritum sancti fundatoris studia totaliter cum fine ordinis concordarent. „Finis studii Fratris Minoris“, scribit Bartholomaeus Pisanus, „est studere in sacra pagina, ut de ipsa fidem defensare et populum sciat informare.“ [3] Cetera studia Minoritis solum eatenus concessa sunt, quatenus ad hunc finem conferunt. Ceterum idem auctor ordini testimonium reddit eum in summa scientias semper hoc modo coluisse. Libris a Fratribus Minoribus conscriptis, quibus populum in religione erudirent et ad pietatem adhortarentur, terras omnium fidelium esse plenas.

Saeculo XV quidam auctor iterum inculcat studium conformandum esse fini ordinis, i. e. praedicationi[4]. Fratres ad nostra usque tempora huic sententiae consenserunt[5], quae fundata est in spiritu ordinis quaeque ad regulam appellare potest, quae verbis haud dubiis fratribus laicis, qui nesciunt litteras, studium scientificum interdicit. Pro ceteris tamen membris ordinis ipsum erat necessarium, nisi munus suum deserere vellent. Primi quidem fratres sperabant fore, ut descensu ad populum, servitio in hospitalibus, amore et paupertate animos vulgi sibi conciliarent, attamen mox patuit hoc non sufficere, nisi ipsi simul essent apti ad intelligendas difficultates morales et intellectuales, in quibus populus vivebat, quod sine studio litterarum fieri non potuit. Quapropter scientiae non colebantur

---

[1] Opera omnia VIII 336. [2] Ibid. 334 sq. [3] AF IV 560.
[4] Firm. IV 99. [5] Cf. *Felder* 12 380.

disputationis gratia, sed ut solutio quaestionum temporis inveniretur [1]. Praedicatores saeculi XIII solummodo quia doctrina erant praediti, populo fideli sensum doctrinae christianae et pericula haeresis aperire poterant. Sine disciplina philosophica et theologica contra haereticos, qui Occidenti minabantur, nihil poterat suscipi.

Supposito autem, quod semel studia coluntur, experientia constat non semper ultimum eorum finem, doctrinam et aedificationem christianam solam posse observari. Etiam materiae, quae minime cum philosophia et theologia cohaerere videntur, utrique inserviunt, quapropter Rogerius Baco effatum illud notatu dignum protulit: „Studium theologiae omnem sapientiam desiderat humanam.“ [2] Quapropter Minoritas omnium provinciarum scientiae studiosos invenimus, licet eaedem cum fine ordinis non directe cohaereant, sicut ars medica et scientiae naturales. Investigator quidam antiquitatis protestanticus [3] hac de re tradit: „Cura, quam Franciscani aegrotorum et leprosorum gratia suscipiebant, necessario fons erat studii scientiarum naturalium. Simul cum fratribus studium systematicum medicinae et philosophiae naturalis in communi ortum est. Ipsi physicam experimentalem introduxerunt.“

Considerantibus praeterea Sedem Romanam studiis ordinis haud ambigue favisse, facile patet Minoritas simul cum Dominicanis praecipuos patronos scientiarum saeculi XIII fuisse. Contrarii ordinibus antiquis vocabantur *ordines studentes,* qui tam clero saeculari quam propriae soboli scientias theologicas tradebant [4].

Postquam fratres semel ad litterarum studium se contulerunt, etiam bibliothecas sibi comparaverunt, quibus absentibus ordinatus studiorum cultus fieri non potest. Iam mature avidi librorum collectores habebantur [5], qua in re probris Spiritualium extremorum non sunt turbati [6]; nam qui finem vult adipisci, etiam mediis debet uti. Quapropter Oxonii (Oxford) [7], Parisiis, Caesenae [8], Tuderti [9], in loco Monteprandone (§ 57) magnae bibliothecae inveniuntur, praesertim vero Assisii [10], cuius bibliotheca durante saeculo XIV post bibliothecam Sorbonnae et post bibliothecam Pontificiam Avenionensem amplissima totius mundi erat atque operibus ad historiam ordinis pertinentibus

---

[1] *Brewer* XLVII. [2] *Felder* 384. [3] *Brewer* XLIII.
[4] *Felder* 112. [5] *Little* 55. [6] ALKG III 148.
[7] *Felder* 272 289. [8] W XII 236.
[9] *L. Oliger:* Pastor bonus XIX (1907) 408.
[10] *Leto Alessandri,* Inventario dell' antica biblioteca del S. Conv. di S. Francesco in Assisi, Assisi 1906.

et catalogo accurate exarato excellebat. De conservatione, usu et ordine bibliothecarum iam constitutiones Benedictinae strictas continent ordinationes, in quibus praeter alia guardianis praecipitur, ut singulis annis inventarium librorum sui conventus componerent [1]. Interdum quoque fratres patrocinium Pontificis bibliothecae suae procurabant, quo fiebat, ut illi, qui damnum eidem inferrent, censuras ecclesiasticas incurrerent [2].

§ 55. Scholae ordinis [3].

Durante adhuc saeculo XIII quemadmodum alibi, ita etiam in ordine Franciscano tria scholarum genera sunt constituta, videlicet studia generalia, quae organice cum universitatibus cohaerebant, studia generalia sine nexu cum universitatibus et *studia particularia,* quae etiam studia localia vel provincialia vocabantur. Haec (scil. studia particularia) sub regimine ministrorum provincialium in multis conventibus omnium provinciarum erecta sunt, a scholis tamen hodie in ordine exsistentibus essentialiter in eo differebant, quod non raro *iure docendi publice* gaudebant, quapropter non solum fratres ordinis, sed etiam externi ad praelectiones admittebantur. Scholae clausae vel studia domestica ibi tantum exsistebant, ubi vel sperari non poterat externos scholas esse frequentaturos, vel lector ad habendas praelectiones publicas inhabilis videbatur [4].

Quamquam haec studia localia magnae erant utilitatis, tamen minoris putabantur comparata cum *studiis generalibus,* quae propriae sedes scientiarum in ordine habebantur et respectu ipsius eiusdem facta sunt momenti ac universitates respectu omnium, quae ad disciplinam pertinent [5]. Quemadmodum ad universitates, ita etiam ad studia generalia scholares maxime habiles omnium nationum conveniebant; quemadmodum ibi, ita et hic peritissimi tantum constituti sunt magistri, quod necessario rationem disciplinarum tractandarum omnibus numeris absolutam adduxit. Sed non omnia studia generalia ad universitates in sensu proprio pertinebant, quia ibi solum cum organismo universitatis coalescere poterant, ubi facultas theologica exsistebat, quod tamen ne hoc quidem in casu semper factum est.

---

[1] BF VI 33. Gub. III 158. [2] BF VII 522.

[3] *Felder* 123 159 254 322. *Panfilo* II 555. AF I 238. *A. G. Little,* The grey Friars in Oxford, Oxford 1892. *F. Prudenzano,* S. Francesco d'Assisi e il suo secolo, Napoli 1904, 330. *Ubald d'Alençon:* EF VI (1901) 57.

[4] *Felder* 328. [5] Ibid. 326.

Magna universitatum auctoritas effecit, ut scholae ordinis eisdem aggregatae ceteras dignitate et momento superarent. Nihilominus et extra nexum cum universitatibus inveniuntur studia generalia, quae magna gaudebant frequentia, quorum antiquissimum erat studium *Bononiense*[1], quod ex fine anni 1223, quo S. Antonius docere coeperat, stabile permansit. Cumque in universitate ibi exsistente facultas theologica deesset, schola ordinis valde frequentabatur a clero saeculari et a Sede Romana quoquo modo promovebatur. Quantopere studentes facultatis iuridicae allexerit, patet ex eo, quod multi doctores et scholares huius universitatis ordinem sunt ingressi. Magnum quoque influxum studium Bononiense in *evolutionem studiorum provinciarum ordinis Italarum* exercuit, qui necessario est auctus, cum anno 1360 Papa scholas mendicantium ibi exsistentes corpori universitatis adiungeret, quo facto ius creandi doctores accipiebant.

Nihilominus studium Bononiense pro toto ordine nunquam eiusdem momenti est factum ac studium Parisiense usque ad seditionem Gallicam et Oxoniense usque ad reformationem saeculi XVI. *Parisiis*[2] fratres iam circa annum 1245 aedes solito ampliores construxerant, ut multitudinem studentium ex omnibus provinciis confluentium recipere possent, in quibus non pauci inveniebantur, qui antea magistri vel discipuli universitatis fuerant, velut *Haymo de Faversham* et *Alexander de Ales*, magistri, qui mature ordinem sunt ingressi, postquam iam antea probabiliter fratres in conventu erudierunt. Certum est scholam ordinis anno 1231 universitati esse incorporatam, cum Alexander Alensis adhuc novitius publicas praelectiones in conventu habere perseveraret, quippe quia iuxta morem illius aetatis iura et nomen universitatis a persona magistri legentis dependerent, qui, cum semel in facultatem theologicam esset receptus, ubicumque praelectiones publicas habere et suos discipulos ad magisterium academicum praeparare atque praesentare poterat.

Primus Minorita, qui magisterium academicum adeptus est, erat *Ioannes de Rupella* (de la Rochelle), qui duce Alexandro de Ales anno 1238 magister regens factus mox tam doctus quam praedicator magnum sibi comparavit nomen. Dolendum est, quod iam anno 1245, eodem anno ac Alexander, eius magister, est mortuus. Simul cum his duobus magistris regentibus ordini eo ipso duae universitatis scholae obtigerant, quae fere usque ad annum 1252 permanebant, quia uterque successorem accipiebat Minoritam. Hac de re *magna*

---

[1] *Felder* 123. [2] Ibid. 163.

contentio in universitate Parisiensi[1] est orta, cuius vera causa erat invidia contra praestantiam scientificam scholarum mendicantium, quaeque magnam ad partem mendaciis aliisque armis sordidis gerebatur. Res gestae breviter sic possunt describi: ex tempore fere, quo Alexander Alensis est mortuus, maioritas magistrorum facultatis theologicae doctores scholarum mendicantium, qui legitime doctoratum erant adepti, non amplius in suum consortium recipere volebat. Hoc tam contra Dominicanos quam contra Franciscanos erat directum, in quibus S. Thomas de Aquino et S. Bonaventura erant. Anno 1252 eidem ipsi regentes magistri in conferentia quadam secreta decreverunt, ut ambo ordines *una* schola in universitate *unoque* magistro contenti esse deberent. Hoc decretum rationabile fuisset, si numerus magistrorum regentium fuisset definitus, quo factum esset, ut demandando mendicantibus plures cathedras iura cleri saecularis violarentur, quod tamen nullo pacto accidit, quapropter Dominicani huic arbitrario decreto minime se subicientes ius ad ambas cathedras sibi vindicabant. Ioannes a Parma vero, minister generalis Franciscanorum, humiliter cessit dicens: „Vos estis nostri domini et magistri, nos autem servi et discipuli vestri. Si quam possidemus scientiam, vobis debemus.“[2] His verbis altera quidem cathedra erat relicta, nihilominus possessor alterius cathedrae in facultatem non est receptus, quamquam Innocentius IV anno 1253 intervenit et Alexander IV duobus annis post contraria universitatis decreta abolevit. Hoc facto universitas Parisiensis edictum mendaciis scatens publicavit, ut omnes adversarios novorum ordinum ad auxilium convocaret. Praecipue magister *Guilelmus a S. Amore* (Saint-Amour), qui mox praecentor litigantium est factus, maxima cum invidia contra mendicantes odium disseminavit, quod ut augeretur, adversarii librum ineptum Gherardi a Borgo San Donnino (§ 6) tamquam gratam arripuerunt occasionem. Merito hic liber a Pontifice est damnatus, simul vero etiam Guilelmi „Tractatus de periculis novissimorum temporum“, contra cuius convicia iniusta Thomas et Bonaventura suos ordines pluribus scriptis defenderunt[3]. Guilelmo a S. Amore, praecipuo perturbatore pacis, mandante Pontifice ex universitate dimisso ceteri cesserunt, quo facto doctores repulsi anno 1257 in

---

[1] *F. X. Seppelt,* Der Kampf der Bettelorden an der Universität Paris in der Mitte des 13. Jahrhunderts, Breslau 1907.

[2] Mon. Germ. hist. SS. XXXII 299.

[3] *Soldati,* Thomae Aquinatis et Bonaventurae opuscula adversus Guilelmum de S. Amore eiusque asseclas, Romae 1773.

facultatem recepti sunt, praesertim Thomas et Bonaventura, qui interea minister generalis sui ordinis erat electus.

Contentione finita generale studium Parisiense quiete se poterat evolvere; magna quoque gaudebat frequentia, quamdiu permanebat. Unaquaeque provincia duos studentes *ex debito* Parisios mittere poterat, pro quibus solummodo expensae librorum solvi debebant. Adhuc plures tamen studentes *de gratia* ibidem commorabantur, in quos magna saepe pecunia insumi debebat [1]. Versus finem nostrae epochae Parisiis 350 fratres studentes degebant [2]. Cumque ordo solummodo praecipuum quemque discipulum et magistrum Parisios mitteret, haec schola non solum magnam auctoritatem intra universitatem ipsam sibi comparavit, sed etiam „centrum est facta, unde vita scientifica per totum ordinem est diffusa“ [3]. Omnes fere ordinis scholae lectores accipere studebant, qui Parisiis in scientias incubuerant, quod naturaliter imprimis respectu Galliae valet, deinde vero etiam respectu Italiae et Germaniae. Cum enim in Germania durante saeculo XIII universitates non exsisterent, totaliter a studio Parisiensi dependebat. Illuc ergo maiorem partem discipulorum suorum misit, illinc quoque saepe magistros accipiebat, velut fratrem Simonem, primum lectorem, qui anno 1229 a munere provincialatus se abdicavit, ut studium Magdeburgense inciperet. Quo iam anno 1230 mortuo Parisiis citatus est *Bartholomaeus Anglicus,* qui etiam magister de proprietatibus vocatur, quia librum „De proprietatibus rerum“ composuit, qui usque ad saeculum XVI saepe est pervolutus: erat quippe prima medii aevi encyclopaedia.

Praeter scholam Parisiensem ordo studium generale maximi momenti *Oxonii* possidebat [4]. Iam Agnellus a Pisis, primus Angliae minister provincialis, amplam aedificaverat domum studiorum, in qua *Robertus Grosseteste,* clarissimus huius universitatis doctor, publicas praelectiones habebat, qua re schola Minoritarum centrum facultatis theologicae facta est, quamdiu Robertus inter membra eiusdem numerabatur. Franciscani eum venerati sunt tamquam patrem, qui clientes suos ad studium acre impellere novit, demonstrans eorum efficacitatem tam a cultu scientiarum quam a vita religiosa dependere. Idem Robertus studio generali Oxoniensi peculiarem illam indidit rationem, qua contrarium rationi ac viae Parisiensi maius

---

[1] ALKG VI 108.
[2] *B. Riggenbach,* Die Chronik des Konrad Pellikan 53.
[3] *Felder* 233. [4] Ibid. 254.

afferebat pondus scientiis naturalibus, linguis, sacrae scripturae et practico usui theologiae in concionibus. Cumque anno 1235 Grosseteste cathedram magistralem cum cathedra Episcopali Lincolniensi commutaret, curam gessit, ut alia facultatis membra in conventu Minoritarum publice legerent, usquedum *Adam a Marisco* (de Marsh) versus annum 1247 longam seriem magistrorum regentium ex ordine desumptorum aperiret [1]. Hic in munere magistri usque ad mortem († 1258) fideliter persistens sine intermissione studebat augere bonum universitatis suorumque discipulorum. Revera universitas Oxoniensis aeque ac Parisiensis per incorporationem scholarum mendicantium maximum adepta est influxum, idque Oxonii praecipue de magistris ordinis Franciscani valet, qui gloria huius sedis litterarum erant, quique vivacem impetum et vitam scientificam per totam nationem, immo ultra eius fines diffundebant [2].

Hunc influxum etiam intra ordinem bonos produxisse fructus patet per se. Imprimis cultui scientifico ipsius provinciae Angliae utilis erat, ubique bonas producens scholas, quarum maximi momenti erat studium generale *Cantabrigiense* (Cambridge), quod circa annum 1240 universitati ibidem exsistenti est incorporatum et ultra saeculum XV magistros regentes ex ordine accipiebat [3]. Nihilominus Cantabrigia auctoritatem Oxonii adipisci non potuit, probabiliter quia provincia Angliae hanc quoquo modo praeferebat, quod neque mutatum est, cum Papa anno 1377 ministrum provincialem adhortaretur, ut utrumque studium generale eodem modo tractaret [4].

Hunc florem scientiarum provincia Angliae praecipue extraordinariae debet intelligentiae, qua ministri provinciales studia sunt amplexati, idque non in damnum disciplinae religiosae. Plures ministri generales provinciam hanc ordini tamquam exemplar proposuerunt, immo Ioannes a Parma, qui plurimos zelo pro regulari disciplina superabat, exclamavit: „Utinam haec provincia in medio orbis terrarum esset sita, ut omnibus ecclesiis suo praeluceret exemplo!“ [5] Haec dixit, cum novella provincia iam circiter 30 lectores gradibus insignitos haberet. Mirum igitur non est, si multi fratres undequaque Angliam petierunt atque magistri Angli ad diversissimas ordinis scholas, non excepta Parisiensi, citati sunt. Neque dubium est nationem Anglam ordinem maiori numero doctorum vere in-

---

[1] AF I 270. *Brewer* 552. [2] *Prudenzano* 330. *Felder* 304.
[3] Eorum nomina inquiras apud *Brewer* 555. AF I 271. [4] BF VI 584.
[5] AF I 254.

signium, qui, quod maxime est notandum, cogitando proprias institerunt vias, condecorasse ac ceterae nationes omnes [1]. Neque negare possumus scientiam Franciscanam floruisse, quamdiu commercium cum fratribus Anglis durabat, quo decurrente saeculo XIV propter bella et aemulationes inter nationes cessante scientia in ordine simul cum disciplina regulari remisit [2].

Parisii, Oxonium et Cantabrigia diu praecipua studia generalia pro theologis ordinis habita sunt, quibus cetera omnia obscurata sunt, etiamsi universitatibus erant incorporata, velut studium *Bononiense* ab anno 1360, *Tolosanum* [3] (Toulouse) et *Andegavense* [4] (Angers) a prima saeculi XIII parte et *Salmanticense* (Salamanca) saltem ab ineunte saeculo XV [5]. Cum anno 1348 prima universitas Germana *Pragis* erigeretur, rex Bohemiae inter alios et Minoritas magistros theologiae postulavit, cui Papa consensit mandans, ut ordo huic desiderio obsecundaret [6]. Iam pridem, anno 1320, Ioannes XXII in nova universitate *Dubliniensi* Franciscanis duas cathedras theologicas commiserat [7]. Praeterea quosdam Minoritas in multis universitatibus magistros invenimus [8], quin tamen ex hoc facto concludi liceat scholas ordinis ibidem exsistentes universitati esse incorporatas. Praecipue hoc loco commemorari merentur *lectores sacri Palatii* vel „curiae papalis", qui erant magistri in universitate Pontificia, quam Innocentius IV anno 1245 in suo palatio erexerat. In his durante saeculo XIII aliqui Minoritae clari, velut *Ioannes a Pekam* et *Matthaeus ab Aquasparta* [9], inveniuntur.

De *studiis generalibus, quae universitatibus non erant incorporata,* adhuc pauca scimus. Certum est ea numero studia generalia cum universitatibus connexa longe superasse [10]. Notandum quoque est provincias, quae studium generale habebant, discipulos suos saepe ad studium generale aliarum provinciarum non raro longe distantium misisse, quod scientiis certe non erat damno et angustum amorem patriae localem arcebat.

§ 56. De lectoribus [11].

Magistri in scholis conventuum et universitatum docentes iam durante saeculo XIII nomen acceperunt *lectorum* [12], quod erat titulus officii

[1] *Felder* 316. [2] *Little* 68 71. [3] *Felder* 238.
[4] EF VI (1901) 58. [5] W X 24. [6] BF VI 406. [7] W VI 351.
[8] *Papini* II 179. *Panfilo* II 555. W XI 84. [9] *Panfilo* II 126.
[10] Gub. III 75 92. BF VI 30. AF II 242.
[11] *Felder* 358. *Marczic* II 1. [12] AF I 238.

omnibus communis, cum nomen magistri vel doctoris summum designaret gradum academicum, cuius possessor non semper actu legebat. Lectores pro scholis ordinis instituebantur a superioribus ordinis, neque alia licentia indigebant[1]. Conditio sine qua non erat, quod candidatus scientiis et moribus praestaret. Primi ordinis lectores studia sua iam ante novitiatum absolverant, mox tamen iuvenes clerici ordinis ad magisterium erant informandi, qui imprimis *commune studiorum curriculum*[2] perficere debebant. Iam circa medium saeculi XIII praeceptum erat, ut illi, qui in numerum clericorum ordinis recipi cuperent, grammaticam et logicam callerent; durante novitiatu studium continuabatur, usquedum S. Bonaventura in constitutionibus anni 1260 id fieri prohiberet atque praescriberet novitiatum consummandum esse solis exercitiis asceticis. Professione emissa primo statim theologiae discendae initium fiebat, postea in altera saeculi XIII parte, ordinatum est, ut fratres, priusquam ad theologiam admitterentur, accuratius in philosophia (artibus) instruerentur. Studium theologicum in summa constabat ex dialectica tractatione librorum sententiarum et ex sacrae scripturae explanatione, cui coniunctae erant applicationes practicae (moralitates). Totum studium eo directum erat, ut fratres quam maxime habiles ad praedicandum et ad confessiones audiendas redderentur, quod rigoroso examine in fine studiorum decidebatur.

Post haec studia pro omnibus clericis ordinis debita professionis gratia peculiaris incipiebat *disciplina, quibus fratres destinati instruebantur ad capessendum lectoratum*, quaeque semper ordini maximae erat curae, quia sortes futurae iuvenum clericorum ideoque et totius ordinis ab eadem dependebant. Quapropter iam ab initio *electio* personarum habilium maximi ducebatur momenti. In capitulo provinciali fratres, qui Parisios vel ad aliud studium generale erant mittendi, scrutinio formaliter erant eligendi. In loco studiorum saltem per quattuor annos manere debebant, nisi propter ingenium extraordinarium iam antea lectoratu viderentur digni[3]. Ad suos reversi in capitulo provinciali lectores nominabantur, quae designatio singulis annis repetita esse videtur[4].

At saepe provinciae ne his quidem erant contentae, sed insistebant in eo, ut etiam lectores studiorum domesticorum in aliqua universitate magisterium vel saltem licentiatum acciperent. Expressis

---

[1] BF II 208. [2] *Felder* 332.
[3] ALKG VI 108. [4] *Felder* 367.

verbis traditum est iam medio saeculo XIII omnes lectores provinciae Angliae in universitatibus esse excultos, quo patet, quare ipsa ceteris provinciis praestiterit. Tales igitur lectores omnes conditiones servare debebant, quae praescriptae erant, ut doctoratus alicui posset conferri. Primum generaliter per sex annos theologiae studere, deinde in gradu *baccalaurei* praesidente quodam magistro per tres vel quattuor annos docere debebant, explanando sacram scripturam et libros sententiarum atque quaestiones disputatas peragendo; denique cancellarius universitatis tamquam vicarius Pontificis eis *licentiatum* contulit, quocum doctoratus eo ipso erat coniunctus. Ut magister vel doctor solemnis haberetur, solummodo necessarium erat coram communitate congregata disputationem vel praelectionem aditialem peragere atque collegio iusiurandum praestare (principium, inceptio). Hoc facto propriam accepit cathedram eratque rector propriae scholae in universitate (*magister regens* vel *cathedraticus*)[1]. Quicumque in universitate publice legere nolebat, licentiatu vel doctoratu contentus in una ex scholis ordinis docere poterat.

Magnus concursus, qui a fratribus studentibus ad gradus academicos factus est, iam in decursu saeculi XIII capitula ad capessenda consilia induxit, quibus dissensiones praecaverentur. Accuratae ordinationes hac de re in constitutionibus Benedicti XII continentur[2]: Fratres, quatenus Sedes Apostolica non aliter definiat, solummodo Parisiis, Oxonii et Cantabrigiae gradus theologicos petant, eique singulis annis singuli. Provincia Franciae quarto quoque anno unum, provincia vero Angliae duos fratres, qui in suis universitatibus promovendi sunt, proponere potest; ceteri quattuor candidati in capitulo generali, aequo ad singulas provincias respectu habito, eligantur. Omnes hi fratres nominati ministro generali sunt praesentandi, qui solus ipsos ad universitates delegare potest ac debet, nisi causas rationabiles in contrarium adducere potest. Minister generalis et provincialis aeque ac cetera capituli membra sub oboedientia tenentur mittere tantum fratres magis idoneos, qui, cum finem suum sint adepti, in studiis maioribus ordinis lectores constituantur. Consilio cum ministris et magistris habito ministri generalis est omnibus studiis generalibus lectores et baccalaureos habiles suppeditare. Capitulum anni 1421 has conditiones auget, praecipiendo, ne quis lector in studio generali disciplinas principaliores legat, nisi per septem

[1] *Felder* 213 228. [2] BF VI 30. *Felder* 362.

annos artibus incubuerit et in dignitate baccalaurei constitutus sententias explanaverit[1].

Quam cupidi fratres tunc temporis studiorum universitatis fuerint, patet ex eo, quod ipsi ministri provinciales illuc se contulerunt, ut sententias legerent, qui abusus anno 1357 est prohibitus, quippe quia ministri hoc in casu a munere se abdicare debebant[2]. Causa huius rei non semper sincerus scientiarum amor erat, sed non raro studium *privilegiorum* adipiscendorum, quibus lectores gaudebant[3]. Verba, quibus S. Franciscus fratres hortatus est, ut magistros theologiae honorarent, sensim sine sensu ita sunt explanata, ut lectoribus varia concederentur privilegia, quae non semper in eorum munere erant fundata. Quod socium secretarium acceperunt et propriam cellam, ne in studiis impedirentur, quod a servitio chori dispensati sunt, sufficienter intelligitur ex conditione illius temporis, non vero, quod postulantibus propria alimenta et in summa commodior vita concedebatur. Notatu dignum est ipsos ordinis Episcopos, casu quo resignantes in conventum revertebantur, Pontificem adiisse, ut sibi *gratias magistrales* impertiret[4]. Accessit, quod magisterium via ad omnes ordinis dignitates esse solebat; lectores enim ordinarii vocales capitulorum erant et paene omnia ordinis officia maiora occupabant, quare regimen ordinis maximam ad partem in manibus habebant. Certe non erat per se malum praeficere doctos, dummodo essent digni, quod nomina optimorum ministrorum generalium aperte demonstrant, attamen malas produxit consequentias. *Ambitiosi* enim privilegia lectorum et dignitates huic officio annexas desiderabant, quare neglectis constitutionibus haec munera ambiebant, quo facto *tam scientias quam disciplinam ordinis vitiarunt.*

Ratio promovendi communis in his tribus universitatibus non erat facilis. Praeterea electio studentium tam severa erat, ut inhabiles et indigni generaliter facile arcerentur. Quod candidatis decurrente tempore concessum est, ut etiam in aliis universitatibus minoris momenti promoveri possent, velut ex anno 1365 mandante Pontifice Tolosae[5], iam erat laxamentum. Capitulum anno 1421 Foroiulii congregatum iam octo universitates designat, immo capitulum anno 1437 sedecim studia generalia in urbibus universitate insignibus exsistentia enumerat, in quibus fratres gradus academicos accipere poterant[6].

---

[1] AF II 276. [2] BF VI 644. [3] AF II 263. *Felder* 374.
[4] BF VII 510 567. [5] Gub. III 22 74.
[6] AF II 276. Gub. III 92. W XI 16 144. Cf. BF VII 553 650.

Attamen multi neque his erant contenti, quippe quia laboriosum studium penitus vel ad partem vitare volebant, quare protectionem principum vel saepius adhuc breve Apostolicum sibi comparabant, quo eis, positis quibusdam conditionibus, magisterium concedebatur. Tales *doctores bullati* [1] (sub camino creati, wax-doctors [2]) durante saeculo XIII nondum exsistebant, sed a tempore Ioannis XXII usque ad Leonem X multi creati sunt, quod patet ex bullario ordinis. Hoc factum postea eo excusatum est, quod ita expensae in quibusdam universitatibus magnae vitarentur. Interdum hoc verum esse poterat, attamen saepissime ratio ultima inquirenda est in desiderio abbreviendi curriculum studii difficile, ut omittamus etiam haec brevia non parva pecunia constitisse [3]. Praeterea Papa interdum ministro generali concessit, ut *occasione capituli generalis* quibusdam fratribus periculo praemisso doctoratum conferret (N. magistratus est in capitulo) [4]. Hoc modo inhabiles et penitus indignos magisterium invasisse Bonifatius IX saepius conqueritur; attamen pro eo, ut hoc perniciosum systema mutaret, nova brevia eiusdem tenoris concedere continuavit [5]. Neque minus malum pro disciplina ordinis erat, quod Papa interdum fratribus licentiam dabat, qua per plures annos universitatem quandam frequentare poterant viventes extra conventum, quia sub oboedientia superiorum non satis scientiae incumbere possent. Immo semel talis supplicatio laudabilis vocatur intentio [6].

Saepe ordo contra hos abusus protestatus est. Iam anno 1385 capitulum generale vetuit litteras Pontificias magisterii adipiscendi gratia petere [7]. Provincia Aragoniae, ut contra multos atque inhabiles lectores se defenderet, renovandas curavit ordinationes Benedicti XII, quibus praeceptum erat, ne quis candidatus haberetur promotus, qui non a capitulo provinciali electus et ministro generali praesentatus esset [8]. Moxque Martinus V declaravit neminem magistrum esse habendum, nisi curriculum studiorum praescriptum in universitate absolvisset [9]. Attamen stabilis mutatio his omnibus non evenit, quia mox multae concedebantur exceptiones. Conditio igitur scientiarum in dies fiebat iniquior. Frustra constitutiones anni 1430 praecipiunt, ut ministri provinciales studia in suis provinciis reformanda curarent, quia scientia esset „corona Ordinis" [10]. Duobus aetatibus

---

[1] AF II 528. [2] *Little* 42. [3] *Marczic* II 40. *Little* 50.
[4] BF VI 571; VII 291. [5] Ibid. VII 34 49 sq. [6] Ibid. 434.
[7] Gub. III 77. [8] BF VII 513. [9] Ibid. 730. W X 299 477.
[10] W X 157.

hominum post statuta Alexandri VI — ex quibus ceterum patet pessime tunc se habuisse res — veteribus de magistris promovendis ordinationibus auctoritatem recuperare studuerunt [1]. Clarius adhuc *statuta reformationis Iulii II* loquuntur [2], quibus testantibus culpa ruinae ordinis maxime malis studentibus erat ascribenda, qui ambitione instigati promotioni inhiabant et mali superiores fiebant. Quapropter soli iuvenes in disciplinis ordinis probati ad studia eligantur omnesque domus studiorum fratribus reformatis tradantur. „Primum mores, postea studia!“ Imposterum tantummodo in universitatibus promoveantur, qui a superioribus electi atque pro lectoratu destinati sunt, ergo non soli tituli gratia. In omnibus conventibus maioris momenti studia domestica constituantur, in quibus scientiae practicae tractentur.

His verbis a Conventualibus reformatis confirmantur, de quibus Observantes dudum conquesti sunt. Iam Spirituales [3] contra abusus in studiis exsistentes protestati erant, quamquam durante saeculo XIII minime comparari possunt excessibus saeculo XIV et XV commissis.

§ 57. Observantium relatio ad scientias.

Dubium non est, quin in principio maior Observantium pars ubique terrarum animo a scientiis vel saltem a modo scientiarum tractandarum in ordine consueto fuerit alieno, quod suppositis his, quae praecesserant, mirum non est. *Conventus Observantium Oveti* (Oviedo) *in Hispania* primus ostendisse videtur studia ordinis sibi displicere; ordinavit enim, ne quod membrum communitatis gradum licentiatus vel magisterii acciperet [4]. Minime tamen studio academico ipsi contradixit, utpote qui multos baccalaureos possidebat, qui etiam in universitate Salmanticensi legebant.

Similiter *Observantes Galli* se habebant, qui in libello ad concilium Constantiense directo professi sunt se gradus academicos propter abusus eis coniunctos totaliter renuntiare; scientiam sibi sufficere. Ceterum plures pecunia quam scientiis promoveri [5]. In concilio Basileensi Observantes Conventualibus, qui eis crimini dederant, quod scientiis non incumberent neque magistros haberent, responderunt, communitatem omnes domus studiorum occupare neque unam quidem Observantibus tradere velle, immo ne pati quidem, ut studens

---

[1] Gub. III 156. [2] Firm. III 14 63. [3] ALKG III 73 119.
[4] BF VII 388; cf. VII 548. [5] Spec. III 158. *Marczic* II 63.

ex Observantia promoveatur. Observantes ipsos scientiis quidem operam dare velle, attamen in studiis generalibus ordinis id minime fieri posse, quia praecipue in illis conventibus disciplina remisisset, quod praesertim quoad studium Parisiense valeret, cuius status gehennae comparari posset. Denique concilium implorant, ut curam habeat, ne Observantibus via ad scientias intercluderetur, simplicitate puerili addentes: nolumus lectores gradibus academicis insignitos, *sed* studium obire, quemadmodum tempore Alexandri Alensis, Bonaventurae et Scoti tractabatur.

His similia sunt „Hortamenta circa studiorum loca et studentium directamenta“ [1], quae circa annum 1500 conscripta sunt. Exempla studiorum bene obeundorum magni ordinis doctores adducuntur, in quibus et Occamus nominatur. Studium piorum honestorumque librorum praecipue colendum semperque virtutem scientiis praeferendam esse. „Virtutem vitium expellere, non autem scientiam.“ Disciplinam ordinis laxam simul cum studio profanarum scientiarum ordinem perdidisse. Bonas ergo domus studiorum esse constituendas, ut seminaria sint proborum religiosorum.

Relationem *Observantium Germanorum* ad scientias in summa eandem fuisse ac Gallorum ex apologia Caspari Schatzgeyer patet (§ 28). Longe imprudentius agebat magna pars *Observantium Italorum,* qui durante saeculo XIV scientias quasi penitus neglexerunt. Per magnam quoque saeculi XV partem inveniebantur in eis viri, qui melius esse putabant non habere studia [2] quam committere se periculo perdendi spiritum simplicitatis Seraphicae. Acerbe ad hos Bonifatius de Ceva: „Non despicio“, ait, „fratrum simplicitatem, sed non laudo fratrum asinitatem.“ [3] Optimi tamen duces Observantium Italorum hanc agendi rationem suorum confratrum improbabant. Cum S. *Bernardinus* commissarius Observantium esset, studiis introducendis operam dedit primamque scholam theologiae practicae anno 1440 Perusiae fundavit. S. Capistranus ex anno 1443 repetitis vicibus praecepit, ut in omnibus provinciis erigerentur domus studiorum [4], nullamque ratam habebat interpellationem, videlicet studiis recollectionem spiritus et multis libris paupertatem violari. In renitentes acriter scripto invectus est tamquam in protectores „ignorantiae et insipientis simplicitatis“ [5]. Scimus quoque S. Iacobum de Marchia omnem ad-

[1] Firm. IV 100. [2] *B. Bernardini* Chronica 43. [3] Defensorium l. c.

[4] Gub. III 100 106. *Marczic* II 54.

[5] W XI 223. Eius egregiam expositionem cf. apud *Van Loo,* Stimulus seraphicae conversationis, Romae 1861, 276.

hibuisse operam, ut fratribus colligendo libros media ad proficuum studium suppeditaret. Bibliotheca, quam ipse in loco *Monteprandone* erexit, ad pretiosissimas pertinuisse videtur, quas ordo durante saeculo XV habebat[1] (§ 54).

In *scholis fundandis* Observantes ultramontani ac cismontani aequales faciebant progressus. Anno 1447 decreverunt, ut in unaquaque provincia domus studiorum erigerentur[2], et annis sequentibus iterum atque iterum officium esse inculcabant fratres iuvenes bene erudiri, quia Observantes Romae accusati essent „de ignorantia affectata“[3]. Ceterum status scientiarum mox melior evasit, cum novitii theologiae periti e numero Conventualium vel ex universitatibus Observantiae se adiunxerant, quod saepe factum est, praecipue in illis civitatibus Germaniae, in quibus Capistranus praedicaverat, quippe quia auditis eius verbis saepe scholares et magistri ordinem sunt ingressi[4]. Revera in multis Observantium provinciis studia circa annum 1500 valde floruerunt[5].

Hoc ipso etiam aversatio, quam Observantes a principio quoad gradus academicos manifestaverant, sublata est. Ut omittamus provinciam Angliae, in qua Observantes aeque ac Conventuales promovebantur[6], etiam in ceteris provinciis multos invenimus magistros theologiae, qui vel hac dignitate, cum Observantiae se adiungerent, iam erant insigniti vel eandem sibi postea acquisiverunt. Optime, quae dicimus, demonstrant nomina *Nicolai de Orbellis* († ca 1465)[7], qui subtiliter Scotum interpretatus est, *Stephani Brulefer*[8], rectoris studii Moguntini Observantium, *Gilberti Nicolai*[9], vicarii generalis Observantiae ultramontanae, et *Francisci Lychetti* (Lichetto)[10], qui florentem Scotistarum scholam fundavit et postea minister generalis factus est. Quod Lychettus et Nicolai maioribus ordinis rebus praefecti sunt, aperte demonstrat scientiam ab Observantibus in honore haberi coepisse.

Labores, quos Observantes studiorum perficiendorum causa susceperunt, incidunt in epocham *humanismi*, cui ordines in summa inimicos se praestiterunt propter studia pagana, quae ei erant coniuncta. Nihilominus praecipue inter Observantes non defuerunt, qui bona huius regenerationis litterariae a vitiis seiuncta, quatenus

---

[1] MF I (1886) 32 125; IV (1889) 60 65.
[2] Gub. III 110. [3] AF II 378 413.
[4] Gub. II 52. *Pastor* I² 392. [5] *Riggenbach* 26. [6] *Little* 289.
[7] AF II 460. [8] Ibid. 505. Gub. III 138. [9] AF II 551.
[10] Ibid. 560. *Riggenbach* 58.

poterant, alebant. Iam *Bartholomaeus a Iano* (Giano), socius S. Bernardini, Constantinopoli linguam Graecam didicit multosque libros ex Graecia secum duxit in Italiam, ut in linguas Occidenti notas verterentur[1]. In Germania superiori praecipue studium linguae Hebraicae colebatur ibique Conradus Pellikanus († 1556, postquam ad protestantes transiit) circa annum 1504 primam grammaticam Hebraicam in lingua Germanica conscripsit[2]. Eius magister *Paulus Scriptoris* († 1505)[3] insignis erat lector in studio generali Tubingae erecto, ubi non solum theologiam legit, sed etiam scientias mathematicas, quibus praelectionibus interdum omnes paene magistri universitatis auscultabant. In Italia *Petrus Galatinus* († ca 1540) linguarum Orientalium peritissimus exstitit, qui in famosa illa controversia de libro Talmud pro Reuchlino scripsit[4]. Etiam Constantius a Tolentino, Conventualis († 1550), egregius humanista putabatur[5].

Magnus fautor scientiarum inter Observantes haberi debet *Ximenes Cardinalis*[6], qui merito auctor renascimenti theologici in Hispania vocatur. Ut theologiae genuinos sacrae scripturae fontes aperiret, maximis sumptibus claram illam *polyglottam Complutensem* edidit, quae diu tam catholicis quam protestantibus fodina pro studio sacrae scripturae permansit. Aliud magnum opus, quod praecipue Hispaniae cessit bono, erat fundatio universitatis *Complutensis* (Alcalá de Henares), quae egregios theologos produxit.

§ 58. **Quidam celebres ordinis doctores**[7].

Schola Franciscana eo sensu, ut omnes ordinis lectores cogerentur iurare in verba certi cuiusdam auctoris, nunquam exstitit.

---

[1] *B. Bernardini* Chronica 18. [2] *Heimbucher* II² 458.

[3] *N. Paulus:* Tüb. Quartalschr. 1893, 289.

[4] W SS. 279. Sbar. SS. 594. [5] MF IV 128.

[6] *Dominique*: EF XIX (1908) 449 640.

[7] AF IV 336. Firm. I 42, ubi simul vetera epitheta adducuntur. *Toss. Rodulphius,* Historia Seraph. Religionis fol. 306. *Gonzaga* 79. *H. Willot,* Athenae Orthodoxorum sodalitii Francescani, Leodii 1598. *A. Witte,* S. P. Francisci Genealogia, Bruxellis 1627, 52. *L. Wadding,* Scriptores Ord. Min., Romae 1650. *Ioannes a S. Antonio,* Bibliotheca Franciscana, 3 voll., Madrit. 1732—1733. Giard. II 1 80. *H. Sbaralea,* Supplementum et castigatio ad Scriptores trium Ord. S. Francisci a Waddingo aliisque descriptos, Romae 1806. *Patrem* 7 127. *S. Dirks,* Histoire litéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance en Belgique et dans les Pays-Bas, Anvers 1885. *P. Feret,* La faculté de théologie de Paris et ses docteurs les plus célèbres, Moyen-âge, 4 voll., Paris 1894—1896. *A. G. Little,* The grey Friars in Oxford, Oxford 1892. — Cf. catalogos scriptorum singularum provinciarum.

Nihilominus maior pars theologorum ordinis illi magnorum temporis praeteriti magistrorum se adiunxit, qui magis ei placuit, quapropter *schola Franciscana* distingui solet in *antiquiorem,* cuius caput Alexander Alensis, praecipue vero Bonaventura erat, et in *recentiorem, progressui amicam,* quae incipiens a Scoto durante saeculo XV magis magisque aucta est, quamquam omnibus saeculis etiam asseclae S. Bonaventurae inveniuntur[1].

Alexander de Ales[2] (Doctor irrefragabilis, Theologorum patriarcha, † 1245), qui, cum esset magister in universitate, maxima famae celebritate gavisus est, mortuus quoque magnum in scientiam scholasticam influxum exercuit mediante sua *Summa theologica,* quae tam novitate dispositionis et methodi quam amplitudine scientiae eidem impensae maximam meretur admirationem. Ipsa enim est primum systema doctrinae ecclesiasticae de fide et moribus, in cuius compositione tota Aristotelis philosophia est adhibita tamquam adiumentum, quo speculatio theologica profundior fertiliorque reddebatur[3]. Quamquam *S. Bonaventura*[4] (Doctor seraphicus) Alexandrum tamquam patrem et doctorem scholae Franciscanae veneratus est, tamen a methodo magistri sui discessit, quatenus speculationem philosophicam relate ad tractationem mystico-asceticam veritatum religionis magis neglexit. Bonaventura, qui in numero scholasticorum Platoni comparatur, semper quidem admiratores incitatos invenit, immo Gerson eum omnibus doctoribus praefert, quia mentem illuminat simulque cor inflammat; nihilominus, proh dolor! adhuc quoque illis magistris annumerandus est, qui magis laudantur quam leguntur.

Idem non potest dici de *Ioanne Duns Scoto*[5] (Doctor subtilis). Ipse probabiliter in Anglia est natus, Oxonii scientiis incubuit, Parisiis anno 1304 doctoratum adeptus et Coloniae anno 1308 adhuc

---

[1] *Prosper de Martigné,* La scolastique et les traditions franciscaines, Paris 1888. *Evangéliste de S. Béat:* EF I (1899) 290 457 463.

[2] *J. A. Endres:* Des Alexander von Hales Leben und psychologische Lehre: Philos. Jahrb. der Görres-Ges. I (1888) 24. *Felder* 177. *Chevalier* 135.

[3] *H. Simar,* Die Lehre vom Gewissen in der Scholastik des 13. Jahrhunderts. I: Die Franziskanerschule, Freiburg 1885, 10.

[4] Opera omnia X. *Prosper de Martigné* 77. *Evangél. de S. Béat:* EF II (1899) 382; III 113; IV 5 105 225 337; IX 268. *Chevalier* 636.

[5] *J. Müller,* Biographisches über Joh. D. Scotus, Köln 1881. *Thad. Dermicius* [= Ant. Hiquey], Nitela franciscanae religionis, Lugduni 1627, 14. *René de Nantes:* EF VII (1902) 166. *Reinh. Seeberg,* Die Theologie des Joh. D. Scotus, Leipzig 1900. *P. Minges,* Ioannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica . . . proposita, exposita et considerata, 2 voll., Quaracchi 1908. *Chevalier* 1249.

iuvenis mortuus est. De valore positivo opinionum theologicarum, quas proposuit, genus futurum iudicabit, quando eius opera in cognitionem plurium venerint; attamen eius valor historicus iam clare patet, videlicet: acri sua critica vigorem scientiis theologicis a saeculo XIV ad nostra usque tempora ingessit. In omnibus fere sedibus litterarum cathedrae ad docendam et defendendam doctrinam Scotisticam exsistebant, quas non soli Minoritae ascenderunt; operum vero ad mentem Scoti conscriptorum versus 2000 numerantur. Haec fieri non potuissent, nisi homines docti cognovissent in eo ingenium extraordinarium, quod contra omnia impedimenta aestimationem sibi expugnat. Profecto enim Scotismi via rosis non erat consita.

Ingenium Scoti eo quoque patet, quod discipulos suos fertiliter et libere laborare docuit. Haeredes immediati scientiae eius non temere in verba magistri iurarunt — quod, proh dolor! postea saepissime factum est —, sed etiam ei contradicere ausi sunt, quotiescumque id necessarium esse putabant. Haec valent imprimis de maximo Scoti discipulo, *Guilelmo Occam*[1] (Doctor invincibilis, venerabilis inceptor), qui nominalismum acriter defendit. Multi quidem theologi ruinam scholasticae ab ipso incipiunt, utpote quia huius scientiae fundamenta impugnavit; sed non pauci philosophi et scientiarum naturalium periti ei principales partes in evolutione suae scientiae assignant. Priusquam accurata descriptio operum, quae Occam composuit, facta erit, difficile erit aequum de hoc viro iudicium. Historiae perito dubium non est, quin propter magnum influxum, quem exercuit, inter principes scientiarum ordinis numerandus sit.

Eadem absque ullo dubio dicenda sunt de *Rogerio Bacone*[2] (Doctor mirabilis, † 1294), discipulo *Adami de Marisco*[3] (Marsh; Doctor illustris), viri amplo ingenio praediti. Valor proprius Baconis non in mordaci critica, qua interdum etiam iniqua profert iudicia, inquirendus est, sed in mediis positivis, quae indicat, ut studia, quae graviter iacere putat, iterum ad florentem reducerentur statum. Affirmat enim cultum auctoritatis menti humanae quoad quaestiones pure scientificas indignum relinquendum esse, linguis antiquis incumbendum esse, ut explanatio sacrae scripturae totaque theologia stabile habeat

---

[1] *Feret* III 339. *Little* 224. *Chevalier* 3385.

[2] *E. Charles,* Roger Bacon, sa vie, ses ouvrages, ses doctrines, Bordeaux-Paris 1861. *S. Vogl,* Die Physik R. Bacos, Erlangen 1906. *Feret* II 329. Acta XVII 13 23 47 58 137. *Chevalier* 405.

[3] *R. Pauli,* Adam von Marsh und Bischof Grosseteste, Tübingen 1864. *Felder* 285. *Brewer* LXXVI 77.

firmamentum, scientias experimentales et mathematicas esse colendas, ne philosophica speculatio in aere haereat, sed fundamentum in rebus inquirat. Quis negare poterit futurum fuisse, ut scientiae multis erroribus manerent liberae, si durante saeculo XIII docti Baconis consiliis acquievissent?[1] Simul ipse expressis verbis inculcat scientiam non sibi ipsi esse finem, sed maiora intendere debere; omnem scilicet laborem scientificum ad philosophiam moralem dirigendum esse, quae pulcherrima sit scientia, quia ad bonum animae spectet. Etsi monitiones Baconis a theologis diu neglectae sunt, tamen eius ideae in scientiis naturalibus germinare coeperunt, quae de re Alexander v. Humboldt[2]: „Tempore medii aevi", ait, „Rogerius Baco maxime omnium excelluit in eis, quae immediate ad incrementum scientiarum naturalium et ad confirmationem earundem per mathematicam atque per experimenta contulerunt.... Gloriari potest influxum, quem in modum et methodum studii scientiarum naturalium exercuit, utiliorem et diuturniorem fuisse ac inventiones, quae ei maiori minorive iure ascribuntur.... A Clemente IV, Papa, adiutus et protectus, a duobus aliis, Nicolao III et IV, magiae incriminatus et incarceratus variam fortunam maximorum omnium temporum ingeniorum expertus est."

Praeter haec ingenia genuina ordo magnum produxit numerum doctorum, qui in historia scientiarum magna cum laude nominantur, quorum aliquos commemorabimus. *Richardus de Media Villa*[3] (Middletown, Doctor profundus, † ca 1300) non solum intra ordinem magnam sibi comparavit auctoritatem, sed etiam in concilio Constantiensi et Basileensi, ubi eius doctrina dogmatum probandorum causa allata est. *Ioannes Pecchanus*[4] († 1292), eius popularis, tanti valuit qua doctus, quanti qua Archiepiscopus Cantuariensis. Eadem fere dicenda sunt de *Odone Rigaldo*[5] (Eudes Rigaud), amico S. Ludovici regis, qui anno 1275 in officio Archiepiscopi Rothomagensis (Rouen) constitutus mortuus est.

Efficacitas *Francisci Mayronis*[6] (Mayron, † 1327), scriptoris multorum librorum, iam ad saeculum XIV pertinet. Ipse quoque *actum,* qui dicitur *Sorbonnicus,* introduxit, videlicet illas disputationes in universitate Parisiensi, quae per integrum diem durabant. *Petrus*

---

[1] *F. Picavet,* Deux directions de la théologie et de l'exégèse catholique au XIIIe siècle. S. Thomas d'Aquin et R. Bacon, Paris 1905.

[2] Kosmos II, Stuttgart 1869, 284.

[3] *Prosper de Martigné* 153. *Feret* II 379. *Chevalier* 3958.

[4] *Feret* II 313. *Chevalier* 3560. [5] *Feret* II 303. *Chevalier* 3972.

[6] Sbar. SS. 267. *Feret* III 323. *Chevalier* 3171.

Aureolus[1] (Auriol), eius aequalis, mortuus anno 1322 tamquam Archiepiscopus Aquensis (Aix), mediam inter Scotismum et Thomismum viam tenens, utramque partem sibi inimicam fecit, quo non obstante eius scripta per plura saecula auctoritate magna gaudebant et hodie denuo maioris fieri videntur[2]. *Gualterus Burlaeus*[3] (Burleigh, † ca 1340), discipulus et adversarius Scoti, Oxonii extraordinaria auctoritate gavisus est, quo factum est, ut educator Eduardi III regis eligeretur. *Petrus de Aquila*[4] († 1361), quia iuxta suum commentarium sententiarum late pervulgatum, quo doctrinam Scoti defendit, *Scotellus* vocatur, haud ambiguus erat Scotista. *Alvari Pelagii*[5] (Pelayo, † 1350) valor non tam in doctrina quam in libera abusuum ecclesiasticorum critica consistit et in defensione iuris ecclesiastici extremi, quod proponit in opere „De planctu ecclesiae".

Exiguus erat numerus praestantium theologorum durante saeculo XV. Praeter *Nicolaum de Orbellis* et *Stephanum Brulefer,* quos iam commemoravimus, nominari merentur *Guilelmus Vorilongus*[6] (Vorillon, † 1464), Gallus, et *Alphonsus Lopez de Spina*[7] († 1491), Hispanus, qui antea fuerat Iudaeus. Liber, quem contra Hebraeos composuit quique inscribitur „Fortalitium fidei", late pervulgatum est.

Sacram scripturam paene omnes theologi medii aevi *explanarunt,* qua in scientia praestiterunt: *S. Antonius Patavinus,* qui primam *Concordantiam realem sacrae scripturae*[8] disposuit, et *Ioannes Marchesinus Regiensis*[9] (Reggio, † ca 1300), qui dictionarium biblicum conscripsit, quod sub nomine *Mammotrectus* (Marmotret, Malmotretto) per totum medium aevum saepe est pervolutum. Utrumque *Nicolaus de Lyra*[10] (Doctor planus et utilis) superavit, cuius magna bibliorum postilla sensui litterali iterum auctoritatem comparavit contra sensum allegoricum, qui tunc temporis sacrae scripturae explanationem valde corruperat. Quanti haec postilla sit habita, iam eo patet, quod durante saeculo XV et XVI innumeris vicibus est impressa et tam a catholicis quam ab acatholicis eodem modo adhibita.

---

[1] Hist. litt. de la France XXXIII (1906) 479. *Chevalier* 386.
[2] Cf. *C. Prantl,* Geschichte der Logik im Abendland III, Leipzig 1867, 327.
[3] *Chevalier* 734. [4] Sbar. SS. 583. *Chevalier* 3686.
[5] *Feret* III 362. *Chevalier* 173.
[6] W SS. 157. Sbar. SS. 332. *Chevalier* 4719. [7] Sbar. SS. 27.
[8] *Vigouroux,* Dictionnaire de la Bible II 893.
[9] AF IV 523. Sbar. SS. 509.
[10] *Frete* III 331. *H. Labrosse:* EF XVI (1906) 383; XVII 489; XIX 41.

Inter *theologiae mysticae* peritos praeter *S. Bonaventuram* aliqui Minoritae Germani excellunt, velut ingenuus ille *David ab Augusta*[1] († ca 1272) eiusque aequalis *Lamprecht a Ratisbona*[2]; durante saeculo XIV *Otto a Passavio*[3] (Passau) et *Marquardus a Lindavio*[4] (Lindau); denique in decursu saeculi XV *Stephanus Fridelin,* quem iam commemoravimus tractantes de praedicatoribus (§ 44).

Subsidia practica durante medio aevo confessariis *Summae confessorum* subministrabant, quarum auctores paene omnes Dominicani et Franciscani erant[5]. Inter Summas a Minoritis conscriptas maximi habentur momenti: *Summa Monaldina* a Monaldo Dalmatino († 1332), *Summa Astesana* ab Astesano († 1330), *Summa Pacifica*[6] a b. Pacifico a Ceredano († 1482), *Summa Rosella* (Baptistiniana) a Baptista de Salis († ca 1490) et *Summa Angelica* a b. Angelo a Clavasio (Chiavasso) composita. Hoc opus ceteras Summas omnes submovit tantamque auctoritatem est consecutum, ut a Luthero anno 1520 simul cum corpore iuris canonici publice combureretur.

Cum hae Summae tantummodo ad usum sacerdotum essent destinatae, alii Minoritae libros ad instruendum aedificandumque populum conscripserunt. Maxima laude hac in re dignus est *Theodoricus Coelde,* qui circa annum 1470 librum ad modum catechismi dispositum sub nomine *Speculi christianorum* edidit, qui tanto populi plausu receptus est, ut ultra tricies sit impressus[7]. Hic catechismus, qui primus omnium in lingua Germanica conscriptus est, „tam simplicem, clarum et efficacem se praebet, ut hodiedum eodem cum successu possit adhiberi ac ante 400 annos“[8]. Eodem tempore alius ex Observantibus Germaniae inferioris, *Guilelmus a Gouda,* expositionem missae pro populo composuit, quae iam ante annum 1500 saltem decies sexies est impressa[9].

Ast non solum in diversis theologiae partibus Minoritae indefesse laborabant, sed etiam in aliis disciplinis notatu digna perfecerunt.

---

[1] *Lempp:* Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XIX (1898) 15. *E. Michael,* Geschichte des deutschen Volkes III 133.

[2] *Michael* III 148.

[3] *Eubel,* Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz 31.

[4] *F. Falk:* Histor.-polit. Blätter CIX (1892) 92. *T. Stettner,* Marquard von Lindau: Geschichte der Stadt Lindau, 1908.

[5] *Dieterle:* Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XXIV—XXVII.

[6] MF III (1888) 60; VII (1898) 19. Ad haec cf. *Dieterle:* Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XXIV (1903) 362.

[7] *Dirks* 18. [8] *Janssen,* Geschichte des deutschen Volkes I⁸ 38.

[9] *Dirks* 24.

Alexander de Villa Dei (Villedieu) circa medium saeculi XIII grammaticam latinam versibus conscripsit, quae vocatur *Doctrinale puerorum.* Hic liber versus trecenties impressus et ultra saeculum XV fere in omnibus scholis Europae adhibitus est [1]. Etsi traditur eundem Alexandrum etiam in scientiis mathematicis excelluisse, tamen comparari non potest *Rogerio Baconi* eiusque aequali *Ioanni Aegidio Zamorae,* intimo Alphonsi X, regis Hispaniae, qui amore scientiarum naturalium, cognitione linguarum et iudicio de quaestionibus theologicis tunc agitatis sibi nomen alterius Baconis acquisivit [2]. Eodem saeculo XIII in Germania superiori *Bertholdus Niger* [3] (Schwarz) eiusdem studii vir exstitit, qui arte sua et experimentis usum pulveris pyrii pro tormentis invenit. Denique commemoramus *Lucam Pacioli* († ca 1512), humanistam et scientiarum mathematicarum peritissimum, qui primus algebram in demonstratione geometrica adhibuisse et artem conficiendi libros rationum modo, quo accepta et expensa ad invicem bene disponuntur, ostendisse dicitur [4].

Quod attinet *historiam,* merita Minoritarum de *chronicis urbium* palam laudantur [5]. Patet de se multos fratres etiam *collationes ad historiam ordinis* composuisse. Descriptio horum operum huius libri ambitum longe excederet, quapropter sufficiat adduxisse insimul clariora nomina. Durante saeculo XIII floruerunt [6]: *Thomas a Celano, Iulianus a Spira, Thomas ab Eccleston, Iordanus a Iano, S. Bonaventura* eiusque secretarius *Bernardus a Bessa* et *Salimbene* [7]; inter Spirituales: *Angelus Clarenus* (§ 10) et *Ubertinus Casalensis* (ibid.). Saeculo XIV scripserunt *Nicolaus Minorita* (§ 13), *Arnaldus a Sarnano* [8], qui auctor chronicae 24 generalium fuisse videtur, et *Bartholomaeus Pisanus* [9]. Durante saeculo XV *Iacobus Oddi Perusinus* suum „Speculum ordinis" composuit, quod etiam *Franceschina* vocatur [10]; postea *Ioannes a Komorowo* (§ 22) et *Nicolaus Glassberger* [11] pretiosas chronicas conscripserunt; *Franciscus a Ledesma* vero in

---

[1] *Panfilo* II 524. *Chevalier* 144.

[2] Sbar. SS. 383. *Panfilo* II 607.

[3] *H. Hansjakob,* Der schwarze Berthold, Freiburg i. Br. 1891.

[4] Sbar. SS. 490. *Benoffi* 230. *Patrem* 132.

[5] *Koch* 85. *Heimbucher* II² 458.

[6] De his plura videri possunt in fontibus ad historiam S. Francisci spectantibus § 1.

[7] *E. Michael,* Salimbene und seine Chronik, Innsbruck 1889. Mon. Germ. hist. SS. XXXII.

[8] AF III. [9] AF IV.

[10] MF III (1888) 52. [11] AF II.

suis „Monumentis“, *Gerardus Zoethelme* in suo „Speculo“, et *Bonifatius a Ceva* in suis „Firmamentis“ fontes historicas maximi momenti collegerunt[1].

§ 59. Merita ordinis de artibus[2].

Actio Franciscana artibus quidem maximam fecunditatem indidit (§ 3), quod ecclesia S. Francisci et ecclesia Sanctae Crucis Florentiae apertissime demonstrant, attamen immediatus artium cultus ab ordine Minoritarum per se seiunctus erat. Nihilominus aliqui fratres inveniuntur, qui etiam in hac industriae parte ita praestiterunt, ut praeteriri non possint, velut *Mino Turrita* (Iacobus Torriti), qui mandante Nicolao IV magnificum illud et a multis laudatum composuit musivum in ecclesia Lateranensi[3]; *Philippus a Campello,* qui aedificationem ecclesiae S. Francisci perfecit et Assisii ecclesiam S. Clarae a fundamentis erexit[4]. Inter *pictores* praeter aliquos illuminatores librorum[5] nominari merentur: *Antonius a Monza* in secunda parte saeculi XV[6], praecipue vero *Henricus a Duderstadt,* qui anno 1424 in conventu Goettingensi magnificum opus pro altari confecit[7].

Multo maiora Franciscani exemplo sui fundatoris fideliter inhaerentes in *arte poetica* praestiterunt. Ipse S. Franciscus *Canticum fratris solis* cecinit (§ 3), quod primum habetur poema linguae vulgaris Italae, cui tempus originis cum certitudine potest assignari[8]. Simili modo eius discipuli de *lingua vernacula* diversarum nationum bene meriti sunt[9], quod praesertim de Italia valet, cuius litteratura nativa cum ipsis Franciscanis oritur[10]. Praeter fundatorem ordinis inter poetas excellunt frater *Pacificus,* „rex versuum“ a Friderico II

---

[1] Vide sub rubrica „Abbreviationes“ in introductione ad hoc opus.

[2] *E. G. Salter,* Franciscan legends in Italian art, London 1905. *Palomes,* Storia di S. Francesco II[8] 287 372. *Gebhart* 282. *T. Cassini,* Leggenda e Poesia francescana: Rivista d'Italia I (1898) 323. *A. F. Ozanam,* Les poètes franciscains en Italie au XIIIe siècle[6], Paris 1882. *A. Germain,* L'influence de S. François sur la civilisation et les arts[2], Paris 1903. *Thode* 382 430. MF IX (1902) 49. *Papini* II 180. *P. Eusèbe,* Le chant dans l'ordre séraphique, Paris 1900.

[3] *C. Mariotti,* Il Laterano e l'ordine francescano, Roma 1893, 94. Cf. *Patrem* 21.

[4] *Thode* 199. [5] *Eubel,* Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz 37.

[6] MF I (1886) 31. [7] *Lemmens,* Niedersächs. Franziskanerklöster 40.

[8] *Cassini* 324. *B. Labanca:* MF VI (1897) 193; VII 17. *N. Dal-Gal,* Il Cantico di Frate Sole, Roma 1908.

[9] *Dirks* x. [10] *Prudenzano* 336.

coronatus[1]; *Iacobinus* (Giacomino) *de Verona*[2], cuius carmina de inferno et paradiso multas relationes ad Divinam comoediam a Dante compositam continent; *Iacoponus de Benedictis a Tuderto*[3] (Jacopone Benedetto da Todi, † 1306), cuius versus culmen poeseos Franciscanae et laudum (lodi) spiritualium Italarum exhibent cuiusque vita ipsa fervens est canticum amoris divini, suavissimis his verbis desinens: Lamentor, quia amor non amatur[4]. Contemptu mundi et sui ipsius singularis, natura sua vehementi ultra quam decuit abreptus est, qua de causa a Bonifatio VIII incarceratus est, usquedum ab eius successore liberaretur. Hoc loco etiam nominari debet versio poetica Actuum beati Francisci (§ 2), quae *Fioretti*[5] inscripta maximi est momenti pro litteratura populi Itali.

In *Germania* poetis annumerantur frater *Lamprecht a Ratisbona* (§ 58) et *Henricus a Burgeis*[6] in Tirolo († ca 1300).

Inter poetas, qui *lingua latina* usi sunt, magnam laudem adeptus est idem Iacoponus de Tuderto praecipue propter sequentiam *Stabat mater dolorosa*. Carmen pro nativitate Domini, *Stabat mater speciosa*, praedictae sequentiae compar, eundem habuisse videtur auctorem[7]. In hoc tamen genere poeseos Tudertino *Thomas a Celano* non fuit inferior, quippe qui sequentiam S. Francisci *Sanctitatis nova signa* et vehementem alteram *Dies irae*[8] cecinerit. Utrique merito comparatur *Iulianus a Spira*[9] († 1250), qui officia rimata S. Francisci et Antonii conscribens maximus poeta liturgicus legendarum factus est. Hunc aemulatus est *Ioannes Pecchanus* pretioso suo officio rimato *De SS. Trinitate*[10]. Commemorari denique meretur elegia, quam *Bernardinus a Cingoli* de expugnatione Constantinopolis composuit[11].

Poetam *S. Bonaventuram*[12] quoque fuisse haud ambigue ex eius scriptis mysticis apparet. *Meditationes vitae Christi,* quae ipsi pridem

---

[1] *Umberto Cosmo:* Giorn. stor. d. lit. ital. XXXVIII (1901) 1. *Ozanam* 107.
[2] *Ozanam* 125. *Thode* 430.
[3] *Ozanam* 151. *Gebhart* 262. *Chevalier* 2299. [4] *Thode* 449.
[5] *L. Manzoni,* Studi sui Fioretti di S. Francesco: MF III—IX passim.
[6] *Michael* IV 229. [7] *Ozanam* 197.
[8] *F. Ermini,* Il Dies irae e l'innologia ascetica nel secolo XIII, Roma 1903. *A. Gastoué:* EF XX (1908) 399.
[9] *J. E. Weis,* Julian von Speier, München 1900. *Idem,* Die Choräle Julians von Speier, München 1901. *H. Felder,* Die liturgischen Reimoffizien Julians von Speier, Freiburg i. Br. 1901.
[10] *G. Dreves:* Analecta hymnica L (1907) 592.
[11] MF III (1888) 187.
[12] *Ozanam* 109. *Thode* 433 453.

sunt ascriptae quaeque certe Franciscanum habent auctorem[1], fons erant, ex quo non solum Iacoponus, sed etiam *piae repraesentationes scenicae* saeculi XIV et XV vivas dramaticasque descriptiones suas hauserunt[2].

Dante multum in ideis Franciscanis versatum esse dubium non est, demonstrari tamen non potest eum immediate a litteratura populari Franciscanorum dependere. Idem dicendum est de *Anticerbero* fratris *Bongiovanni a Cavriana*[3] (saec. XIII), cuius longum carmen, quod stilum Virgilii imitatur, christianos praemonere studet, ut caveant pericula instantia. Nihilominus notatu dignum est praeter filios poetae Dante primum, qui Divinam Comoediam commentariis auxit, Franciscanum fuisse, *Accursium de Bonfantini.* Primam quoque versionem Latinam eiusdem poematis mandante concilio Constantiensi *Ioannes Bertholdi a Serravalle,* Episcopus ex eodem ordine desumptus, composuit[4].

Veteres poetae Franciscani saèpe simul *cantus et musicae periti* erant. Notum est S. Franciscum summe dilexisse cantum, quem etiam medium esse putavit inflammandi corda populi ad amorem divinum (§ 3). Durante saeculo XIII inter cantores excelluerunt frater *Henricus Pisanus,* praecipue vero *Vita de Lucca,* cui Papa, Cardinales et Episcopi libenter auscultarunt[5]. Neque *frater leprosus* praetereundus est, qui tempore saeculi XIV in Germania vixit (§ 46).

Praeceptum regulae: quod clerici faciant officium divinum iuxta ritum Romanae ecclesiae, ad *cantum* quoque *liturgicum*[6] extensum est, quapropter omnia breviaria Minoritarum, quatenus manu scripta et notis illustrata ad nos pervenerunt, purum exhibent cantum Gregorianum, quem et ubique propagaverunt. Res pro historia artis musicae maximi momenti haec Franciscanorum studia comitata est, propagatio videlicet *notarum quadratarum,* quibus mox cetera melodiarum signa sublata sunt[7]. Nihilominus ordo progressum artis musicae non sprevit. Ita libenter liturgica officia rhythmica et rimata recepit, quae etiam artificiis auxit, quae venustate et nativa simplicitate sua inaudito gaudebant plausu[8]. Hoc loco nominandae sunt

---

[1] Opera omnia VIII cxii.

[2] *H. Matrod,* Les Franciscains et le théâtre au moyen-âge: L'Action Francisc. IV (1907) 65. *Eubel,* Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz 37 261.

[3] *F. Novati:* MF V (1890) 78 97 145; VI 16.

[4] *Panfilo* II 294. MF VI (1894) 57. [5] *Thode* 457.

[6] *Felder,* Geschichte der wissenschaftl. Studien im Franziskanerorden 429.

[7] *P. Wagner,* Neumenkunde (1905) 177. [8] *Felder* 439.

melodiae sequentiarum „Dies irae“ atque „Stabat mater“ et officia rimata Iuliani a Spira.

Quoad *theoreticam artis musicae tractationem* praeter scripta Rogerii Baconis nominandum est opus: „De quattuor principalibus, in quibus totius musicae radices exsistunt“ [1], quod tempore saeculi XIV a Franciscanis Oxoniensibus est editum. Versus finem saeculi XV eandem scientiam cum successu coluerunt *Bonaventura a Brescia, Petrus Canuzzi a Potenza* [2] et *Franciscus a Bruges* [3], de quo ceteroquin nihil est notum.

Clari quoque fabricatores *instrumentorum musicorum* inter Minoritas inveniuntur, velut circa annum 1500 *Dardelli a Mantua* [4], cuius violae et testudines magno habebantur in pretio; *Conradus Rottenburger* et *Leonardus Marcae,* clari aedificatores organorum, qui ambo ad Observantes provinciae Germaniae superioris pertinebant. Conradus Rottenburger maius organum monasterii Ulmensis (Münster von Ulm) construxit [5]. His inferior non est frater *Urbanus de Venetia,* qui ineunte saeculo XV magnifica organa pro ecclesia cathedrali Tarvisina (Treviso) et pro templo Venetiano S. Marci aedificavit [6].

Pars II.

Ab anno 1517 usque ad tempora nostra.

§ 60. Brevis totius epochae conspectus.

Etsi suppositis his omnibus, quae praecesserant, seiunctio facta anno 1517 non fuerat vitanda, bono tamen non poterat esse ordini. Nam ordo novus Conventualium melioribus ab eo membris in bonum Observantium separatis ita perniciosum acceperat vulnus, ut paulatim tantummodo consolidari iterum posset, nihilominus in dies ceteris familiis in ordine inferior exsistens tam numero quam vi auctoritatis, excepto tantummodo campo scientiae, in quo ad tempus primas retinuit partes.

Neque melior ex eo evaserat Observantiae status. Partim namque eius vis ac virtus religiosa longo cum Conventualismo conflictu ex-

---

[1] *Little* 241. [2] *Benoffi* 230. [3] MF III (1888) 32.

[4] *F. Fétis,* Biogr. univers. des musiciens II [2] 430.

[5] *Eubel,* Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz 36.

[6] *Fétis* VIII [2] 286.

asperata languescere coepit, non obstante quod obiectum controversiarum, reformatio scilicet ordinis, fuit ideale quid, siquidem controversiae religiosos inter ordines virtutum addiscendarum magistrae esse vix possunt; partim vero frequentes transitus singulorum ex Conventualibus ad Observantiam, immo aggregatio integrarum domorum vel provinciarum, etsi adaugebat numerum, tamen Observantiae regulari detrimento esse debebat. Impossibile enim erat tot elementa heterogenea subito assimilare, et sic mores inveterati novi sobolis fortiorem influxum habebant in Observantiam quam viceversa.

Accessit ad haec *institutum illud infaustum* anni 1517, quo decretum erat, ut ex utraque familia vicissim eligendus esset minister generalis; et hoc insimul cum pessimo cultu principii nationalitatis fatale revera accidit ordini. Ex hoc enim per saecula officio generalatus fungebantur Hispani vel Itali subiecti principibus Hispanis, quod necessario irritationem animorum in ceteris nationibus et alienationem a capite ordinis adduxit.

Magnum quoque attulit Conventualibus et Observantibus damnum *Reformatio* sic dicta saeculi XVI, in qua agmen novatorum subsecuta est pars fratrum, ceteri vero exsules a suis conventibus coacti sunt vivere vel dispersi in saeculo vel in conventibus alienis, ex quo necessario sequebatur laxatio disciplinae regularis. Ab hoc periculo novae congregationes intra et extra ordinem indemnes servatae facile gloriari poterant contra ordines antiquiores de stemmate suo immaculato, quod mirandum non est, quia familia sine historia talibus circumstantiis semper melius se habet, liberam se sentiens a pulvere terreno asperso cuicumque institutioni humanae historiam habenti. Iam hac ratione positio Observantium iniqua erat respectu novarum familiarum, Discalceatorum scilicet, Capuccinorum, Reformatorum et Recollectorum. Hucusque enim Observantes pugnaverant cum adversario, cui sine dubio superiores erant observantia regulari et disciplina religiosa, nunc vero ex adverso stabant aemulis partibus, quae in principio saltem sui originis maiorem severitatem vitae ostendebant regulamque S. Francisci se purius observare praetendebant, quare celeriter sectatores et admiratores invenerunt, eo vel magis, quia multae provinciae Observantium ex causis, quas iam notavimus, multum remiserant in disciplina regulari.

Ex his oritur quaestio, *utrum novae familiae revera intenderint ordinem, in specie Observantiam, reformare i. e. reducere ad severiorem observantiam legum iam latarum.* Quoad maximam partem iudicium de iure exsistentiae earum intra *ordinem S. Francisci* pendet ex

responsione ad hanc quaestionem. Observantes intendebant, ut breviter repetatur, reducere ordinem ipsum ad normam paupertatis in quantum possibile perfectam et ad observantiam disciplinae praescriptae, neque prius propriam constituerunt familiam, quam cognovissent se non posse in ordine ipso fines suos assequi. — Apud novas congregationes saeculi XVI invenimus talis studii aliquantulum apud Recollectos et Reformatos, Discalceati vero et Capuccini a principio non intenderunt exercere influxum aliquem in ordinem ipsum, studentes tantummodo constituere se ipsos tamquam familias sui iuris cum propriis modis vivendi. Convenerunt autem omnes hae congregationes in eo, quod valde incumbebant exercitiis asceticis *non* praescriptis a regula ipsa et studio differendi a ceteris per proprium vestiendi modum. Numquid haec intendebat S. Franciscus? Certe magis secundum eius spiritum erat earum studium strictius observandi paupertatem, in quo aliqui, e. g. Discalceati, eousque progressi sunt, ut ideas Spiritualisticas renovarent, nempe observationem regulae sine declarationibus Pontificiis. In hoc tamen celeriter remittebant, et remanebat ad summum mediocritas illa, cui melior pars Observantiae semper studuerat. Eo devenerant omnes familiae iam saeculo XVIII, etsi non concedebatur ab eis. Ideoque abhinc differentia inter familias non erat nisi in vestitu et consuetudinibus propriis, quo facto historia Observantibus satisfactionem dedit, demonstrando vitalitatem principiorum ab eis positorum.

Estne supposita hac evolutione ortus harum novarum congregationum dolendus? Historice loquendo difficile est ad haec bene respondere. Nam ex una parte obcaecati revera deberemus esse, si illam grandem industriam et efficacitatem non agnosceremus, quam explicaverunt praesertim Discalceati et Capuccini, ex altera vero parte bene potest quaeri, utrum viri isti illustres non tantundem praestiterint remanentes apud Observantes, quia nullo modo demonstratur magnum eorum influxum et efficentiam pendere tantummodo a proprietatibus suae congregationis specificis. Alioquin minime esset comprehendendum, quomodo Observantia viros potuerit producere, qui respectu explicationis spiritus Seraphici cuiusque generis nullimode superantur a maximis viris congregationum reformatarum, immo quomodo semper in missionibus ita potuerit laborare, ut nulla novarum congregationum eius laudes sit assecuta.

Verumtamen etiam concesso futurum fuisse, ut pars boni, quod novae congregationes attulerunt, non esset facta, casu quo se constituere non potuissent, certum nihilominus est *neque tantum mali posito hoc or-*

dinem fuisse passurum. Reformationes in decursu temporum omnibus societatibus necessariae sunt, sive hae reformationes consistant in renovatione spiritus pristini sive in evolutione instituti adaptata circumstantiis mutatis, quas si vera regeneratio totius societatis sequitur, de iure et laudabiliter fieri dubium non est. Si autem hoc non evenit, immo neque intenditur, tunc oriuntur in eodem ordine diversae partes, quae minus per honestam aemulationem invicem ad bonum provocant, quam per odiosas rixas invicem infestantur, quae didicimus ex historia diversorum ordinum religiosorum neque quoad minimam partem ex historia fundationis S. Francisci. Quicumque sine praeiudicio eiusdem evolutionem internam a saeculo XVI usque ad XVIII prosequitur, taedio afficitur sequelis factionum istarum, non obstante multorum bene et probe gestorum, quae videt. Ideoque iam ineunte saeculo XVII ex ordine ipso desiderium unionis se manifestavit[1].

Non intendimus hic pensare magnitudinem culpae unius familiae ad alteram, quae omnes quasi eodem modo culpabiles invenirentur, neque praetereundum est omnium harum factionum et contentionum semper expertem fuisse maiorem fratrum numerum, qui ad summum fanatici erant facti per aliquos agitatores. Apud omnes separationes fere sine exceptione primas egerunt partes homines inquieti et ambitiosi, qui reformationem suam incipiebant postulando exemptionem maiorem vel minorem ab obedientia erga suos superiores legitimos. Hac in re, proh dolor! saepius invenerunt protectionem principum saecularium et ecclesiasticorum, qui eis sub specie vitae austerioris breve quoddam Apostolicum comparaverunt, quo consequebantur suum intentum. Hoc peracto colligebant socios, quorum tamquam „venerabiles inceptores" superiores esse sibi arrogabant et sic se dabant ad seditionem contra ministrum generalem, qui necessario vetans secessionem talem interdum quidem consequebatur reunionem illorum cum ordine, saepius vero succubuit potentibus novatorum protectoribus. Postea nova societas studebat sese diffundere undique recipiendo conventus, ut ceteris in ordine familiis par esse posset. Neque ius exsistentiae datum per breve Apostolicum eis sufficiebat, sed demonstrare illud ulterius quaerebant per ostensionem maioris severitatis religiosae, per maiorem vestium cum habitu S. Francisci conformitatem et non raro per maiorem scientiarum contemptum.

---

[1] *Bonitus Combasson*, Vera et dilucida explicatio praesentis status totius seraphicae fratr. Min. religionis, Coloniae 1641. 24 74. Cf. Sbar. SS. 183.

Consequentia naturalis erat, ut apud multos fratres omnium familiarum *spiritus sancti patris Francisci in superficie solummodo et externa specie remaneret.* Cumque congregationes antiquiores eisdem armis ac novae sese defenderent — erant quippe in oculis vulgi potentiora —, ideo orti sunt *multi libelli* de quaestionibus similibus ut: Quis portat verum S. Francisci habitum? quae familia immediate ab eo oritur? ubi inveniuntur eius veri filii? cui competit praecedentia prae ceteris? quaestiones, quarum positio sola iam dedecori est Fratri Minori, etiamsi minori invidia et stultitia fuissent decisae quam revera factum est. Quanto longius discederent a spiritu S. Francisci, a vera imitatione Domini in paupertate et sincera humilitate, in profundissimo amore Dei et proximi, tanto magis exteros movere studebant iactatione circulatoria rigorositatis externae et propagatione omnis generis devotionum externarum. Defectus institutionis scientificae apud magnam ordinis partem in dies magis erumpens evolutionem modo designatam valde adiuvit.

Tales erant *fructus factionum* sese manifestantes terribili paene modo, praecipue saeculo XVIII, tempore quo totus ordo culmen evolutionis externae attigerat. Plenus erat mundus Minoritis, sed in honore multis in locis parum habebantur, non obstante statu optimo aliquarum provinciarum ac missionum. Libelli famosi contra ordinem augebantur, et sinceritas nos cogit confiteri eos quoad partem ab ordine ipso esse provocatos. Rationalismus tunc vigens rem vertit in peius, usquedum in *rebellione Gallica* eiusque sequelis triumphans ordinem paene totum deleret.

Providentia tamen non decreverat perniciem fundationis S. Francisci. Labore indicibili coepta est restauratio eiusdem atque non obstantibus multis saecularisationibus saeculi XIX ita bene perfecta, ut totus ordo Minorum modo sit longe numerosissima omnium societatum religiosarum. Magistra historia simul didicerant fratres non esse bonam separationem in multas familias, quare anno 1897 Observantia et strictior Observantia, Reformati scilicet, Discalceati et Recollecti, quarum singulae sub eodem quidem ministro generali constitutae erant, sed proprias leges sequebantur, unitae sunt totaliter sub nomine *Ordinis Fratrum Minorum.* Utinam saeculum XX unionem fratrum adhuc separatorum, Capuccinorum et Conventualium, perficiat, non via unionis vi peractae, sed via persuasionis solidae hanc exigi a bono ordinis et ecclesiae!

I. Ordo Fratrum Minorum (Franciscani).

Caput I.

Historia de interna ordinis evolutione.

Sectio I.

Epocha novarum reformationum intra Observantiam ab anno 1517 usque ad finem saeculi XVII.

§ 61. De primis quinque ministris generalibus post ordinis separationem. 1517—1535[1].

Christophorus Numai, novus minister generalis, non obstante quod resistebat, iam post mensem creatus est Cardinalis. Nihilominus gubernacula ordinis tenuit usque ad capitulum generale Lugduni celebratum anno 1518, in quo doctus ille *Franciscus Lychettus* (Lichetto) electus est. In hoc capitulo facta est nova circumscriptio provinciarum (cap. 2), quae necessaria evenerat per seperationem anni praecedentis, simulque decretum est, ut, ubicumque essent in eadem civitate duo conventus eiusdem provinciae, unus cum beneplacito Apostolico traderetur alio ordini in possessionem vel simpliciter relinqueretur. Dolendum est, quod hoc decretum bono ordinis tam proficuum non sit exsecutum aeque ac illud alterum, nemini licere ab hac sententia capitulari ulterius appellare. Pro causis ad ordinem spectantibus secundum intentionem S. Francisci summa instantia est quidem minister generalis vel capitulum generale, attamen, sicut hac in re, ita et saepius quam aequum est, negligebatur haec norma, praesertim ab eis, qui se meliores filios sancti fundatoris esse gloriabantur. Denique in eodem capitulo factae sunt *constitutiones illae uniformes*[2] indicatae a bulla unionis, quae tam in externa compositione quam in eo, quod continent, valde accedunt ad constitutiones Barchinonenses, qua probabiliter de causa non sunt receptae a familia cismontana.

Lichettus qua minister generalis omnes vires suas posuit in stabilienda Observantia. Minus curans incrementum externum quam confirmationem Observantiae in se ipsa, severe exigebat, ut Conven-

---

[1] W XVI 60. Chron. I 234. Gub. I 199; III 238. *Marczic* III 99.

[2] Abbreviatio statutorum tam papalium quam generalium auctoritate apostolica facta in Conventu divi Bonaventurae civit. Lugdun. in capitulo generali totius Ordinis S. Francisci anno D^mni^ 1518 . . . celebrato. S. a. s. l.

tuales eorumque provinciae corpori Observantiae se adiungentes renuntiarent omnibus suis privilegiis, et vetuit conventus novos recipi sine speciali a se data licentia. Fratribus zelantibus pro reformatione provide quidem favebat fundando domus recollectionis (sectio II) nihilominus vituperabat eos, qui conventus maiores a Conventualibus receptos relinquere intendebant. Indefesse quoque laborabat in visitatione provinciarum Italiae, Germaniae et Austriae, qua occasione semel in spatio unius anni 72 guardianos deposuit ab officio, nulla alia de causa, quam quia infirmorum non sufficientem gesserant curam, severe quoddam factum eo magis notandum, quia contrarium videtur eius symbolo „superioribus magis esse opus patientia et longanimitate quam subditis“.

Viro hoc praeclarissimo defuncto electus est *Paulus a Soncino,* qui iam post duos annos e vita decessit. Generalatus officium ab anno 1517 a tribus Italis gestum erat, qui insimul per sex annos regnaverant. Secundum verbum ac litteram bullae unionis minister generalis vicissim eligendus erat ex familia cismontana et ultramontana, supposita duratione officii per sexennium. Maior ordinis pars censuit sexennium hac in re maioris esse momenti, Hispani vero insistebant in mutatione nationalitatis, ideoque secundum eorum sententiam iam anno 1518 minister generalis Hispanus debuit eligi. Cumque bella inter Hispaniam et Galliam eo tempore orta visitationem Iberiae ex parte commissarii generalis (tunc temporis Galli) Gilberti Nicolai redderent impossibilem, postularunt Hispani anno 1520 proprium commissarium nationalem, qui eis concedebatur anno 1521, etiamsi eodem anno Quiñones Hispanus constitutus erat commissarius generalis familiae ultramontanae. Hoc facto agnitum erat perniciosum illud principium nationalitatis, quod iam anno 1526 totum ordinem pervaserat (cap. 3).

In capitulo generali Burgis (Burgos) anno 1523 congregato electus est *Franciscus de Angelis (Quiñones),* qui severe in schola *Ioannis de Puebla* educatus ubique pro disciplina regulari zelabatur et extensionem missionum atque profectum domorum recollectionis adiuvabat. Utrum nova statuta, quae voluit mitti ad omnes provincias[1], eadem sint ac statuta anni 1518 necne, ignoramus; certum tamen est eum non sperasse multum boni de eis, dicentem non deesse leges, sed observantiam earum eiusque rei culpam inquirendam esse apud superiores[2]. Postquam omnes Hispaniae pro-

[1] Chron. I 253. [2] BD V 145.

vincias visitavit multosque Conventuales ad Observantiam reduxit, Italiam petiit propter pestem et bellicos tumultus (Sacco di Roma) miserrimis in circumstantiis exsistentem. In capitulo Assisiensi anno 1526 abolevit statutum, quod unusquisque, qui „breve tangens statum ordinis“ sibi procuraret, graviter puniretur et ex ordine eiceretur, timens, ne ex huius statuti exsecutione separatio aliqua oriretur.

Dolendum est, quod huic ministro generali non licuerit totam suam vim ac laborem in bonum ordinis conferre, quippe qui a Pontifice ad graves legationes politicas destinaretur. Rebus sic stantibus Franciscus de Angelis officium suum esse putabat renuntiare ministerio, id quod tandem a Pontifice acceptatum est una cum iure nominandi beneplacito proprio vicarium generalem usque ad proximum capitulum. Quia vero tale factum contrarium erat constitutionibus ordinis simulque timendum, ne ansam praeberet et aliis similiter faciendi, commissarius generalis familiae cismontanae protestando assecutus est, ut vicarius ita constitutus denuo eligeretur.

Hic vicarius *Paulus Pisottus* (Pisotti) anno 1529 electus est successor Francisci de Angelis, qui interea creatus erat Cardinalis. Novus minister generalis dissimilem se praebebat in omnibus suo antecessori. Iam eius vita inconveniens erat Fratri Minori, de quo iudicat Waddingus: „Ita inter nos incessit, quasi ex nobis non esset.“ [1] Multo tamen magis ad amaritudinem provocabat suos subditos gubernando violenter et iniuste, praesertim respectu fratrum Observantiae studentium et respectu familiae ultramontanae, maxime vero respectu Hispanorum. Hac de causa factum est, ut oppositio inter utramque familiam ita invalesceret, ut vocales ultramontani contra voluntatem ministri generalis congregationem generalem Tolosae (Toulouse) anno 1532 celebrarent ibique independenter resolutiones facerent, quas ipse minister superveniens irritas facere amplius non valeret. Laudari tamen meretur eius studium inducendi provincias Franciae, quae olim Conventualibus adhaeserant, ad resignationem possessionum et privilegiorum contra regulam concessorum. Indigebant etiam praesertim hae provinciae cura ministri generalis, quia in eisdem etiam post unionem continuabantur contentiones, quae veram et plenam unionem animorum respectu paupertatis ab Observantibus exactae non admittebant [2].

---

[1] W XVI 303 324 342.

[2] Recueil d'aucuns brefs et bulles de SS. Pères, lettres patentes et closes des roys . . . concernants la réformation de l'ordre de S. François en France, Paris 1629. Documenta haec pertingunt tantummodo usque ad annum 1523.

Neque minus Paulus Pisottus inhabilem se praebuit in solutione quaestionis maximi momenti versantis *circa legislationem uniformem pro utraque familia,* quae necessaria evenerat, postquam constitutiones anni 1518 non sunt receptae. In capitulo Parmae anno 1529 coacto imprimis *statuta pro familia cismontana* condita sunt[1], nihil aliud continentia quam constitutiones Martinianas inordinate dispositas et pauca capitula constitutionum Benedictinarum et Farineriarum adiectis decretis S. Ioannis Capistrani et ultimorum capitulorum generalium. *Familiae* vero *ultramontanae* concessa est licentia retinendi statuta Barchinonensia, quae tamen patres eiusdem familiae Tolosae anno 1532 in novam redegerunt formam[2]. Itaque neque in rebus maxime necessariis unio in ordine perficiebatur omniaque remanebant, sicuti erant prius, immo versa sunt in peius, cum anno 1533 permitteretur, ut provincia Franciae solis constitutionibus Martinianis uti posset, quia adhuc leges in toto ordine uniformiter receptae non adessent et constitutiones iam factae non servarentur[3].

Quantum detrimentum haec differentia in rebus fundamentalibus ordini necessario attulerit, maxime apparet in quaestione fatali de *syndicis Apostolicis*[4], quae eodem tempore denuo acriter agitabatur. Familiae enim cismontanae receperant syndicum secundum intentionem Nicolai III, Martini IV et Martini V, cum econtra in ultramontana familia multi tantummodo modum severiorem syndici Nicolai III admitterent. A principio igitur saeculi XVI haec differentia facta est materia contentionis inter Observantes et Reformatos, qui (scil. Reformati) syndicum Martini IV et Martini V reiciebant tamquam contrarium regulae S. Francisci. Hoc in ultima analysi erat unicum *legitimum* punctum, in quo Reformati Observantes severitate in quaestione paupertatis et in causa observantiae regularis superabant. Theoretice loquendo syndicus Martinianus certe fratribus maiorem facilitatem agendi permisit, attamen quaestio non est de theoria, sed de praxi. Egeruntne fratres omnium reformationum in casu recursus *per longum tempus* alio modo ac fratres Observantes? Minime, sed simul cum adversarii syndici Martiniani iuxta regulam ad amicos Spirituales recurrerent (quod factum est subito apud omnes), *practice*

---

[1] Ordinationes fratrum Minorum, Venetiis 1529.

[2] Statuta generalia familiae cismontanae (scil. ultram.) O. M. Reg. Observ., quae olim Barchinonensia dicebantur, a familia Patribus . . . adamussim emendata in Cap. Gli Tolosano anno 1532 celebrato, Monachii 1584. [Pars libri sine paginis quod principaliter inscribitur *Regula* fratr. Min., item Statuta.]

[3] W XVI 341. [4] Gub. I 511.

tota differentia posita erat in eo, quod Observantes syndicum Apostolicum simul amicum spiritualem habebant, Reformati vero utramque proprietatem seorsim spectabant.

Attamen ideae non satis ad claritatem evectae saepe vehementissime defenduntur, quod factum est hac quoque in re. Observantes transgressionis regulae arguebantur, usquedum Clemens VII anno 1530 declararet syndicum Martinianum cum sincera regulae observantia compatibilem esse. Neque hoc totaliter abstulit litem, quare postea Paulus III anno 1555 eandem declarationem repetere coactus est iterumque saeculo XVII ad finem vergente Innocentius IX et XII. Eodem vero tempore iam aliqui fratres reformati, e. g. clarus ille *Petrus Marchant*[1], viriliter pro Observantibus steterunt, cum doctissimus *Gubernatis*[2] iussu Cardinalis protectoris pro causa desperata Reformatorum dimicaret.

§ 62. A depositione Pauli Pisotti usque ad publicationem constitutionum Vallisoletanorum. 1535—1593[3].

Taedium de perversa agendi ratione Pauli Pisotti sensim sine sensu eousque devenerat, ut Pontifex illum suspendi ordinemque per duos vicarios generales gubernari iuberet[4], quo facto permotus ipse minister generalis suam resignationem promisit, ast tantummodo in manus fratrum iure vicarium eligendi gaudentium. *Leonardus a Publicio* hac electione constitutus vicarius officium gerebat usque ad capitulum Niciense anni 1535 (Nizza), in quo factus est minister generalis *Vincentius Lunello.* Hic fratribus exemplo praelucebat intemeratae vitae, fautor exstitit fratrum observantiae studiosorum magnamque operam missionum incremento navavit. Dignitates ecclesiasticas in mercedem legationum pro Pontifice susceptarum ei oblatas constantissime recusans mortuus est anno 1550 Tridenti, ubi pro concilio strenue laboraverat. Eodem loco mortuus erat ante tres annos eius successor in generalatu, *Ioannes Maltei a Calvi,* electus in capitulo clarissimo Mantuae anno 1541 celebrato. Saepe et ipse tamquam

---

[1] *P. Marchant,* Relectio theologica et litteralis de legitima institutione, usu Syndicorum . . ., Antverpiae 1648. Cf. *Antonius Cordubensis,* Expositio regulae fratr. Min., Lovanii 1550, fol. 142, et *A. Matthaeucci,* Schola paupertatis . . . pro praxi aptata, 2. editio a *Bern. Monterde,* Procur. G[li] Ordinis, Romae 1731.

[2] *Dom. Gubernatis,* Umbra illuminata . . ., Romae 1687.

[3] W XVI 387; XVIII—XXII. Chron. I 266. Gub. I 224; III 282. *Marczic* III 112.

[4] W XVI 342.

legatus Pontificis pacem inter principes facturus mittebatur, nihilominus omne tempus, quod ei supererat, consumpsit in assidua visitatione provinciarum, studens in hoc negotio praecipue illam deordinationem eradicare, qua plerique fratres sibi procurabant aliquod breve eximens eos ab oboedientia erga superiores et favens vagationi in saeculo. Neque deerat huic labori successus, nam per decretum Pontificis abolitus est hic abusus [1], etsi non in perpetuum.

Ioannem Maltei aemulatus est *Andreas Alvarez* dictus *Insulanus* a domo recollectionis S. Mariae de Insula in Lusitania, cuius membrum antea fuerat. Capitulum Assisiense, in quo anno 1547 est electus, expressis verbis retinuit diversitatem constitutionum pro utraque familia, ea tamen conditione, ut omnes provinciae pertinentes ad eandem familiam reciperent easdem constitutiones. Econtra *color habitus* pro omnibus fratribus praescriptus est *griseus,* similiter et vetita est barba.

Ulterius progressum est capitulum Salmanticense anno 1553, incitante praesertim ministro generali *Clemente Dolera a Moneglia.* Ibidem pro *familia cismontana* nova statuta, distributa in 12 capitula, exarata sunt, quae communiter audiunt *constitutiones Salmanticenses* [2], interdum vero etiam Menelianenses. Litterae encyclicae, quibus Clemens Dolera anno 1554 haec statuta publicavit, tristem proponunt statum familiae cismontanae, saltem si haeremus in verbis ac litteris, quae quidem sine dubio desumpta sunt ex litteris S. Bonaventurae ad ordinem directis. Attamen neque per haec statuta diversitas legum in ordine est sublata, quia familiae ultramontanae licebat uti etiam imposterum constitutionibus Barchinonensibus, etiamsi intentum erat eam obligare ad observationem constitutionum Salmanticensium [3].

Clemens Dolera huic quaestioni ulterius incumbere non potuit, quippe qui iam anno 1557 creatus sit Cardinalis. Etiam *Franciscus Zamora,* eius successor, aliis rebus operam navare debuit. Defendendus enim erat ordo contra eos, qui visitatores extraneos ei imponere conabantur et contra aliquos patres concilii Tridentini, qui proprietatem „in communi“ pro omnibus ordinibus inducere volebant [4]. A concilio denique decretum est [5], ut Capuccinis et Observantibus regulam suam eodem modo ac antea sequi liceret.

---

[1] W XVIII 215 410.

[2] W XVIII 265. Gub. III 302. Chron. I 282. Statuta generalia cismontanarum partium Ord. S. Francisci reg. observ. per Iulium III approbata, Venetiis 1554.

[3] W XXI 181. Chron. I 323 326.

[4] W XIX 406. [5] Sess. XXV de reg. c. 3.

Interim capitulum Vallisoletanum (Valladolid) anno 1565 reassumpsit quaestionem de legislatione uniformi, quin tamen aliquid hac in re consecutum sit. *Aloysius Puteus* (Pozzo) minister generalis in hoc capitulo constitutus magnum vidit ordinis incrementum, cum iussu Pontificis Amadeitae, Clareni (§ 26) et Conventuales Hispani Observantibus annumerarentur, immo iam spes affulgeret in proximo hos duos ordines iterum fore unitos [1]. Eodem gubernante posita sunt fundamenta basilicae super Portiunculae sacrarium aedificandae. Multum ipse passus est calumniis a suis in ordine adversariis ad Summum Pontificem delatis. Pius vero V per commissarios a se in singulas provincias directos de innocentia ministri generalis certior factus decrevit, ut in omnibus provinciis cismontanis poenae causa fratres extranei ad provincialatus officium assumerentur, quae tamen dispositio, etsi pro aliquibus provinciis esset necessaria, non diu permansit.

Christophorus de capite Fontium (a Cheffontaines) anno 1571 minister generalis Romae electus optime prosecutus est intentiones Pontificis visitando cum diligentia provincias reformatione egentes [2] et protegendo ordinem contra aliquos protectores Cardinales, qui negotiis ordinis cum eiusdem damno arbitrarie se immiscebant. Ne ordinationes a se datae efficacia destituerentur, curavit fieri breve Apostolicum, quo omnibus fratribus severe interdicitur, ne ad personas saeculares contra dispositiones superiorum recurrant [3].

Eodem zelo pro ordinis bono ardebat eius successor *Franciscus Gonzaga* [4], electus Parisiis anno 1579 adhuc iuvenis 33 annorum. Statim ac officium susceperat, misit ad ordinem graves litteras encyclicas [5], in quibus superiores laxationis disciplinae reos declarat incitatque ad favorem erga fratres reformationi studiosos, ad aestimationem vitae communis et ad cultum orationis atque litterarum. De paupertate tractat eius altera encyclica [6] ad provincias Italiae anno 1582 missa, in qua respectu legatorum, fundorum et proventuum

---

[1] W XX 56 179 452 461.

[2] W XX 538; XXI 498 531. *K. Schellhass,* Der Franziskanerobservant Mich. Alvarez und seine Ordensklöster in den Provinzen Österreich, Straßburg, Böhmen und Mähren im Jahre 1579, Rom 1903. *Idem,* Akten zur Reformtätigkeit Felic. Ninguardas während der Jahre 1572—1577, Rom 1903.

[3] W XXI 476.

[4] Vita del V. Francesco Gonzaga, Min. generale dell' ordine dei Frati Minori, Vescovo di Mantova, Roma 1906.

[5] W XXI 182. BD V 176. [6] W XXI 371.

annorum stricte statum Observantiae retinet. Statuit in eadem, ne fratres curati, vel quocumque alio modo beneficiati, ideoque dispensati a rigore paupertatis, susciperentur ad officia ordinis [1] et ut conventus a Conventualibus recepti, qui hucusque retinuissent bona stabilia, eadem resignarent. Hac in re, aeque ac in multis aliis, ministro generali provinciae Galliae, praesertim magnus ille conventus Parisiensis valde molesta erant. Conantes enim impedire omni modo reformationem eousque pervenerunt, ut appellarent ad senatum regni, praetendentes Gonzagam velle tantummodo Gallos replere spiritu Hispanis et Italis conformi. Quibus ille respondit: „Minime, sed spiritu regulae S. Francisci conformi", simulque eis libertate Apostolica transgressiones suas exprobravit [2], quo facto ad tempus saltem res ad meliorem statum evectae sunt. Deordinatio in legislatione exsistens etiam sub hoc ministro se manifestasse ex decreto congregationis generalis Toletanae anni 1583 patet, quo provinciis Galliae et Belgiae, quae utebantur constitutionibus Barchinonensibus, concessum est statuta in unaquaque provincia consueta simul cum decretis capitulorum generalium sequi, supplentibus tantummodo Barchinonensibus, ubi haec deficerent. Hoc facto unitas in ordine certe non proficiebat.

Fortasse zelo Francisci Gonzaga ascribendum est, quod Sixtus V Capuccinos ceterasque partes ordinis reformatas cum Observantibus unire conatus est [3] — vanus certe labor, quod iam antea expertus erat Paulus V. Officio laboribus pleno functus Gonzaga secessit in solitudinem, alterum, uti aiebat, suscepturus novitiatum. Constanter recusabat dignitates ecclesiasticas ei oblatas, usquedum cogeretur accipere sedem Episcopalem Mantuanam, in qua mortuus est famam sanctitatis relinquens.

Franciscus Tolosanus (Tolosa), eius successor, eandem institit viam. Ut redderet securum sibi successum, *nova statuta pro familia cismontana* [4] edidit in capitulo Neapolitano. Quae distributa in 50 capitula continent multitudinem praeceptorum; ceterae tamen leges non sunt abolitae. Immo secundum intentionem capituli generalis respectu statutorum antea editorum appendicis loco habenda erant, unde evenit, ut non diu valerent.

---

[1] Gub. III 363 369.

[2] W XXI 299 301 361. *[Magister Yvo,]* Ocularia et manipulus fratrum Minorum licentia Ministri generalis Francisci Gonzaga excerptus, Paris. 1582, Appendix.

[3] *Rapine* 540. [4] Gub. III 374. Chron. I 343.

§ 63. A tempore constitutionum Vallisoletanarum usque ad tempus constitutionum Segoviensium. 1593—1621[1].

Minister generalis *Bonaventura Secusi a Caltagirone* electus anno 1593 Vallisoleti necessitatem reformationis in ordine praesertim quoad Italiam et Galliam bene cognovit, quin tamen leges a suo successore latas censeret aptas ad hunc finem. Itaque in hoc capitulo pro *familia cismontana* omnes constitutiones a capitulo Salmanticensi anni 1583 usque ad Vallisoletanum anni 1593 datas denuo ordinari curavit, quae publicatae anno 1594 vocari consueverunt *statuta Vallisoletana*[2], rarius etiam collectio Calatahieronensis. Ipsa abolentia reliquas constitutiones omnes saltem pro familia cismontana uniformitatem iuris attulerunt. Se ipsa praesentant tamquam „opus omnibus numeris absolutum“ idque iure, quia bene sunt ordinata sequentia textum regulae, et quasi semper fontem iuris ostendentia, ex quo haustae sunt singulae leges. Volumine superant longe omnes constitutiones antea latas, non exceptis Alexandrinis.

Quia Secusi saepe adhibebatur a Pontifice legatus, ideo ei non licuit totam suam curam in ordinem convertere, nihilominus quantum potuit fecit, ut Observantes ad meliorem observantium regulae, Reformati vero ad concordiam cum ceteris inducerentur. Capitulum generale indictum pro anno 1599 a Pontifice remissum est ad annum sequentem, non obstante, quod vocales iam congregati erant in Italia, quia minister generalis in causa Pontificis absens ad capitulum venire non poterat.

Anno 1600 Romae electus est *Franciscus Sousa* Toletanus, qui multum laborabat, ut supprimeret studia separationis gliscentia apud Discalceatos. Ipse ex causis adhuc ignotis procuravit sibi declarationem Pontificiam, qua superioribus licebat dispensare a praeceptis regulae, ita ut in casu transgressionis poena statuta luenda quidem esset, peccatum tamen non committeretur. Patet ex hoc eum auferre voluisse declarationem Clementis V de praeceptis regulae sub gravi obligantibus, quae ideo imposterum non plus valuissent quam praecepta in regulis aliorum ordinum. Attamen illud edictum non est publicatum, quia timebant[3], ne fratres negligentes ea abuterentur,

---

[1] W XXIII 95; XXIV. Chron. I 361. Gub. I 241; III 397. *Marczic* III 142.

[2] Gub. III 413. Chron. I 366. Statuta, Constitutiones et Decreta generalia fam. cismont. ex decret. Gen. Cap. Vallisoletani 1593 celebrati restituta, Placentiae 1596.

[3] Gub. I 242.

immo capitula sequentia firmiter asseverarunt se in declarationibus Nicolai III et Clementis V permansura esse neque admissura dispensationem aliquam a regula.

Minime vero intelligenda sunt ea, quae capitula generalia anni 1600 et 1603 relate ad constitutiones ordinis decreverunt. Provinciis Galliae et Belgiae licentia erat data retinendi statuta Barchinonensia, ut excluderetur illa crebra legum mutatio, quae certe Observantiae prodesse non poterat. Quare igitur pro familia cismontana non continuatus est ex eadem ratione valor codicis Vallisoletani? Causa novae mutationis inveniri non potest, verum tamen est anno 1600 iterum inductas esse constitutiones Salmanticenses anni 1553, etiam quoad paragraphum de praecedentia, quae modo apud Fratres Minores maioris ponderis incipiebat esse. Econtra congregatio generalis Romana anni 1603 ordinavit, ut respectu praecedentiae servarentur statuta Vallisoletana, ceteroquin autem constitutiones Salmanticenses „peradditis illis, quae postea sunt ordinata“. Si unquam, certe hic valebat accusatio: „Quotidiana legum multiplicatio aut corruptam aut male administratam arguit rempublicam“ [1], neque mirandum est, si hisce in temporibus provincia quaedam deliberavit, utrum nova decreta generalia, etsi a Pontifice approbata essent, acciperet necne [2].

Cautius procedebat capitulum generale Toletanum anni 1606, imponendo familiae cismontanae iterum statuta Vallisoletana et decernendo, ut pro familia ultramontana nova ordinatio statutorum Barchinonensium susciperetur, qua occasione etiam insertas voluit ceteras leges generaliter valentes. Minister generalis *Archangelus Gualterio Messanensis* in hoc capitulo electus litteras misit [3] ad provincias Italiae, quarum statum noverat experientia. Notandum quidem est in talibus encyclicis ex officio datis communiter maculas tantummodo observari, quare possibile non est ex eisdem obiective cognoscere statum disciplinae; attamen non possumus negare maculas tales in Italia hunc temporis multas fuisse et malas. Maxime conqueritur minister generalis de inoboedientia fratrum, quorum aliqui eousque devenerant, ut processum canonicum inirent contra suos superiores, rationem exigendo ab eis de mandato sibi contra voluntatem propriam imposito. Minister generalis malo obviare studuit per diligentem provinciarum visitationem et per protectionem fratrum exemplariter viventium, quorum studio separationis nihilominus firmiter obsistebat.

---

[1] Chron. II 230. [2] Chron. I 522 524. [3] W XXIV 241. Chron. I 533.

Ioannes Hierro, successor similis ipsi, iam post sedecim menses defunctus est, qua de causa diuturnus vicariatus necessarius evenit. Denique 1618 secutus est *Benignus a Genua,* quem immerito de familia Reformatorum fuisse dicunt. Quamquam enim verum sit eum totis viribus laborasse in reformatione ordinis, qua de causa severos visitatores mittebat et novitios in domibus reformatis educandos curabat, tamen etiam Observantes defendebat contra iniustas impugnationes Reformatorum, quorum ius ad proprium vicarium generalem abolevit. Cumque non intenderet negare vitia in ordine exsistentia, certe fidem meretur, si in bonum Observantium dicit[1]: „In memoriam revocate praeclara tam piae Matris Observantiae obsequia. . . . A solis ortu usque ad occasum laudabile fecit nomen Domini. . . . Ut antiqua sileam, novissimis hisce temporibus vastas in illas utriusque Indiae regiones prima omnium Christi vexillum intulit et nomen Domini annuntiavit. Praeclarissimi viri et sancti quam plurimi ex Observantia quotidie procedunt et quorum plures adhuc in carne viventes."

Benignus anno 1621 congregationem generalem celebravit Segoviae in Hispania, in qua nova ordinatio statutorum Barchinonensium iam diu praeparata approbata est *pro familia ultramontana.* Vocantur interdum *statuta Segoviensia,* generaliter tamen *statuta Barchinonensia recognita*[2], quia familia nomen longo usu sacratum mutare noluit. Etiam divisio prior in novem capitula in eis retenta est sicut et brevitas relativa saltem quoad statuta Vallisoletana duplo plus continentia.

His novis constitutionibus editis fundamentum iuris commune pro ultramontana familia positum et unitas in quaestionibus maioris momenti, praesertim respectu constitutionis (constitution), servata erat. Cum autem praecepta statutorum Barchinonensium insimul sumpta apta quidem essent pro Hispanis, non tamen pro duabus aliis familiae nationibus, hae permittente ministro generali inepta deleverunt, et si opus erat, per proprias ordinationes perfecerunt. Ita natio Gallica[3] et Germano-Belgica[4] proprium corpus legum habebant, quod in essentialibus cum statutis totius familiae convenit. In Gallia quidem circumstantiae iniquae effectum beneficium huius

---

[1] *Marczic* III 161. [2] Chron. I 601. Gub. III 621.

[3] Statuta generalia Barchinonensia . . . anno 1621 accuratius revisa . . . Tandem . . . Provinciis Gallicis accommodata . . ., Parisiis 1622.

[4] Statuta generalia Barchinonensia novissime recognita ac de Generalis Ministri assensu Provinciis Belgicis accommodata, Antverpiae 1624.

legationis impediverunt, eo magis vero in natione Germano-Belgica optimos fructus produxit. Ideo provinciae huius nationis firmiter retinuerunt suum codicem, ius sibi vindicantes repudiandi omnes novas ordinationes, nisi a congregatione nationali convenientes essent declaratae [1]. In capitulo generali anni 1633 aliqua quidem suppleverunt [2], quod etiam postea non erat vitandum, attamen non invenimus in hac ordinis parte continuam mutationem omnium constitutionum, sed evolutionem iuris naturalem sub auctoritate ministri generalis invigilantis, ne in rebus fundamentalibus unitas periret. Cum iure repudiandi leges inconvenientes crevit reverentia erga leges latas, qua in re non minimam ad partem situs erat fons roboris undique noti, quo natio Germano-Belgica gaudebat. Nolumus tandem praeterire has provincias eo tempore non se vocasse Recollectas sed Observantes.

§ 64. A tempore constitutionum Segoviensium usque ad tempus constitutionum Sambucanarum. 1621—1663 [3].

Capitulum generale Romanum anni 1625 elegit ministrum generalem *Bernardinum de Sena,* Lusitanum. Iuxta exemplum fratrum ultramontanorum decrevit familia cismontana, ut aliqui patres docti delegarentur ad aptam et habilem ordinationem legum suarum, qui tamen conatus diutius adhuc manebat infructuosus. Novus minister ab Apostolica Sede facultatem petiit nominandi in capitulis provincialibus, si opus esset, propria auctoritate superiores, quia saepius quam aequum erat, eligebantur fratres inhabiles ad perficiendam cum fructu reformationem. Eadem de causa impetravit bullam *Sacrosanctum* [4], editam die 1 Octobris 1625, in qua denuo inculcabatur, ut regula observaretur iuxta decretales „Exiit“ et „Exivi“, sublatis omnibus declarationibus contrariis, praesertim illa, quam ediderat Iulius II. Ansam huic manifestationi ecclesiasticae dederant praesertim provinciae Galliae, quae ducente conventu Parisiensi quasi nunquam cessarunt resistere ministro generali observationem regulae exigenti. Iam Benigno a Genua Galliam visitante Parisiis scandala

---

[1] *V. Haute,* Misc. IV 979.

[2] Statuta generalia Barchinonènsia . . . a Patribus Nat. Germanicae et Belgicae recognita, Leodii 1635. Cf. *Gaudentius Kerkhove,* Commentarii in generalia Statuta Provinciis Nationis Germano-Belgicae . . . anno 1633 accommodata. Gandavii 1700, Coloniae 1709.

[3] Chron. I 672; II 1; III 1, 1. Gub. I 254; IV 1. *Marczic* III 158.

[4] Chron. I 674.

acciderant, quorum rumor Europam pervaserat[1]; nunc vero Galli contra eius successorem Bernardinum appellarunt ad statuta, quae a Iulio II pro se edita essent et adhuc valerent[2]. Immo cogitarunt, ne amplius a ministris molestarentur, iterum recedere ad Conventuales. Animum regis quidem, qui steterat pro suis provinciis, minister generalis flexit ad suam sententiam, quin tamen provincias ipsas reducere posset ad normas Observantiae regularis. Iterum atque iterum quattuor *provinciae confoederatae* (sic enim se appellabant istae provinciae quondam Coletanae) conabantur obtinere suum (uti dicebant) ius ad proprietatem in communi[3], simul semper murmurantes se negligi, quia nullus Minorita Gallus reciperetur ad officium generalatus.

Quamvis Bernardinus de Sena usque adhuc decertasset pro statutorum observantia, tamen ad finem sui regiminis malum dedit exemplum retinendo gubernacula ordinis, etiamsi evectus erat ad sedem quandam Episcopalem. Tandem, cum totus ordo protestaretur, resignavit.

Propter luem contagiosam ubique grassantem capitulum translatum est usque ad annum 1633, quo Toleti praepositus est ordini *Ioannes Baptista a Campanea.* Imperator quidem, multi principes et Pontifex ipse optaverant, ut Antonius a Galbiato, propagator reformationis Bavaricae et Austriacae, minister generalis eligeretur; sed rex Hispaniae cum successu repugnaverat. Ipse et alias saepius, quam aequum est, influxum exercebat fatalem in electiones capitulares. Capitulum hoc ordinationes sat amplas edidit „pro reformandis moribus et restituenda vitae disciplina“[4], quae quidem supplementi tantum loco habebantur respectu statutorum iam antea exaratorum, nihilominus ita gravia putabantur, ut in fine huius saeculi adhuc censerentur sufficientes pro familia cismontana[5].

Ad capitulum Romanum anni 1639 fratres Galli non comparuerunt, quippe quibus rex licentiam proficiscendi negasset. *Ioannes Merinero* Matritensis ibidem electus neque regi Hispaniae placuit, qui propterea

---

[1] *Discours véritable* de ce qui s'est passé en la réformation des P. Cordeliers et la rumeur advenue au grand convent de Paris, Paris 1622. Cf. Bulletin de la société hist. du VIe arrond. de Paris VIII (1905) 157.

[2] W SS. 178. Sbar. SS. 56.

[3] *Discursus duo* elucidatorii privilegiorum specialium Prov. Franciae et aliarum ei confoederatarum . . ., quorum prior est de privilegio commissariatus in illarum ministris, posterior *de possessione in communi* . . ., Remis 1646.

[4] Chron. I 688. Gub. IV 20.

[5] *V. Haute,* Misc. IX 3.

eius electionem irritam declaravit et vetuit, ne ingrederetur ditionem suam, omnesque Hispanos, qui pro Ioanne Marinero suffragati erant, misit in exsilium. Sensim sine sensu tamen ministro generali tunc annos 39 nato contigit, ut regem sibi reconciliaret, ex quo tandem libere zelum suum laudabilem explicare potuit, Hispaniae provinciis tunc temporis maxime necessarium. In studiis suis fautorem et adiutorem invenit Urbanum VIII Pontificem, qui anno 1639 sub poena excommunicationis vetuit, ne fratres ad personas ad ordinem non pertinentes privilegii vel muneris adipiscendi causa recurrerent. Innocentius XI, ut hoc maximum illius temporis malum sanaret, eousque progressus est, ut intenderet pro novitiis quartum votum de non capessendo tali recursu statuere, quod tamen omisit rogatu ordinis [1]. Maioris momenti ex hoc tempore est *breve* Urbani VIII *Militantis* [2], quod anno 1640 ad familiam cismontanam direxit, castigando transgressiones regulae et auferendo quoad partem *abusum privilegiorum particularium* a curia ipsa inductum. Notandum tamen est non in omnibus familiae provinciis ita male se habuisse res, immo in aliquibus ne publicata quidem est bulla, ne fratres cognoscerent, quales abusus aliunde invenirentur.

Idem ipse Merinero ordinationem statutorum pro familia cismontana iam diu exspectatam perficere conatus est. Hoc negotium aliquibus patribus peritis commissum est, qui opus suum proposuerunt congregationi generali anno 1642 Romae habitae, in qua et acceptatum est. Ut stabiles manerent hae constitutiones, decretum est, ut adiretur Pontifex pro confirmatione totius collectionis, praesertim vero quoad hanc propositionem. „Nullae aliae deinceps constitutiones generales fiant in hac cismontana familia, sed illae semper observentur.“ Nova haec statuta [3] publicata sunt anno 1642 una cum confirmatione ministri generalis et quodam brevi, in quo verba, quae citavimus, sancta sunt, apposita tamen conditione: „postquam revisa et approbata per dictam Sedem fuerint“.

Hac conditione abusum est capitulum generale Toletanum anni 1645, quod sub ministro *Ioanne Mazzara*, Reformato Neapolitano, ignotis de causis novas constitutiones iterum abolevit, denuo introducens statuta Vallisoletana. Cum vero et decreta postea emanata, quatenus non erant sublata, observari deberent, idem recruduit per-

---

[1] Chron. III 1, 251. [2] Chron. II 18; III 1, 19.

[3] Statuta, Constitutiones et Decreta generalia familiae cismontanae Ord. S. Francisci de Observ. . . . in Gli Congr. Romana anni 1624 approbata, Romae 1642.

turbationis status. Amplius ordinis detrimentum anno 1648 auctum est per mortem ministri generalis, aptissimi negotiorum gerendorum et studiosissimi reformationis ordinis. Ipse Victoriae generalem congregationem celebraverat, in qua aliquae ordinationes minoris momenti editae sunt, vocatae interdum *statuta Victoriensia,* quod nomen et aliis decretis imponitur postea in eadem urbe editis [1].

Petrus Manero, huius successor, iterum reassumpsit laborem condendi statuta certa et ordinata pro familia cismontana. Ideo capitulum generale Romanum anni 1651 decrevit praeter alia multa [2], ut digererentur leges familiae cismontanae in proprio codice. Quia vero minister generalis iam anno 1655 ad Episcopatum assumptus est, illud decretum ante electionem novi ministri generalis *Michaelis Angeli Buongiorno a Sambuca*, Reformati, exsecutioni non est datum. Labor, qui a capitulo anno 1658 Toleti congregato huic ministro demandatus erat, anno 1662 a Pontifice approbatus et anno sequenti publicatus est. Natae sunt tamen et hae *constitutiones Sambucanae* [3] sub eodem fato ac ceterae, videlicet a plerisque non sunt receptae, quamquam fundamentum iuridicum formale non aderat. Nam verum quidem est, quod affirmatur, praecedentiam provinciarum in eis non esse servatam, attamen neque in ceteris constitutionibus series ordinata inveniebatur, ideoque hoc non praebuit ius repudiandi statuta, eoque minus, cum in praefatione ad opus minister generalis protestaretur non posse ex enumeratione provinciarum deduci aliquod ius. Quod autem dicebatur ministrum generalem arbitrarie quaedam statuta mutasse, nunquam demonstrari potuit. Quare inveniri omnino non potest, qua ratione familia cismontana non receperit haec statuta tam bene ordinata, immo, qua ratione ipse minister generalis iam tribus mensibus post publicationem statutorum approbaverit alteram editionem commentarii in statuta generalia compositi a *Sanctoro de Melfi,* quamquam hic tantummodo statuta Vallisoletana exposuit minime curans novas a ministro conditas leges. In hoc opere ipse Sanctorus condemnat severe, quin intenderit eos, qui culpam huius rei portabant, dicendo: „Perniciosissimum est, si decreta non sunt stabilia. . . . Plerumque rudiores homines melius

---

[1] Gub. IV 268. Chron. III 1, 379.

[2] Gub. IV 126. Statuta generalia O. F. M. edita in Cap. G[li] 1651, Romae 1651.

[3] Constitutiones et Statuta generalia Cism. Familiae ex decretis Cap. G[lis] ann. 1639 et 1658 compilata et per S. Congreg. super neg. Ep. et Reg. revisa et approbata, P. Michael. Angelo de Sambuca Ministro Generali, Romae 1663.

regunt suas respublicas quam astuti." [1] Fuerunt tamen in familia cismontana provinciae, quae diu secutae sunt statuta Sambucana, quare adhuc saeculo XVIII edebantur [2] simul cum correctionibus necessariis, praesertim quoad ordinem provinciarum.

§ 65. A tempore constitutionum Sambucanarum usque ad finem saeculi XVII. 1663—1700 [3].

Capitulum generale Romae anno 1664 congregatum elegit ministrum *Ildephonsum Salizanes*, qui mox post electionem Hispaniam petiit constitutis pro Italia undique commissariis propriis in praeiudicium commissarii generalis familiae cismontanae. In suis litteris circularibus ad ordinem datis aeque ac capitulum generale Toletanum anni 1658 novitiis et iunioribus professis praecipit, ut exercitia annua servent, quae postea ad omnes fratres sunt extensa. Versus finem sui regiminis, anno 1668, procuravit sibi breve Apostolicum, quo ei concedebatur, ut munus suum, casu quo ante officii finem eligeretur Episcopus, retinere posset, quod cum accidisset anno 1669 revera non attentis protestationibus ordinis gubernacula retinuit usque ad proximum capitulum generale [4].

Eiusdem transgressionis reus est ipsius successor *Franciscus Maria Rhini,* qui anno 1674 nominatus Archiepiscopus Syracusanus sigillum ordinis tradere recusavit, simulans se resignaturum esse Episcopatum, usquedum cogeretur, ut ab officio suo se abdicaret et in dioecesim suam proficisceretur. Capitulum Vallisoletanum, in quo anno 1670 erat electus, tractavit iterum de constitutionibus ordinis. Mentio quidem facta est collectionis Sambucanae respectu familiae cismontanae, et aliquae paragraphi eiusdem expressis verbis iterum sunt praeceptae, simul tamen vocales decernebant, ut nova ordinatio et correctio ipsius susciperetur, quo facto et haec statuta iterum sunt relicta. Hispani correxerunt pro se ipsis statuta Segoviensia, Galli vero et Germani retinuerunt proprias suas leges.

Francisco Rhini decedente ab officio *Franciscus Maria de Nicolis* suadente Cardinali protectore Barberini contra voluntatem vocalium

---

[1] *Sanctorus de Melfi,* Morales Commentarii in Statuta et Constitutiones O. F. M. de Observ. Opus in hac *secunda* impressione correptum a P. Bonagratia Romano, Venetiis 1664, 691.

[2] Sub titulo editionis primae, Venetiis 1718. Inveniuntur etiam tamquam appendix ad Chron. II.

[3] Chron. II 103; III 1, 119. Gub. I 264; IV 173. *Marczic* III 174.

[4] Chron. II 114.

congregatorum a Pontifice nominatus est vicarius generalis. Ipse ortus ex patrimonio Petri accepit a curia Hispana privilegium vocandi se *de Cremona*, quia haec civitas pertinebat ad ducatum Mediolanensem; abusus enim irrepserat, quod tantummodo fratres ditioni Hispanae subiecti ad gubernium ordinis vocarentur. Ulterius progressus est vicarius generalis, cum itidem sine electione minister generalis fieri cuperet. Revera paucis mensibus post accepit a Pontifice breve, quo titulo et iuribus ministri generalis ab ordine electi potitus est, qua in re abhinc omnes vicarii generales eum imitati sunt. Homo iste ambitiosus, quaerens tenere principatum ultra tempus a constitutionibus praefinitum, capitulum differre conabatur, quod tamen ordo protestando impedivit. Cum igitur hoc assequi non posset, procuravit sibi breve, quo ei concedebatur, ut privilegiis exministri generalis uti posset, quamquam nondum per duos annos regnaverat. Denique dispensari se fecit ab interstitiis legitimis, ut posset eligi in proximo capitulo commissarius generalis, quo in munere ordini sicut iam prius vere molestiae fuit.

Eo magis elucet vita *Iosephi Ximenis* (Jimenez) *Samaniego*, successoris eiusdem, qui coram stupentibus patribus capituli Romani anni 1676 sua sponte iusiurandum praestitit se toto tempore officii sui neque ambiturum neque accepturum esse dignitates non pertinentes ad ordinem ipsum, facinus quoad circumstantias tunc vigentes certe egregium, quod solum sufficeret ad laudem nominis Iosephi Ximenis, etiamsi nihil aliud ordini praestitisset. Attamen ipse hac re non erat contentus, sed etiam strenue laboravit in abolendis abusibus in ordine exsistentibus. Ubicumque visitationes peragebat, nulla saecularium protectio aliquid valebat; irritas fecit omnes electiones superiorum inhabilium constituendo loco eorum superiores officio dignos. Maximam vero severitatem ostendit versus fratres suae gentis [1].

Maiori curae ei erant provinciae Galliae. Iam anno 1672 Papa intercedere debuerat, ne conventus Lugdunensis transiret ad Conventuales. Ad capitulum anni 1676 Galli non comparuerant, quia rex Galliae eos impedierat, cogitans reformationem iuxta proprium ingenium inducere, quod tamen non eiusmodi generis erat, ut ministro generali placere posset [2]. Ideo iterum provinciae confoederatae in-

---

[1] BD V 465.

[2] Arrest du Conseil d'État du Roy portant règlement pour la Réformation des VIII Provinces de l'Observance de S. François . . ., Paris 1675.

tenderunt deficere ab Observantia, timentes, ne Iosephus Ximenes eis, retinere sua bona non concederet. Igitur minister generalis ad regem ipsum contendit, quem saltem usque eo in suam perduxit sententiam, ut licentiam acciperet visitandi conventum magnum Parisiensem, cuius statum ad tempus reduxit ad meliorem frugem.

Haec faciendo Samaniego ordini iterum Innocentii XI favorem comparavit, quam perdiderat multis deordinationibus suis. Ideo instigante probabiliter ministro generali edidit anno 1679 bullam *Solicitudo*[1], quae declarationem regulae vel potius repetitionem declarationis Clementis V continet et omnes, qui aliqua dispensatione etiamsi bene fundata utuntur, ab officiis excludit[2].

Hunc ministrum secutus est *Petrus Marinus Sormano,* electus Toleti anno 1682. In hoc capitulo denuo decretum est, ut statuta Sambucana corrigerentur, apponendo tamen prudenter: si imposterum aliquid ordinandum erit, id fiat per modum decreti; quod per duodecim annos probatum tandem poterit fieri statutum definitivum. Cautius adhuc procedebat familia ultramontana ita decernendo: unaquaeque innovatio in statutis primum proponatur discretorio generali ibique discutiatur, suffragiisque singulorum acceptis, si maiori parti videatur necessaria, ad definitorium generale deferatur, et si ibi approbatum sit, in actis capituli scribatur non ut statutum sed ut provinciis propositum, ut exploretur experientia, utrum conveniens sit. In proximo capitulo generali definitorium cuiusque provinciae de hac re suffragium ferat. Quodsi maioritas provinciarum iterumque definitorium generale votum favorabile tulerint, innovatio haec legis loco habeatur. Neque per hunc processum ordini minus consuli, quia per multiplicationem legum ordo non reformetur, cum ad conservandam disciplinam sufficiant statuta hucusque edita et pro casibus particularibus mandata, quin necesse sit statim nova statuta stabilia componere[3].

Haec omnia bene erant disposita, attamen in praxim deduci non poterant, casu quo decreta imponebantur a curia Romana, et quando capitula generalia hunc modum negligentia ordinationes faciebant, quae a Pontifice approbationem accipiebant. In eodem capitulo provinciae in Gallia exsistentes postularunt, ut vel ministrum vel commissarium generalem nationis suae obtinerent, quod cum eis negaretur,

---

[1] Chron. II 149; III 1, 78. Gub. IV 223.
[2] Cf. Chron. III 1, 412.
[3] Chron. III 1, 225.

reliquerunt capitulum repudiantes adiutore suo rege ministrum generalem in eo electum. Tandem anno 1692 redierunt ad oboedientiam [1].

Petrum Marinum, qui laudari meretur propter studiosam provinciarum visitationem et missionum propagationem secutus est 1688 *Marcus de Zargosa,* quo post breve tempus mortuo gubernavit ordinem *Ioannes Alvin* primum vicarius, qui mox instigante protectore Cardinali Cybo minister generalis renuntiatus est. Idem accidit anno 1697, cum *Matthaeus de San Stefano* vicarium ageret post regimen *Bonaventurae Poerio.* Hic postquam rumorem audiit se esse delectum ad aliquem Episcopatum, munus suum abdicavit, hoc modo litteram servans, non vero spiritum iurisiurandi a se praestiti, quo ei prohibebatur tempore officii sui dignitates ad ordinem non pertinentes accipere. Ne hoc in posterum denuo accideret, provisum est per statutum peculiare [2].

Sectio II.

De reformationibus intra Observantiam.

§ 66. Historia Discalceatorum usque ad mortem S. Petri de Alcantara [3].

Auctor spiritualis Discalceatorum nominari consuevit *Ioannes a Puebla* (§ 26). Comparari quidem cum eis potest, quatenus suis discipulis maiorem praecepit severitatem vitae quam Observantia [4], attamen tam ipse quam maior discipulorum eius pars cum conventibus suis in vestitu et oboedientia Observantes manere volebant, neque postea annumerati sunt Discalceatis. Ideoque provincia S. Angelorum constans ex conventibus Ioannis a Puebla immerito dicitur prima provincia Discalceatorum.

De facto Discalceati originem duxerunt a *Ioanne de Guadalupe* (§ 26), qui a provincia S. Iacobi transierat in custodiam Ioannis a Puebla. At neque ibi diu remansit; anno enim 1496 ab Alexandro VI breve [5] sibi procuravit, quo ei permittebatur, ut simul cum sex aliis fratribus de Observantia in eremitorio postea fundando in ditione Granatensi sanctum evangelium regulamque S. Francisci pure obser-

[1] Ibid. 315 325 343. [2] Ibid. 465.

[3] BD I—V. Gub. II 271. *Rapine* 41. *Cornejo* VIII 359. *Patrem* 30 36. *[Marianus ab Orscelar,]* Gloriosus Franciscus redivivus sive Chronica Observantiae strictioris reparatae, reductae ac reformatae . . ., Ingolstadii 1625.

[4] W XVI 164. [5] BD I 13.

varet, idque „sub forma habitus, quam ipse Sanctus gestabat“. Ioannes primatum accepit respectu suorum discipulorum, qui recusabant oboedire Observantibus, intendentes vivere sub oboedientia solius ministri generalis, quippe qui eis liberiorem agendi modum permitteret. Praeterea Ioanni cum suis sociis ubique praedicare licebat sub nomine „praedicatoris Apostolici“. His exemptionibus positum erat fundamentum omnium, qui inveniuntur in tota historia Discalceatorum, conatuum, differendi a ceteris partibus ordinis per proprietates peculiares.

Anno 1499[1] Ioannes privilegia iam obtenta sibi confirmanda procuravit simulque accepit licentiam recipiendi etiam Conventuales et facultatem, qua eius conventus tunc sub nomine custodiae Sancti Evangelii congregati se mortuo alium superiorem eligere possent, ne nova fundatio in posterum periclitaretur. Attamen Observantes provinciae S. Iacobi, qui his concessionibus maximum patiebantur damnum, non quieverunt, usquedum adiuvante rege Hispaniae omnia haec privilegia auferrentur. Ideoque Ioannes eiusque socii anno 1502 iubente Pontifice ad oboedientiam ergo suos superiores, quibus antea suberant, reverti debuerunt[2]. Reddebat eis subiectionem faciliorem vicarius generalis *Martialis Boulier,* qui eodem anno praecipiebat provinciis Hispaniae, ut erigerent *domus recollectionis,* in quibus fratres in altissima paupertate vivere possent, quin superioribus legitimis oboedientiam negarent. Attamen fratres Guadalupenses non cogitarunt oboedire voluntati Pontificis, sed quaerebant adiuvante probabiliter ministro generali, qui Observantiae incrementum non optabat, accipere novum breve, concedens eis iterum sua privilegia, quod et acceperunt anno 1503[3].

Tempore unionis anno 1506 se submiserunt Conventualibus, qui eis permiserunt, ut sub custode proprio consuetam vivendi rationem tenerent[4]. Sed anno sequenti valde angustiati sunt brevi ab Observantibus impetrato, in quo vel ad Observantiam redire vel Hispaniam et Lusitaniam relinquere iubebantur, cum tamen ipsi neutrum vellent facere. Ab hac angustia liberati sunt per breve anni 1508, quo eis concedebatur, ut constituerent propriam provinciam Sancti Evangelii, cuius primus minister fuit *Petrus de Melgar.* Mox autem pacti sunt cum Observantibus, ut conventus in Lusitania exsistentes formarent *custodiam Sancti Evangelii* sub oboedientia vicarii generalis ultramontani, fratres vero in Hispania exsistentes redirent totaliter

---

[1] BD I 19 27. [2] Ibid. 29. [3] Ibid. 34.
[4] Ibid. 48.

ad Observantes[1]. Quamquam Pontifex hoc pactum confirmabat, tamen non diu stetit, quia iam anno 1515 invenimus fratres de caputio in Hispania exsistentes sub nomine *Conventualium reformatorum* congregatos in *custodia Extremadurae*[2] subiecta ministro generali. Anno sequenti etiam socii eorum Lusitani ministro generali[3], qui eorum studiis magis favebat, se subdidisse videntur.

Anno 1517 vi bullae unionis coacti sunt recedere ad Observantiam et resignare suas proprietates particulares. Conventus eorum in Lusitania exsistentes formarunt propriam *custodiam Pietatis,* ex qua anno 1518 provincia erecta est, aeque ac anno 1520 custodia Extremadurae, aliquibus conventibus a provincia S. Iacobi acceptis, sub nomine provinciae *S. Gabrielis* agnita est. De iure igitur anno 1517 desierunt exsistere Discalceati, etsi de facto a ceteris Observantiae provinciis adhuc differebant. Quomodo respectu regulae et declarationum pontificiarum se habuerint, neque ex eorum usibus, neque ex brevi anno 1526 ad provinciam S. Gabrielis O. F. M. *Regularis Observantiae* directo[5] intelligi potest. Probabiliter tamen ambae provinciae sensim sine sensu iterum ad uniformitatem vitae cum Observantibus redissent aeque ac provincia S. Angelorum, quae ipsis severitate vitae non cessit.

Tum vero vir exstitit, qui consilia sua privata omni modo perficere studuit, cum manifesto proposito alliciendi fratres ex ceteris congregationibus ordinis. *Ioannes Pasqual*[6], ex Observante factus Discalceatus anno 1517 transiit ad Conventuales, a quorum magistro generali accepit potestatem recipiendi omnes Conventuales, qui eandem ac ipse vitae rationem vellent instituere, fundandi conventus eosque in provincias erigendi. His iuribus instructus rediit in Galiciam, Hispaniae provinciam ibique paucis sociis assumptis aedificavit ad ora oceani Atlantici eremitorium, in quo cum eis vitam more anachoretarum Aegyptiorum vivebat. Cum vero pauci tantummodo Conventualium eum sequerentur, petiit a Pontifice licentiam recipiendi etiam Observantes in societatem suam, quae ei primum negabatur. Tandem vero anno 1541[7], cum per septem annos Romae exspectasset, concessa est ei facultas membra Observantiae et ceterorum ordinum mitiorum in congregationem *Conventualium reformatorum* adsciscendi, qua in re hoc maxime dolendum est, quod magister generalis Con-

---

[1] Ibid. 52 68. [2] Ibid. 82. [3] Ibid. 85.
[4] Ibid. 96 107. [5] Ibid. 123. [6] W XVIII 14 324.
[7] BD I 153 156.

ventualium protexit virum, cui neque Conventuales favebant, quodque eo abusus est ad destruendam unitatem aliorum ordinum. Ioannes Pasqual itaque in Hispaniam reversus invenit septendecim socios praesertim ex provincia S. Gabrielis, quorum tamen magna pars eum iterum reliquit. Cum eis, qui remanserant et paucis de novo aggregatis occupavit tria eremitoria in Galicia, quae *custodiam S. Simonis* (SS. Simonis et Iudae) vel *Paschalitarum* constituebant. Haec demum anno 1583 suppressa est[1]. Quartum eremitorium accepit ab *Alphonso de Manzanete*[2], eiusdem spiritus homine ex provincia S. Gabrielis, qui putabat se vocatum esse ad fundationem novae provinciae. Cumque superiores non attenderent eius precibus, transiit ad magistrum generalem Conventualium, a quo eius desiderium fundandi ubique conventus impletum est. — Mortuo Ioanne Pasqual provincia Conventualium S. Iacobi anno 1553 eius quattuor conventus occupare conata est, quod tamen commissarius eorum Hispanus impedivit, qui ex residentiis Paschalitarum *independentem custodiam S. Iosephi* erexit.

Magnum robur accrevit huic custodiae, cum *S. Petrus de Alcantara*[3] eam ingrederetur. Hic, postquam in provincia S. Gabrielis ministrum egit, in solitudinem ad agendam asperiorem poenitentiam secessit. Cumque superiores ordinis ei resisterent, timentes, ne ex eius studiis oriretur in ordine aliqua separatio, ipse consentiente Pontifice se subdidit magistro generali Conventualium, qui eum anno 1557 commissarium generalem *Fratrum Conventualium reformatorum* constituit[4], successorem Ioannis Pasqual. Ipse fundavit eremitorium de *Pedroso* et erexit custodiam anno 1559 in provinciam. Austera statuta pro suis subditis composuit[5]. Usus syndicorum totaliter prohibebatur, unaquaeque residentia habebat possessorem, cuius loco Pontifex substitui non poterat. Huic possessori fratres omni anno reddebant claves, supplicantes, ut eis liceret etiam anno sequenti in eius domo habitare, quo non concesso sine mora debebant discedere. Parvae erant eorum ecclesiae, conventus et cellae; nudis pedibus sine sandalis incedebant, flagellationes et aliae austeritates praescriptae erant, carnes et lacticinia aegrotis tantum concedebantur, speciali modo superioribus praecipiebatur, ut licentiam darent fratribus, repetiare tunicas suas de petiis novis vel veteribus varii coloris;

---

[1] Gub. III 365. [2] *Gonzaga* 1131.

[3] A. SS. Oct. VIII 623. W XIX passim. *René de Nantes:* EF X (1903) 162 384.

[4] BD I 169; V 166. [5] Ibid. 570 572. W XIX 259.

bibliothecae prohibebantur et admittebantur tantum libri pauci in cellis fratrum. Haec sunt praecepta maioris momenti, quae S. Petrus suis discipulis (qui vocantur etiam *Alcantarini*) imposuit, quaeque austeritate omnia superant, quae unquam a ceteris partibus reformatis praescripta sunt. Si quaerimus, quatenus haec conveniant cum spiritu S. Francisci, concedi quidem debet S. Petrum respectu paupertatis maxime omnium accessisse ad vitae rationem primaevae fundationis sancti patris, nihilominus negari non potest eum, qui dicitur „portentum poenitentiae", ceteris in rebus plus exegisse a suis subditis, quam S. Franciscus intenderat. Attamen neque innovatio altissimae paupertatis diu permansit, mox enim videmus Discalceatos contendentes cum ceteris de iure occupandi magnos conventus.

Curam S. Petrus etiam gessit *custodiae Arrabidorum* (de la Rabida) in dioecesi Ulissiponensi [1]. Ibi aliqua eremitoria, protegente domino Infante Lusitaniae, breve sibi comparaverant, quo eis licebat constituere propriam custodiam et portare longum et pyramidale caputium sicut Capuccini Itali [2]. Membra huius custodiae, quae antea Conventualibus suberant, anno 1560, cum ius erigendi provinciam *S. Mariae Arrabidorum* acceperunt, sub oboedientia ministri generalis Observantium inveniuntur *Fratres Ord. Min. de Observantia Capuccini nuncupati* [3].

Reditus provinciae Arrabidorum fortasse causa fuit, quare anno 1562 etiam provincia S. Iosephi, cuius membra adhuc publice nomen Fratrum Minorum Conventualium reformatorum habuerant, post longiorem disceptationem se subdiderit ministro generali Observantiae [4], quod pactum Pontifex confirmavit, postquam omnia privilegia particularia resignarunt et se ipsos „absque ulla differentia" prae ceteris provinciis iurisdictioni ministri submiserunt. Mense Octobri eiusdem anni mortuus est S. Petrus de Alcantara in sinu Observantiae, in quo cursum suae regularis vitae coeperat.

§ 67. Historia Discalceatorum post mortem S. Petri de Alcantara.

Ex anno igitur 1562 iterum omnes provinciae in Hispania exsistentes pertinebant ad Observantiam, etsi differebant ab invicem usibus vitae particularibus, forma habitus et austeritate vitae, qua in re praesertim illi fratres eminebant, qui antea Guadalupenses, Paschalitae et Alcantarini erant vocati. Aliis tamen in rebus, praesertim

---

[1] *Gonzaga* 1123. [2] BD I 159. [3] Ibid. 183.
[4] Ibid. 185. W XIX 436 574.

respectu pacis et concordiae hi ipsi, praecipue provincia S. Iosephi non erant exemplum fratrum suorum. Pius V anno 1568 decretum Leonis X renovaverat[1], quo omnes fratres reformati sine ulla conditione se Observantiae submittere debebant omissis omnibus propriis nominibus, constitutionibus, usibus vitae et vestibus. Tam reliquias Amadeitarum et Clarenorum, quam Discalceatos haec decreti innovatio tetigerat. Hi tamen intendentes non oboedire mandato Pontificio, ducente provincia S. Iosephi (quae semper imposterum rebellionis vexilla ceteris praetulit), imprimis sibi procuraverunt quaedam „vivae vocis oracula" [2], quibus eis permittebatur, ut suum vivendi et sese vestiendi modum retinere possent. Accessit mox iterum proprium nomen *Discalceatorum* vel *Excalceatorum*, quod ex anno 1572 etiam in actibus Pontificiis invenimus, in quibus usque adhuc tali vocabulo non erant appellati[3]. Immo in aliquo rescripto anni 1578 vocantur *Fratres Capuccini de Observantia*[4].

Attamen ne his quidem concessionibus contenti erant. Anno 1578 provincia S. Iosephi, non obstante quod procurator ordinis vehementer reluctabat, obtinuit a Gregorio XIII breve[5], quod continebat initia novae separationis in ordine. Mandabatur per illud ministro generali, ne attingeret usus vitae huius provinciae[6] neve sperneret pauperes eius vestes (quia ordo saepius conquestus erat de „monstruosa deformitate" eorum vestium) neve fratrem extra fines huius provinciae mitteret, neque propter missiones in Philippinis, quia hoc negotium pertineret tantummodo ad provinciam ipsam; concedebatur etiam Observantibus facultas, transeundi ad Discalceatos. Tali modo omnia ordinis studia ad conservandam unitatem directa ad nihilum erant redacta, eaque per provinciam, quae iam ante octo annos capitulo generali propter discordias in ea vigentes necessario supprimenda esse visa est[7]. Verbis quidem iurisdictio ministri generalis erat intacta, practice vero maximam ad partem debilitata, quia ei non licebat visitare provinciam nisi in propria persona, vel per delegatum ex fratribus Discalceatis. Neque liberum ei erat assumere fratrem ex hac provincia ad servitia totius ordinis, ipsi vero exegerant licentiam libere adeundi *Romam* et *Matritum,* ut ibidem melius contra ministrum agere possent.

[1] BD I 214. [2] Ibid. 221. [3] Ibid. 237.
[4] Ibid. 251. [5] Ibid. 254.
[6] Cf. *Juan de S. Maria,* Chronica de la Provincia de S. Joseph de los Descalços . . ., Madrid 1615, 241.
[7] BD V 172.

Malum hoc provinciae S. Iosephi exemplum sensim sine sensu ceterae Discalceatorum provinciae imitatae sunt [1]; imprimis quidem provinciae, quae ortum duxerant a provincia S. Iosephi (cap. II) quaeque propterea eodem spiritu repletae erant, postea etiam provinciae Arrabidorum, Pietatis et S. Gabrielis, quae versus finem huius saeculi magis magisque tractae sunt remulco istius seditiosae communitatis. Interdum quidem recusarunt accipere statuta provinciae S. Iosephi, procurantes sibi ius conficiendi propria statuta provincialia [2], attamen quoad maximam partem novit dicta provincia tenere primatum, etiamsi ceterae provinciae non semper consentiebant. Hoc maxime manifestatum est, cum Discalceati non attentis precibus ministri generalis breve Apostolicum sibi compararent [3], quo eis concedebatur proprius *vicarius generalis* et propria *capitula generalia* aeque ac Discalceatis Carmelitarum et Augustinorum. Hoc cum manifestum fieret, multae protestationes, etiam ex parte Discalceatorum Romam directae sunt, quibus permotus Pontifex Nuntio Hispanico mandavit, ne publicaret hoc decretum, nisi in capitulo generali Discalceatorum maior pars eius exsecutione faveret. De facto Vallisoleti mense Septembri anni 1604 maioritas Discalceatorum iure suffragandi gaudentium contra hanc innovationem protestata est, postulans tamen a ministro generali licentiam retinendi sua vestimenta et vitae rationem. Simul posuerunt conditionem, ut liberarentur a constitutionibus ordinis, quatenus eas libere non vellent recipere, et ut haberent proprium procuratorem generalem Romae degentem et alium ex provincia S. Iosephi, qui in curia Matritensi causas Discalceatorum ageret [4].

Haec quasi eundem effectum debuerunt habere, ac constitutio proprii vicarii generalis, quare concessa non sunt, nisi post longum tempus, cum *Paulus a Matrito* laicus provinciae S. Iosephi Romam pervenisset, ubi mox inaudito gaudebat influxu, quo importunissimo modo abusus est. Anno igitur 1621 acceperunt Discalceati a Pontifice proprium procuratorem generalem habitantem Romae in hospitio S. Isidori, eodemque anno vicarium generalem paene independentem, simul cum definitoribus generalibus et iure celebrandi capitula generalia [5]. Haec cum in publicam venissent notitiam, subito vehementer etiam scriptis sunt impugnata. *Ioannes Nuñez* [6], membrum domus

---

[1] BD I 367 376 406. [2] Ibid. 590; II 276.
[3] BD I 436. [4] BD V 194. [5] BD II 4 10 48.
[6] Sbar. SS. 445. Gub. II 301.

recollectionis in provincia S. Iacobi ideoque etiam severioris inclinationis vir repudiavit omnes has innovationes tamquam „falsitates religioni seraphicae matri suae iniuriosissimas". *Ioannes de Llagas*[1] vero minister provinciae Arrabidorum scripsit defensionem Observantiae et syndicorum Apostolicorum, quorum usus etiam apud Discalceatos magis magisque in consuetudinem venerat. Ipse rex Hispaniae protestatus est contra hoc breve, vetuitque, ne exsequeretur, usquedum Pontifex melius instructus de novo rem decideret. Immo aliquae provinciae Discalceatorum supplicaverunt Pontificem, ut aboleret illud breve. Gregorius vero XV ita iuraverat in fratrem Paulum, ut non recederet, sed anno 1622 propria potestate nominaret vicarium generalem[2], cum *Ioannes de S. Maria,* cui exsecutio decretorum erat commissa, non amplius aptus esse videretur. Hic antea omnes vires suas intenderat, ut proprius vicarius generalis concederetur, nunc vero neglectum se sentiens contra decretum Pontificis laborare coepit, frustra tamen, quamdiu Gregorius XV vivebat. Tandem res ad meliorem statum reverterunt, cum Urbanus VIII regnare coepisset, qui anno 1624 decreta sui antecessoris abolevit[3]. Discalceatis remansit tantummodo hospitium S. Isidori, ubi procuratores singularium provinciarum habitabant[4], quia abhinc procuratorem omnibus communem non habebant usque ad annum 1703[5]. Etsi Urbanus VIII renuerat, ne Discalceati ab ordine secederent, tamen multa et ipse eis concessit propria. Anno 1642 *provinciis eorum, quas iunctas proprio vinculo* considerabat, dedit quasdam constitutiones communes et communia privilegia, quibus eis licebat, ut omissis constitutionibus ordinis sequerentur propria statuta, et ut unaquaeque provincia suos agentes posset mittere Romam. Non erant subiecti commissario generali ultramontano, sed tantummodo ministro generali, quo in Hispania non praesente suberant solum suis superioribus provincialibus. Videtur et haec actio originem duxisse a provincia S. Iosephi, saltem non omnes provinciae consentiebant, velut provincia S. Gabrielis, quae iam anno sequenti breve contrarium sibi procuravit[6]. Respectu statutorum omnibus communium ipsi

---

[1] *Juan de la Llagas* (Descalço), Razonamiento que no conviene que tengan los religiosos Franciscanos Descalços Vicarios Generales, rompiendo el govierno Monarchico de la Orden contra la regla . . ., Lisboa 1622. Vgl. W SS. 221; Sbar. SS. 54 213 288.

[2] BD II 27. [3] Ibid. 46.

[4] Ibid. 48 254. [5] BD III 121.

[6] BD II 276.

Discalceati nunquam se unire potuerunt[1]; cumque demum minister generalis Ioannetius ex eorum gremio electus anno 1761 tales constitutiones a Pontifice approbatas eis proponeret, a provinciis non sunt receptae[2].

A principio saeculi XVIII *relatio Discalceatorum ad ordinem* in rebus essentialibus non amplius est mutata. Celeriter propagati sunt per totam Hispaniam et Lusitaniam et per colonias eorundem regnorum in India Orientali et Occidentali. De *multis provinciis,* quas plerumque omisso ministro et capitulo generali erigebant, postea tractabimus (cap. II). Commemorare tantummodo volumus, Discalceatos etiam in *Italia* conventus fundasse. *Ioannes Baptista de Pisauro* (Pesaro) nulla facultate obtenta fundaverat in Italia conventus Discalceatorum, quos Sixtus V anno 1589 Conventualibus reformatis tradidit[3]. Postea tamen eis contigit, ut in regno *Neapolitano* duas provincias erigere possent, quae primo tempore floruerunt, mox tamen laxata disciplina auctoritatem Discalceatorum in Italia valde minuerunt[4]. Praeterea in fontibus historicis commemoratur conventus eorum in *Tuscia*[5] et alter *Londini* in Anglia[6].

Ut plenius describatur historia Discalceatorum, praeterire non possumus innumeras eorum contentiones cum ceteris ordinibus et familiis *de praecedentia*[7] eorumque disceptationes ad invicem. Ita e. g. pars ex laicis eorum postulaverat titulum „reverendi fratris“ et praecedentiam prae clericis sine ordinibus maioribus, simulque recusaverant, quominus ministrarent mensae[8].

Itaque *historia publica* Discalceatorum, quatenus ex eorum bullario erui potest, gloriosa non videtur. Non tamen debemus ignorare hanc familiam habere et alteram historiam, quae non est scripta in aliquo bullario, historiam videlicet maioris partis fratrum, qui de facto vixerunt secundum sua praecepta, cum alii eadem extrinsecus tantum defenderent. Notandum enim est historiam publicam familiarum semper fieri a paucis inscia maiori parte fratrum, qui quiete et humiliter student perfectioni propriae et curae animarum. Nomina horum non vocantur, etsi de facto sunt robur et gloria uniuscuius-

---

[1] Cf. *T. Montalvus,* Glossa fundamentalis Statutorum cism. (sc. ultram.) familiae Ord. Min. II, Madrid 1740, 459.

[2] Chron. IV 412. [3] BD I 324. [4] BD II 395; IV 513.

[5] BD II 537 687. [6] Ibid. 663 665.

[7] Sopra la quistione tra i Frati Minori Scalzi ossia Alcantarini e i Frati Riformati e Recolletti circa la prezedenza de' primi su de' secondi, Napoli 1893.

[8] BD III 368. Chron. III 2, 326.

que congregationis religiosae. Talibus viris abundavit familia Discalceatorum, quod factum defectus in historia commissos compensat. Multi conventus huius congregationis usque ad saeculum XVIII immo et ultra spiritum severitatis servantes fratres educarunt, qui heroica poenitentia et zelo Apostolico excellebant. Stellarum instar splendent in eorum numero *S. Paschalis Baylon*[1], *S. Ioannes Ioseph a Cruce*[2] et *martyres Iaponenses* (cap. IV).

§ 68. **Historia domorum recollectionis**[3].

Minoritae secundum mentem sui fundatoris non erant destinati ad solam vitam contemplativam, sed imprimis ad vitam activam Apostolicam, ideoque a principio ordinis optimus quisque Frater Minor sensit in se desiderium relinquendi ad tempus suos labores et recipiendi se in solitudinem, ubi in totali recollectione spiritus novas acquireret vires ad ulteriores in vinea Domini labores. Huius rei exemplum iam S. Franciscus dederat, quem secuti sunt multi filii in decursu omnium saeculorum. Solitudines, in quibus hi fratres vivebant, quarum multae in Italia et Hispania exsistebant et adhuc exsistunt, respectu aliorum conventuum meliorem dabant occasionem relinquendi ad tempus omnes labores distrahentes, vivendi intensius vitam internam mysticam et agendi severissimam poenitentiam. Nulla tamen re fratres ibi hospitantes differebant a ceteris neque nomine, neque vestibus, neque relatione ad superiores provinciales vel generales.

Quo magis in aliquibus provinciis remittebat zelus primigenus, eo magis crevit in fratribus melioribus desiderium adeundi talia loca idque non amplius ad tempus, sed *in perpetuum*. Ita egerunt multi Spirituales et primi Observantes in Italia, partim etiam in Hispania. In Gallia tamen et Germania hi fratres remanserunt in oppidis, quia nunquam intenderunt inducere innovationes vel maiorem vitae severitatem, sed sese uniendo putabant habere medium facilius observandi regulam et reformandi ordinem. Tardius et Observantes Itali hanc viam instituerunt, etsi in aliquibus severitatibus ultra regulam additis tenaciter haerebant. Generaliter tamen neque hae austeritates finis, sed media reformationis habebantur.

Aliter tamen res se habebat decurrente saeculo XV. Reformationes minores (§ 26) tunc introductae per Amadeum a Lusitania,

---

[1] *J. Beaufais,* S. Pascal Baylon[2], Namur 1903. A. SS. Maii IV 48.

[2] *Diodatio dell' Assunta,* Vita di S. Giangiuseppe della Croce, Roma 1839.

[3] Gub. II 456.

Lopez de Salazar, Ioannem de Puebla et praesertim per Ioannem de Guadalupe invicem superare conabantur severitatibus externis non contentis in regula ipsa, qua de causa quodammodo nova instituta fundarunt, etiamsi hoc non concedebant, immo per brevia Apostolica contrarium sibi confirmandum curabant. Verum quidem est, eos exegisse, ut externa regulae praecepta a suis severius observarentur quam ab Observantibus, attamen plus praescribentes, quam ipse sanctus ordinis fundator, immo saepe egregie contra *eius spiritum* agentes — Ioannes de Puebla hac in re exceptionem fecit laudabilem — immerito praedicabant se meliores filios S. Francisci esse.

Nihilominus multi fratres boni, sed simplices, externa specie decepti transierunt ad reformatores, quo sane virtus interior Observantiae infringebatur. Ne amplius hoc fieret, mox erectae sunt domus recollectionis. Initium factum est in Lusitania, ubi circa annum 1486 fundatae sunt *domus austeritatis,* quae tamen non diu steterunt. Postea vicarius generalis *Martialis Boulier* anno 1502 praescripsit, ut provinciae Observantium in Hispania *domus recollectionis* (§ 66) erigerent. In quacumque provincia exsistebant duo, in aliquibus etiam quattuor vel octo conventus, in quibus fratres seclusi ab omni strepitu mundano orationi et poenitentiae vivere poterant. Paterne eos amplexatus est Franciscus de Angelis, minister generalis propria pro eis condens statuta anno 1523 [1], in quibus silentium, oratio et severitates externae fratribus ibidem habitantibus speciali modo iniunguntur. Praeterea stipendia pro missis accipere non poterant, neque uti procuratore pro eleemosynis pecuniaribus; vestis eorum erat „saccus“ eiusdem coloris ac habitus ceterorum fratrum. Ceteris in rebus suberant ministro provinciali, qui eis superiores dabat ex eorum gremio desumptos. His contenti esse poterant omnes, qui nihil aliud quaerebant quam sanctificationem suam in poenitentia regulae praeceptum excedenti.

Attamen multi intendebant alios fines. Cupiebant enim fieri sui iuris, constituere proprias custodias et provincias, immo accipere proprium superiorem generalem, ut nullo prohibente iuxta arbitrium proprium vivere possent. Ita orta est in Gallia familia *Recollectorum* (§ 71) et in Italia familia *Reformatorum* (§ 69). Maximam huius eventus culpam habebant fratres ambitiosi, vel a malis consiliariis instigati, ad partem vero et ministri generales, qui imprudenter contra eorum studia egerunt, non quidem sine causa timentes, ne

---

[1] W XVI 167. Gub. III 263.

nova secessio in ordine accideret, ast neque considerantes tales motus spirituales nunquam vi posse exstingui. Hi ministri non conabantur ea cohibere intra fines legitimos, sed directe se eis opposuerunt. Ideo haec studia iterum atque iterum gliscebant producentes in fine novas societates in ordine, quae, etsi spiritus pristinus eorum mox disparebat, tamen remanebant iuxta familias antiquiores.

Talis imprudentia concausa fuit, quod in Italia Capuccini et Reformati orti sunt. Lichettus minister generalis favorem suum impenderat domibus recollectionis, quae in Italia anno 1518 originem duxerant a *Stephano Molina* Hispano et *Bernardino de Asti,* qui postea firmamentum ordinis Capuccinorum est factus. Sed iam anno 1520 eius successor Paulus a Soncino zelatoribus obsistere coepit, qui hoc eo molestius ferebant, quod videbant suos socios in Hispania sub Francisco de Angelis prosperari. Cumque hic duobus annis, postquam minister generalis electus est, in Italiam veniret (anno 1545) et ibi quoque causam domorum recollectionis susciperet, concedens eis anno 1526 eadem statuta ac Hispanis, malum iam amplius non erat sanandum, quia *Matthaeus a Bassi* iam institerat viam suam, qua eum secuti sunt multi. Quaeque Franciscus de Angelis hoc modo adhuc conservare noverat, deperdidit eius successor Paulus Pisottus, qui eos fratres severioris inclinationis, quibus mores quidem Capuccinorum non arridebant, compulit fundare *familiam Reformatorum,* cui Clemens VII postea dedit proprias constitutiones (anno 1532).

Praeterea etiam in ipsa familia Observantium semper *domus recollectionis secundum intentionem pristinam* exsistebant, quarum historia hucusque paene ignota est. Saepe enim difficile est dictu, utrum talis domus pertinuerit ad Reformatos vel Recollectos, an revera annumeranda sit alicui provinciae Observantium, idque eo magis, quod habitatores earum non sunt appellati nomine certo et definito; promiscue enim vocabantur Recollecti vel Reformati, etiamsi nullam cum his ordinis familiis relationem habebant [1]. Ideoque praecepit capitulum generale anno 1604, ut omnis religiosus „provinciae observantis degens in conventu recollectionis“ simpliciter dicendus esset Minorita Observans [2].

Quieta evolutio domorum recollectionis multum passa est studiis Discalceatorum, Reformatorum et Recollectorum, qui semper eadem sibi incorporare quaerebant. Haec fuit sors provinciae *S. Antonii*

---

[1] Cf. Gub. IV 37. [2] Chron. III 1, 366.

in Lusitania, quae anno 1565 ex domibus recollectionis orta et mox Discalceatis adiuncta est, idque totaliter anno 1639 [1]. Simili modo anno 1581 *provincia Tarraconensis* e domibus recollectionis provinciarum Aragoniae, Valentiae et Catalauniae erecta est instigante *Angelo de Paz,* qui eiusdem provinciae factus est primus minister, quod et quaesierat. Cum vero membra harum domorum hac re non essent contenti, nexus provinciae post duos annos iterum dissolutus est. Fratres partim iterum ad proprias domos recollectionis redierunt, partim vero ad Capuccinos transierunt, in quibus fuit beatus *Nicolaus Factor* [2]; qui tamen mox iterum factus est Observans. Postea tres provinciae, quas supra nominavimus, pactae sunt cum suis domibus recollectionis [3], ut hae semper definitorem ex suo gremio desumptum haberent, qui in Recollectos iura visitatoris exercere posset. Membris domorum recollectionis permissum est, ut ad ceteros conventus provinciarum redire possent.

Neque melius Discalceatis contigit res, cum anno 1622 domus recollectionis provinciae Catalauniae auctoritate Gregorii XV in provinciam erigerent et sine mora iurisdictioni vicarii generalis Discalceatorum substituerent [4]. Nam haec mutatio violenta non diu stetit, probabiliter, quia fratres ibidem habitantes, qui in brevi Pontificio „reformati" vocantur, non consenserunt. Similia facta sunt et alibi [5], quare mirum non est, si provincia Conceptionis in Hispania petiit breve a Clemente VIII, quo prohibebatur erectio domorum alterius disciplinae intra terminos suae provinciae [6]. Ceterum omnes domus recollectionis contra suum finem agebant, casu, quo propriam constituebant provinciam; hoc enim pacto fratres labores suscipere tenebantur, quos sese recipiendo in domus recollectionis antea fugerant.

Tandem anno 1676 capitulum generale instructum experientia multorum annorum, exaravit statuta apta his institutis [7], in quibus praecipiebatur, ut in singulis provinciis saltem tres, sed neque plus quam quattuor domus recollectionis essent, cum quibus simul coniungendus esset novitiatus provinciae, non vero studium clericorum. Eis, qui nolebant remanere in domibus recollectionis, licitum erat redire in provinciam. Haec erat solutio nodi Gordiaei. Hoc enim

---

[1] BD II 198. [2] W XIX 59; XX—XXI passim.
[3] BD I 273. Gub. II 469. Cf. W XXI 188.
[4] BD II 18. [5] Ibid. 203. Gub. II 481. [6] Gub. II 477.
[7] Gub. II 462; IV 219. Statuta pro domibus *Hispanis* facta anno 1621 inveniuntur in Chron. I 660; quae vero accesserunt anno 1682, vide apud Gub. IV 277; Chron. III 1, 240.

facto provinciae domibus recollectionis indigebant et vice versa, nam domus recollectionis educabant novitios, provincia vero clericos. Parvus domorum numerus sufficiens erat, quia spiritus severitatis extraordinariae paucorum est, et quia illis, qui amplius nolebant restare in eis, licitum erat redire in provinciam. Principia haec directe opposita sunt principiis, quibus nitebantur familiae reformatae, quaeque in se habebant germen illius relaxationis, quae postea semper est secuta. Ubicumque principia haec in usum venerant, provinciis maximo erant beneficio, simulque ulteriores separationes arcebant. Dolendum est, quod non ubique introducta sunt, quod patet ex eo, quod adhuc anno 1758 minister generalis *Clemens Panormitanus* praecipere debebat, ut in unaquaque provincia ordinis saltem una vel duae domus recollectionis erigerentur. Provinciis non obtemperantibus receptio novitiorum interdicta est [1].

Speciali modo commemorari merentur domus recollectionis *(Ritiri)* intra *provinciam Observantem Romanam* versus finem saeculi XVII ortae et propagatae per totam Italiam praesertim per beatum *Thomam a Cora* et *Theophilum a Corte* [2], quae nullum breve in suum favorem petentes et omnes exemptiones et dignitates recusantes in omnibus se subdiderunt superioribus suis provincialibus. Ideoque et semper undequaque sunt adiutae, nemini dantes offensionem, sed gaudium imperturbatum omnibus, maxime vero historiographo ordinis, quia pauca tantum exempla huius generis commemorare potest. Hoc loco nominanda est domus recollectionis *S. Antonii de Baratoxa* in Lusitania, quam minister generalis anno 1679 fundavit, ut missionarii populares in stricta recollectione et disciplina novas sibi vires pro laboribus Apostolicis comparare possent. Duobus annis post domus eiusdem generis erecta est in Hispania [3].

Hae domus recollectionis nunquam totaliter sunt relictae, et hodie quoque inveniuntur in ordine. Statuta earum similia sunt ordinationibus anni 1676, excepto praesertim eo, quod ulterius non est necessarium, easdem novitios suae provinciae educare [4].

---

[1] *V. Haute,* Misc. XII 6. Regole e costituzioni da osservarsi in tutti li conventi di ritiro dell' ordine de' Minori decretate dal Fr. Pasquale da Varese, Min. Generale, Roma 1774.

[2] Chron. III 1, 498. *C. Mariotti,* Il ritiro di S. Francesco presso Civitella, Roma 1899. *T. Domenichelli,* Vita del b. Teofilo di Corte, Quaracchi 1896.

[3] Chron. III 1, 184. Gub. IV 335. Quoad Italiam cf. *Patrem* 44.

[4] CC. GG. art. 8—11 30—31. Statuta pro sacris recessibus in ordine fratr. Min., Quaracchi 1905.

§ 69. Historia Reformatorum usque ad mortem Gregorii XV[1].

Imprudentia ministri generalis Pauli Pisotti causa fuit, quare aliqui fratres severioris inclinationis ducentibus *Francisco Aesino* (Iesi) et *Bernardino Astesano* (Asti) appellarent Pontificem, qui eis benigne annuit, edens anno 1532 bullam „In suprema“ [2], in qua disposuit, ut in unaquaque provincia iuxta peculiares indigentias erigerentur domus, in quas se recipere possent illi fratres, qui cuperent regulam purius observare iuxta declarationes tamen „Exiit“ et „Exivi“. Praeterea concessit eis, ut vestimentis pauperibus et repetiatis uti possent, ut incederent nudis pedibus sine sandalis sicut Discalceati supposito tamen, quod formam habitus vel caputii non mutarent. Hi conventus subiciebantur proprio custodi, qui cum guardianis sibi subditis in capitulo provinciali vocem activam et passivam habebat, ibique superiores pro domibus recollectionis proponere poterat. Fratres, qui ei videbantur inepti, ad conventus Observantium remittere poterat.

Nihilominus Reformati parum proficiebant, immo ambo eorum duces post duos annos transierunt ad Capuccinos. Verum quidem est multos superiores Observantium non favisse studiis Reformatorum, attamen supposito sufficienti numero fratrum, qui parati erant vivere vitam eorum, progressus facere debebant, quia proprium habebant custodem. Paucis vero arrisit vita, quae in ultima analysi imitatio vitae Guadalupensium erat, ideoque non conveniebat circumstantiis in Italia exsistentibus. Singulis diebus primi Reformati meditationi per duas horas incumbebant recitabant officium defunctorum, officium B. M. V. et psalmos poenitentiales. Assa igni tantummodo bis in hebdomada edebant, ceteris diebus panem, fructus et herbas. Plura ieiunia quadragesimalia observabant et faciebant multa austera et aspera poenitentiae opera [3]. In his quidem postea remiserunt; attamen mirum non est, tunc Minoritis Italis hanc vitam anachoretarum Aegyptiorum displicuisse. Multi igitur fratres, qui transierant ad Reformatos, redierunt ad propria, vacuas saepe relinquentes domus, quare in multis provinciis custos Reformatorum supervacaneus erat. Maxime profecisse videntur Reformati in provincia Mediolanensi et Venetensi, ex quibus propagati sunt per Germaniam et Austriam, usu tamen vivendi iam mitigato.

Si Reformati in domibus suis vitam vixissent rationi conformem, certe multos recepissent Observantes, qui modo transierunt ad Ca-

---

[1] Gub. II 327. Chron. I 241. *Patrem* 40.

[2] W XVI 328. Gub. II 338.

[3] Gub. II 441.

puccinos. His ergo suppositis neque multum potuit proficere decretum capituli generalis anni 1535 de adiuvandis eorum domibus recollectionis. Continuo enim transitus inter diversas congregationes accidebant, usquedum Papa anno 1537 decerneret, ne quis sine licentia superiorum in scriptis obtenta ad alias congregationes transiret. Haec in bonum versa sunt Reformatorum, eoque magis, cum eodem tempore sensim sine sensu remitterent de excessu severitatis suae. Igitur domus eorum circa annum 1550 iterum multiplicatae sunt faventibus quibusdam superioribus ordinis [1]. Sed mox fatalem commiserunt errorem, procurantes sibi anno 1579 a Gregorio XIII breve „Cum illius vicem“ [2], quo eis concedebatur, ut paene totaliter ab ordine secederent. Privilegia in hoc decreto contenta erant haec: Fratribus, qui semel Reformationem acceperunt, ad Observantes redire ulterius non licet. Custos Reformatorum omnes Observantes recipere potest, quin superioribus eorum nuntium de hac re transmiserit. Eximuntur totaliter a iurisdictione ministrorum provincialium; minister vero generalis tantummodo in propria persona capitulorum custodialium eorum particeps esse potest, quin tamen eis in aliqua re contradicere vel eorum statuta et electiones probare vel confirmare possit. Constitutionibus ordinis non sunt subiecti. Guardiani eorum, etsi iurisdictioni ministrorum provincialium non subsunt, voce activa et passiva in capitulis provincialibus gaudent; liberum eis est exigere a suis provinciis conventus, quibus egent, quique eis negari non possunt. Observantibus amplius non licet praedicare vel mendicare in terminis horum conventuum, Reformatis vero conceditur facultas eundi quocumque volunt, praesertim Romam, ubi tunc occupaverant conventum *S. Francisci ad Ripam.* Denique desiderium magnum eis impletur: Reformati „habitus deteriores coloris contemptibilis portare possunt“ eosque repetiare saccis et aliis petiis cum benedictione Dei. Ad haec circumcidebant et mantellum et sic denique significabant etiam ad extra se esse fratres Reformatos.

Haec *bulla Gregoriana* facta est lapis offensionis aeque ac antea bulla Eugeniana. Iam eodem anno minister generalis Gonzaga, ut ipsa suspenderetur, impetravit, simul Reformatos multis precibus obtestatus est, ne ordinem scinderent, mandavitque superioribus Observantium, ut eorum caritativam gererent curam. Statuta Francisci de Angelis anno 1582 de novo publicata sunt pro Reformatis,

---

[1] W XXI 20 190. [2] Ibid. 510. Gub. II 355.

simulque eis proprii custodes et guardiani concessi[1], iterumque anno sequenti favores eorum aucti sunt. Annis sequentibus speciali benevolentia Clemens VIII Reformatos prosecutus est[2]. Hic ad capitulum generale Vallisoletanum anni 1593 multa praecepta in Reformatorum bonum transmisit, in quibus erat et illud, quod domus novitiatus simul deberent esse domus recollectionis, quarum tres saltem in unaquaque provincia erigi deberent. Bonaventura de Caltagirone in eodem capitulo electus minister generalis intentiones Pontificis exsecutus est, imperavitque visitatoribus, ut domibus recollectionis ubique faverent. Anno sequenti 1595 idem consentiente Clemente VIII *novas constitutiones pro Reformatis Italiae* publicavit[3], in quibus Reformatis, servato nexu cum provinciis, ad quas pertinebant, libertas necessaria conceditur, quippe qui proprium custodem et duos discretos custodiales acciperent, qui in capitulis provincialibus superiores pro domibus recollectionis proponere possent. Hae ordinationes certe prudentes erant, quibus Reformati contenti esse poterant, praesertim cum etiam eorum usus vitae sufficienter severe disponerentur. Quoad paupertatem eis praeceptum est, ut tantummodo ea mendicarent, quae ad victum quotidianum necessaria essent, neve superflua pro comparandis aliis rebus necessariis alienarent. Quoad cetera omnia tantummodo uniformitas habitus cum Observantium vestitu erat praescripta, ut vitaretur „varietatis monstruositas".

Non obstante hac obvia ordinis voluntate Reformati, vel, ut melius dicam, aliqui ambitiosi eorum duces non erant contenti „ob varias causas ab eorum Visitatoribus propositas". Revera, instigantibus praesertim Mediolanensibus, consecuti sunt, ut Clemens VIII[4] anno post confirmationem novarum constitutionum vix elapso (1596) bullam Gregorianam iterum confirmaret. Tandem aliquando procurator ordinis *Franciscus de Luniano* animum collegit, ut graviter moneret impossibilem esse ordinis gubernationem, si quilibet per recursum ad Sedem Apostolicam optimas et saluberrimas ordinationes ministri generalis infringere posset. In hoc tamen procurator non quievit. Optime cognoscens, fontem principalem omnium sectarum in ordine esse ignorantiam rerum in ordine hucusque gestarum, cogitavit ordinare omnia decreta Pontificia ad ordinem pertinentia, quae insimul de novo confirmata, apta erant fratres bona fide severiores docere, quousque seducerent talia studia. Dolendum est, quod

---

[1] W XXI 183 337. Gub. II 350. [2] W XXII 157 201.
[3] Gub. III 561. W XXIII 175. Chron. I 503. [4] Gub. II 355.

Ioannes Baptista Moles, Discalceatus, tunc temporis commissarius generalis familiae ultramontanae in Curia Romana, impedivit hoc opus. Ipse timens, ut videtur, talem historiam impetravit die 20 Septembris 1597 [1] breve, quo omnia privilegia Regularis Observantiae confirmata sunt, appositis tamen his verbis: „Salvis decretis in favorem Reformatorum concessis.“ Similis zelus Discalceatorum pro privilegiis Observantium hucusque erat inauditus; scopum vero suum consecutus est frustrando intentum procuratoris.

Tum vero ordo ipse Pontifici instanter defectus iuridicos bullae Gregorianae proposuit, petens, ut eisdem occurreretur; parum tamen assecutus est, quia non placuit errores commissos confiteri. Immo Clemens VIII viam, quam instIterat, ulterius est prosecutus concedens Reformatis proprium procuratorem et visitatores independentes [2]. Frustra minister generalis novitios in domibus recollectionis educandos et quattuor provincias ex custodiis Reformatorum erigendas, ut ibidem suos clericos ipsi possent instituere, proposuit, Reformati enim omnia reiecerunt retinentes suos visitatores, qui contempserunt nomen „visitatorum generalium“ sibique comparaverunt titulum „visitatorum Apostolicorum“ [3].

Mirandum non est haec omnia Observantes ita ad amaritudinem provocasse, ut libellos quoque famosos contra Reformatos ediderint. His quoque in circumstantiis minister generalis constanter et iuste egit. Ad capitulum generale anni 1600, cui interesse in propria persona non potuit, litteras misit [4], in quibus affirmat sanctam et utilem atque multis provinciis necessariam reformationem non nisi per feliciores strictioris Observantiae progressus fore sperandam. In hoc autem tum Observantiae tum Reformationis patres gravius errasse proclamat, hos quidem, quia rigores vitae omnino nimios supra regulae mentem vellent conservare, quia nulla haberent studia, nullas ad extra occupationes laboriosas, quo factum esset, ut vel pauci ad Reformatos transitum expostulaverint, pauciores ibidem remanere consenserint. Quocirca, si sancte multiplicari vellent rigores supra regulam, tales appetere in communi et sub obligatione non deberent. Gravius etiam eos accusat, quod non pure et sincere coram Deo profectus suos, sed „depressionem regularis Observantiae“ nimio zelo procuraverint [5]. Observantes etiam redarguit, quod

---

[1] W XXIII 474. [2] Gub. II 363. [3] Ibid. 366. [4] Ibid. 369.

[5] Cf. *Fulgentius Manfredus,* Reg. Observ., Apologia ovvero difensione sopra la riformazione dell' ordine suo contro quelli, che sotto pretesto di riformare lo difformano, ca 1603. Sbar. SS. 294.

Reformatos non fovere, sed enervare ultra metas iustae defensionis nimio ardore tentaverint. Ad hoc itaque deveniendum esse concludit, ut comitiis peractis per aliquos tum de Reformatione tum de Observantia patres statuta non ultra, sed secundum regulam ederentur, ne aliam in ordine reformationem ad regulae praescriptum erigi esset necesse.

In capitulo generali consilium quidem de maiori partium unione initum est, quia Reformati videbant se ubique odio esse propter sua studia secedendi, post capitulum vero res remanebat quasi eadem, immo Reformati, ut occurrerent vituperio a ministro generali adversus se directo, procuraverunt sibi a Clemente VIII testimonium, se observare purius regulam, quam Observantes [1]. Nihilominus ex statutis, quae tunc temporis confecerunt, patet verba ministri generalis de nimio rigore animum eorum movisse [2].

Postquam Paulus V iurisdictionem ministri generalis et provincialium in Reformatos iterum confirmavit, tempore *Gregorii XV* haec secta novos favores adepta est. Simul cum Paulo Matritensi *Paulus de Livorno* et *Didacus Bononiensis,* laici Reformati, talem influxum exercebant in Pontificem, ut omnia iuxta eorum beneplacitum fierent, idque non in bonum concordiae. Confirmabantur quidem anno 1621 decreta Pauli V, attamen Reformatis concedebatur, ut procuratorem proprium haberent, qui independenter nominaretur a protectore ordinis. Huius procuratoris erat instituere visitatores pro Reformatis, qui tantummodo ipsi et protectori ordinis rationem reddere tenebantur. Minister generalis quasi totaliter sepositus est et relatio ad provincias laxata. Ad capitulum provinciale solus custos Reformatorum comparere tenebatur idque cum voce tantummodo activa [3], quia Reformatis ulterius non licebat officia apud Observantes subire; generaliter enim illi, qui hucusque talia acceperant munera, apud Observantes remanserant. Ad haec tres laici, quos supra nominavimus, ne his quidem contenti, absente ministro generali consecuti sunt, ut Reformatis concederetur proprius vicarius generalis cum capitulo generali et definitoribus generalibus [4]. Capitulo generali totius ordinis Reformati amplius non intererant, excepto vicario generali, qui sola voce activa usus est. *Antonius Strozzi,* novus vicarius generalis, mox Reformatis non magis placuit quam minister

---

[1] Gub. II 371.
[2] Statuti generali per tutte le riforme d'Italia, Genova 1601.
[3] Gub. II 374. [4] W XXV 434. Gub. II 376.

generalis, quare Pontifex coactus est eum deponere anno ab eius institutione nondum elapso. Attamen neque hoc factum, neque preces ministri [1] et procuratoris generalis, neque libelli famosi, qui cum scandalo populi edebantur, Pontificem liberare potuerunt ab influxu istorum trium laicorum.

§ 70. Historia Reformatorum post mortem Gregorii XV.

Urbano VIII regnante anno 1624 remoti sunt vicarii generales Reformatorum atque anno sequenti eorum visitatores proprii. Simul decretum est, ut novitii omnium provinciarum educarentur in domibus Reformatorum, et ut ministri provinciales eligerentur, in quantum fieri posset, ex eorum gremio, quo tamen in casu proprium custodem habere non possent [2]. Bonum hoc fuisset, si Reformati intendissent reformare Observantes, attamen ipsi cupiebant his imponere praecepta non correspondentia regulae et spiritui S. Francisci, quibus Observantes contenti esse non potuerunt. Ex querelis Reformatorum vero patet, eos iam prope accessisse ad Observantiam mitigatam, pertinaciter tantummodo retinuisse aliquas austeritates externas [3]. Demum anno 1628 pax aliquo modo restituta est, cum Observantes suos novitiatus iterum reciperent, totaliter denique anno 1639, cum Urbanus VIII per bullam „Iniuncti nobis" [4] *ex omnibus custodiis Reformatis in Polonia et Italia provincias* erigeret, quae titulo gaudebant provinciae matris apposito nomine „reformatae". Procurator generalis Reformatorum etiam in posterum a protectore Cardinali nominandus est. Minister generalis plenaria gaudet iurisdictione in Reformatos, vicarium vero suum tantummodo ex Reformatis eligere potest; in gubernatione Reformatorum dependet ab eorum statutis. Transitus ab una familia ad alteram post longiorem dubitationem concessus est, si ambo ministri provinciales consentirent [5]. Notatu dignum est illud interdictum, quo ordinatur, ne *Observantes* in posterum novas introducant reformationes; hoc enim et Leo X iam prohibuerat, et numquid forsitan Observantes contra illud peccaverant? Anno 1641

---

[1] Hic tunc temporis contra Reformatorum calumnias scripsit: Apologeticum pro religione regul. observant. Minorum. Sbar. SS. 125.

[2] Gub. II 184 380 382.

[3] Gub. II 185 383. Statuti generali delle riforme de' Minori Osservanti Cismontani accettati . . . l' anno 1625 et novamente corretti . . . l' anno 1628, Roma 1628.

[4] Gub. II 384. [5] Ibid. 395.

Pontifex supplevit aliquas dispositiones quoad usus vitae Reformatorum, praesertim quoad eorum studia, quae parum colebant [1]. Reformati anno 1642 *statuta sua in lingua Italica* [2] sibi ipsis composuerunt, quae postea aeque ac constitutiones generales saepius sunt correcta et aucta.

Anno 1639 res a Reformatis in communi gestae quoad maximam partem terminantur, etiamsi et imposterum eorum studia particularia saepius recrudescerent. De historia vero non publica eorundem valent, quae diximus de Discalceatis (§ 67). Inter Sanctos eorum eminet *Pacificus a Sanseverino* [3]. Econtra *S. Benedictus a Philadelpho* [4] vix adnumerari potest Reformatis. Ipse enim primum ad congregationem *Hieronymi Lanza* pertinebat [5]; qui circa medium saeculum XVI fratres ex ordine Minorum et Praedicatorum colligebat, quibuscum observare volebat regulam S. Francisci sine glossa, ereiticam simul degens vitam. Hi omnes, cum Pius IV anno 1562 congregationem dissolveret, iussi sunt ingredi ordinem iam approbatum, quo facto *S. Benedictus* elegit domum recollectionis pertinentem ad quandam provinciam Observantiae.

Maiore iure Reformati vindicare sibi possunt *S. Leonardum a Portu Mauritio* [6], quamquam et ipse non pertinuit ad Reformatos in sensu vulgato. Ipse se ascripserat Reformationi, quam *B. Bonaventura Barcinonensis* [7] circa annum 1662 in provincias *Reformatas* Romanas introduxerat quaeque dicitur *Riformella* [8]. Relatio eiusdem ad has provincias quasi eadem erat, atque relatio Reformatorum ad Observantes ante annum 1639. Consentiente Pontifice B. Bonaventura fundaverat quosdam sacros recessus *(Ritiri),* ubi asseclae eius severissimam agebant poenitentiam, intendentes observare regulam S. Francisci sine glossa. Horum recessuum domus principalis erat conventus *S. Bonaventurae supra Palatinum,* cuius guardianus ministro provinciali subditus congregationem regebat. Ipse S. Leonardus Pontifice permittente duos recessus in Tuscia fundavit, ad quos

---

[1] Ibid. 386.

[2] Chron. II 23 230. Gub. IV 87. Cf. Chron. III 1, 320.

[3] *S. Melchiorri,* Vita di S. Pacifico da San Severino, Roma 1839.

[4] *B. Nicolosi,* Vita di S. Benedetto da S. Fratello, Palermo 1907.

[5] Gub. I 665. *Patrem* 44.

[6] *Salvatore di Ormea,* Vita del B. Leonardo da Porto Maurizio, Roma 1851. *L. Wörnhart,* Der hl. Leonard von P. M., Innsbruck 1869.

[7] *E. Crivelli,* Vita di Fra Bonaventura da Barcelona, Quaracchi 1901.

[8] Chron. III 1, 291 552; III 2, 460. *Patrem* 44.

Incontro apud Florentinam civitatem pertinet, quibus dedit statuta peculiaria ad normam constitutionum Discalceatorum in regno Neapolitano. Nexus fundationis S. Leonardi cum congregatione Romana decurrente tempore solutus est. Quantum spiritus pristini fundatio B. Bonaventurae perdiderit, patet ex litteris Pontificiis anni 1767, in quibus fratres eiusdem severe vituperantur propter ambitionem dignitatum [1].

Perlustrantes *terras in quibus Reformati vivebant,* invenimus patriam eorum fuisse et mansisse Italiam, unde propagati sunt in provincias cismontanas, idque imprimis in *Bavariam.* Conventus huius regionis pertinentes ad provinciam Germaniae superioris et propterea ad familiam cismontanam multum damni erant passi tempore reformationis ecclesiasticae, quare duces Bavariae, praesertim Maximilianus I, optabant, ut in eisdem regularis vita instauraretur. Rebus diu cum Pontifice et superioribus ordinis tractatis anno 1620 *Antonius a Galbiato* Reformatus ex provincia Mediolanensi in Bavariam advenit, conventus ibidem exsistentes non secundum proprias leges reformaturus, sed eos a provincia matre seiuncturus, compellens fratres invitos ad recipiendam vitam Reformatorum Italorum. Statim ab omnibus acriter impugnatus est non obstante quod dicebat „non esse, quod quis trepidare deberet super hac strictiori observantia, quia supposita qualitate regionis inveniretur modus et via, quod posset quilibet suaviter et feliciter in hac strictiori Observantia vivere et perseverare“ [2]. Ideo via diplomatica — fortiter in modo, suaviter in re — Observantes Bavariae facti sunt Reformati, quin ad hoc aliquam conferrent operam; immo primam constituerunt provinciam Reformatorum, quia anno 1625 conventus Bavari iterum sine ipsorum opera iuncti sunt ad constituendam propriam provinciam [3]. Separatio eorum non solum a natione Germanica, sed etiam a familia ultramontana iterum contradictiones excitavit neque provinciae ipsi erat commodo. Studia tamen nationis Germano-Belgicae directa ad impedienda haec omnia nihil sunt adepta [4].

Idem ipse Antonius a Galbiato Reformationem etiam in provincias vicinas introduxit, quae universae sine ulla separatione ad Reformatos transierunt, videlicet provincia *S. Leopoldi* in Tyrolo anno 1628, *Austriae* anno 1632, *Bohemiae* anno 1660 et *Carniolae* anno 1688 [5].

---

[1] *V. Haute,* Misc. XII 303. [2] Gub. II 425.
[3] *Greiderer* II 258. [4] Reg. GB I 188 222.
[5] *Greiderer* I 75 288 597; II 13.

Ut nexus harum provinciarum cum ceteris eiusdem familiae servaretur, plerumque visitatores Itali mittebantur, quod tamen tantam mox provocabat indignationem, ut Leopoldus Imperator anno 1661 pro provinciis sibi subditis visitatores propriae nationis postularet [1].

Maioribus difficultatibus coniuncta erat introductio Reformationis in *Poloniam* [2]. Quamquam Clemens VIII protector Reformatorum declaraverat, Observantes in Polonia exemplariter viventes non indigere reformatione, et ipsi Poloni, ut periculum declinarent, decem domus recollectionis in sua provincia erexerant, tamen Reformati Itali ineunte saeculo XVII saepius conabantur penetrare in Poloniam, sed frustra, usquedum *Didaco Bononiensi* contingeret, ut a suo protectore Gregorio XV licentiam acciperet erigendi in Polonia *novas* domus Reformatorum, ex quibus denique duae custodiae sunt formatae. Anno deinde 1634 Observantes et Reformati decreverunt unionem, quam et maior pars Reformatorum optabat, attamen Itali eam impediverunt et obtinuerunt anno 1637 restitutionem ambarum custodiarum, simul cum conditione a Pontifice confirmata, ne eaedem unquam erigerentur in provincias. Duobus vero annis post et ipsae factae sunt provinciae sicut custodiae Italae.

§ 71. Historia Recollectorum [3].

Domus recollectionis ex Hispania *in Galliam* sunt propagatae, attamen propter perturbationes reformationis ecclesiasticae convalescere non potuerunt, etsi Observantes Galli, qui in disciplina regulari multum remiserant, illis opus habebant. Regno Gallico circa annum 1570 magis pacificato orta est domus recollectionis in loco Cluys pertinente ad provinciam Turoniae Pictaviensis. Ast neque haec diu stetit [4]. Denique in capitulo generali Parisiensi anno 1579 Franciscus Gonzaga strenue curam huius institutionis suscepit nominando in hunc finem *Martinum Boery* commissarium suum, quin tamen aliquid memoratu dignum assecutus sit. Neque plus profecerunt *Robertus Prévost* et *Franciscus Simonis,* qui ex Italia et Hispania revertentes,

---

[1] Gub. II 426. [2] Ibid. 427.

[3] Gub. II 395. *V. Haute* 114. *Patrem* 38. *Rapine* 598. *Sommaire* de ce qui s'est passé à l'égard de la réformation des religieux de l'ordre de S. François depuis l'année 1517. S. l. s. a. (ca 1675). *Hyac. le Febure,* Histoire chronologique de la province des Récollets de Paris sous le titre de S. Denys depuis 1612 à 1676, Paris 1676.

[4] *Rapine* 604.

ubi vitae, quam strictior Observantia ducebat, cognoscendae causa morati erant, adierunt provinciam Aquitaniae antiquioris. Elegerunt hanc provinciam, quia ibidem reformationem iam bene auspicatus erat *Franciscus Dozieck*, qui cum aliquibus sociis a Capuccinis ad provinciam matrem redierat. Minister generalis, qui favebat studiis eorum, procuravit eis aliquas domus recollectionis, in quibus erat *Rabasteins*. Dozieck constitutus est primus eorum custos iuxta decreta Clementis VII edita anno 1532. Attamen his decretis non in omnibus obtemperantes introduxerunt innovationes in vestibus; ceterum in principio multa, quae viderant apud Discalceatos, Reformatos et Capuccinos acceperunt. Praeterea ad conventum loci *Nevers* in Gallia inter septentriones et occasum solis spectante vocati erant Reformati Itali, qui tamen redire coacti sunt, quia populus Galliae exordiis reformationis minime favebat.

Clemens VIII, amicus Reformatorum, qui omni modo domus recollectionis augere studebat, ministrum generalem Bonaventuram a Caltagirone induxit, ut maiorem illarum gereret curam. Hic, cautus ex eis, quae expertus erat in causa Reformatorum Italorum, imprimis publicavit anno 1595 statuta „pro Belgicis et Gallicis Recollectis“ [1], quae postea anno 1621 extensa sunt ad eorum socios in Hispania. Unitas domorum recollectionis cum provincia in vestibus et constitutionibus servatur, magnus tamen campus praestatur austeritatibus, simulque conceditur fratribus recollectis, ut novitios suae provinciae educare possint. Denique minister generalis fratres severiores admonet, ut sint pacifici et humiles erga ceteros, allegans verba sancti evangelii: „Cum haec omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus.“

Haec tamen non ambibant eorum duces, qui cupiebant accipere iura Reformatorum Italorum, praesertim proprias vestes et exemptionem ab oboedientia erga suos superiores; affirmabant enim non posse proficere reformationem sub ministris non reformatis. Hae querelae aliquibus in casibus fundatae fuisse videntur ideoque acceperunt anno 1601 *commissarium Apostolicum* [2]. Huic, qui gaudebat amplissimis facultatibus, ope regis Galliae contigit, ut fundaret ubique domus pro „Reformatis“. Ipsi dicebantur in lingua Gallica *Récollets*, ab adversariis vero suis vocabantur probrose *Clémentins* [3],

---

[1] Gub. III 568. [2] W XXIV 2.

[3] *Guillou*, Sommaire Factum des raisons que fournissent les PP. *Cordeliers Reformez* du convent de Rennes et autres de la grande et ancienne province de Touraine . . . contre les Récollets Clémentins . . . (1644).

probabiliter iuxta nomen Pontificum Clementis VII et Clementis VIII, quibus debebant suum originem. Nomine *Cordeliers* vulgo significabantur Observantes et Conventuales, quorum nomina propria vix in usum venerant[1].

Ut contentionum finis fieret, anno 1612 ex domibus recollectionis Galliae duae provinciae — *S. Bernardini* et *S. Dionysii* — et una *custodia S. Antonii in Delphinatu* erectae sunt, quae tantummodo ministro generali suberant. Novis ministris provincialibus pars fratrum reformatorum subito negavit oboedientiam, quo factum est, ut protectori ordinis opus esset denuo provincias alio modo circumscribere (cap. II)[2]. Itaque Recollecti proprios habentes superiores subiectos tantummodo ministro generali et propriis gaudentes legibus contenti esse potuerunt; nihilominus anno 1622 adierunt Gregorium XV, ut retinere possent privilegia bullae Gregorianae (§ 69), quae habuerant, priusquam provinciae fierent. Ideo anno 1637 proprium acceperunt vicarium generalem, sed ad breve tantummodo tempus[3]. De cetero constituebant unitatem moralem cum legislatione communi[4].

Durantibus primis saeculi XVII decenniis magna erat *differentia inter Recollectos et Observantes* in Gallia, etsi hi praecepta sua ubique stricte observassent, quod revera non accidit. Unus ex primis Recollectorum ministris provincialibus[5] ostendit nobis „specimen veri fratris minoris", ex quo patet Recollectos Gallos quoad modum vestiendi et vivendi plurima hausisse ex usibus Capuccinorum et Discalceatorum; spiritum autem veri Minoritae neque in materia neque in forma huius descriptionis inveniemus. Attamen et Recollecti in Gallia exsistentes sensim sine sensu excessibus, qui generaliter in principio similium fundationum inveniuntur, moderati sunt, retinentes

---

[1] *Othon* III 13.

[2] W XXV 6 50 56 92. Cf. Pro tuenda atque augenda reformatione fratrum Min. Reformatorum seu Recollectorum strictior. obs. regni Franciae ad SS. D. N. Paulum V Humilis supplicatio ex parte ac nomine totius custodiae Recollectorum Prov. Aquitaniae antiquioris, Burdigalae 1613. — *Accord* faict entre les Pères Observantins de la Province de S. Bonaventure et les P. Récollets de la Custodie de S. Antoine en Dauphiné, Lyon 1618.

[3] Gub. II 416 420.

[4] Statuta generalia fratrum Minorum Recollectorum regni Galliae in Congregatione Nationali Nivernensi a. 1640 approbata, Parisiis 1641. Constitutiones generales Recollectorum totius regni Galliae in Congreg. Nat. a. 1770 approbatae, Parisiis 1773.

[5] *Rapine* 18.

sapientem paupertatis amorem, zelum pro missionum incremento et austeritatem poenitentiae, quae quidem opera praescripta a regula S. Francisci excedebat. Mox et apud clericos et laicos sibi comparaverunt auctoritatem durantem usque ad saecularisationem tempore rebellionis, immo curia quoque Galliae illis semper favebat et committebat ipsis *officium sacellanorum campestrium*, in quo cum exercitu Gallico communicabant labores bellorum.

E Gallia, vel, quod magis videtur verisimile, ex Hispania Recollecti progressi sunt in *Belgium*, ubi primis temporibus sub protectione ministri generalis in domibus recollectionis vivebant. Postea, anno 1603, et ipsi comparaverunt sibi privilegia Recollectorum Gallorum, quibus tamen non diu fruebantur, quippe quae iam anno 1605 propter perturbationes bellicas iterum sint suspensa[1]. Contentiones in hac quoque ordinis parte deinceps ortae, finitae sunt anno 1629 erectione *provinciae Recollectae S. Iosephi in comitatu Flandriae*, quae erat prima et unica provincia nationis Germano-Belgicae, quae eadem ratione ac via sicut Reformati Itali et Recollecti Galli reformationem introduxit.

Ut similes perturbationes declinarent, ceterae provinciae eiusdem nationis prudentissimam instituerunt viam. Ipsae iam ineunte saeculo XVI fundaverant domus recollectionis subiectas omnino ministris provincialibus et differentes a ceteris conventibus tantummodo per severiores usus vitae[2]. Hos usus *provincia Coloniae* anno 1621 pro omnibus conventibus suis praescripsit, quin tamen nomen provinciae Observantis mutaret. Denique ex anno 1646 se appellavit provinciam Recollectam „ob plures rationabiles causas“[3]. In decursu temporis eam secutae sunt ceterae provinciae eiusdem nationis. Ita *provincia Germaniae inferioris* sibi nomen provinciae Recollectae anno 1670 occasione capituli generalis imposuit, quin tamen modum vitae, uti protestatur in suis statutis, in essentialibus mutaret, quia pauca tantummodo accessissent, quae respicerent orationem mentalem et recollectionem spiritus[4]. Haec immutatio apud omnes provincias nationis Germano-Belgicae anno 1682 erat perfecta[5].

---

[1] W XXIV 412 456. Gub. II 420; III 607.

[2] *V. Haute,* Misc. IV 967.

[3] Statuta provincialia almae Prov. Coloniensis Fr. Min. Recollectorum in Cap. Prov. 1649 revisa . . ., Coloniae 1661.

[4] Statuta Fr. Min. Recollectorum Prov. Infer. Germaniae a Cap. Provinciali 1672 revisa, Mechliniae 1672.

[5] Gub. I 479.

Ex his patet Recollectos huius nationis cum Reformatis Italiae, cum Discalceatis Hispaniae et cum Recollectis Galliae comparari non posse, quia hi non reformabant suas provincias ipsas, sed fundabant domus recollectionis et novas provincias intra terminos provinciae antiquioris, Recollecti nationis Germano-Belgicae econtra non fundabant novas domus recollectionis[1], sed reformabant suas provincias ipsas etsi non modo excessivo, quare dici possunt provinciae constantes ex domibus recollectionis secundum mentem Francisci de Angelis. Cur nomen Observantium mutaverint in nomen Recollectorum non satis patet, videntur tamen hoc fecisse, ut melius propulsarent irruptiones fratrum ceterarum reformationum, quas viderant in Bavaria, Austria et Polonia. Hoc modo servaverunt in suis ditionibus unitatem et pacem, simul cum severa Observantia, cui non solum visitatores, sed etiam commissarius nationalis invigilabant. Ex his patet, quare hae provinciae, quamquam suos habebant defectus eosque saepius magnos[2], a ministro generali et ab ordine exemplares habitae sint (cf. § 63) et quare neque Observantes neque fratres reformati cuiusque generis eis fuerint infesti. Tenebant enim inter utramque ordinis partem medium et abstinebant se a contentionibus utriusque. Neque obest, quod haec eadem ordinis pars non habeat Sanctos canonizatos, quia hoc magis dependet ab indole populi et terrae, quam a defectu fratrum vere sanctorum; certe enim Recollecti neque hac in re ceteris familiis in ordine inferiores erant.

Habitus moderatus, quem observabant Recollecti nationis Germano-Belgicae, in Observantibus spem produxit, fore ut non nimium nomini suo et caputio pyramidali insisterent. Sic forsitan intelligitur, quare Benedictus XIII anno 1729 confirmando eorum statuta nationalia exigeret, ut in bonum unitatis suo nomini et vestibus propriis renuntiarent. Attamen hac in re Recollecti nationis Germano-Belgicae gravem commiserunt errorem, quia rationibus futilibus fulti a Clemente XII anno 1731 abolitionem huius decreti postularunt et acceperunt[3]; nam si hac in re desiderio Pontificis se subiecerint, forsitan unio ordinis saeculo prius fuerit perfecta.

---

[1] Cf. *P. Marchant,* Expositio litteralis in regulam S. Francisci, Antverpiae 1631, 515 519.

[2] *V. Haute,* Misc. XII 525. Reg. GB passim.

[3] Reg. GB II 320 339.

Sectio III.

Historia ordinis ab ineunte saeculo XVIII ad nostra usque tempora.

§ 72. A capitulo generali anni 1700 usque ad capitulum anni 1723[1].

Ludovicus Torres, anno iubilaei 1700 minister generalis electus, in suis litteris encyclicis conqueritur de variis abusibus, praesertim de vagatione fratrum, causata partim a superioribus, qui fratres, quibus uti non poterant, foras mittebant, ut apud amicos vel in provincias vicinas reciperentur. Praeterea eo tempore tam in ceteris ordinibus, quam inter Minoritas multi inveniebantur apostatae, qui saepissime Romam vel Matritum se conferebant et populum scandalizabant male viventes, quare aequo saepius minister generalis et capitula de his infelicibus tractare debuerunt. Edidit quoque capitulum anni 1700 multa nova statuta, quae tamen, quamquam sunt impressa et publicata, a familia cismontana ex rationibus adhuc ignotis iterum non sunt recepta[2].

Ludovico Torres iam mense Octobri anni 1701 mortuo *Ildephonsus de Biezma* primum vicarius, deinde minister generalis factus est. Ipse officio functus esset usque ad annum 1706, sed quia propter bellicas perturbationes difficile erat capitulum celebrare, in regimine iterum atque iterum confirmatus est, primum ad annum, postea usque ad mortem suam, quae accidit anno 1716. Eisdem de causis eius successor *Ioseph Garcia,* et ipse Hispanus, non potuit convocare capitulum usque ad annum 1723. Attamen perturbationes bellicae non erant unica, immo nec primaria causa translationis capituli generalis, sed *oppositio inter nationes,* quae in dies magis exardescebat. Hucusque talis oppositio apparuerat tantummodo inter Hispaniam et Galliam simul cum Italia, quatenus haec non oboediebat dynastis Hispanis, sicut Neapolis et Mediolanum. Initio tamen saeculi XVIII talis oppositio ex bello haereditario Hispanico etiam inter Hispaniam et terras Austriacas exarduit. Igitur Imperator vetuit, ne sui subditi capitulum generale in Hispania celebrandum adirent, rex Hispaniae econtra prohibuit, quominus sui subditi ad capitulum generale extra Hispaniam comparerent. Itaque locus capituli civitas Avennionensis proposita est, ast frustra. Denique postulatum est, ut capitulum generale in Italiam convocaretur, contra quod protestatus

---

[1] Chron. II 291: III 1, 460. *V. Haute* 342. *Marczic* III 190.
[2] Chron. III 1, 470.

est minister generalis, quia hac vice secundum ordinem in Hispania esse deberet — falsum certe fundamentum protestationis, quia bulla unionis nihil continet de loco capituli alternatim mutando. Mirum igitur non est, si agendi rationem ministri generalis ita sunt interpretati: Hispanos velle retinere generalatum, quem hucusque iam per viginti tres annos continuos occupaverant. His denique indignatio de praevalentia Hispanorum in ordine perfecta est. *Accusationes*[1] acerbitate plenae mittebantur ab anonymis *ad provincias,* in quibus haec fere invenimus: Per 100 annos ministri generales familiae ultramontanae erant Hispani aeque ac ministri generales cismontanae, semper enim fratres Neapolitani vel Mediolanenses eligebantur, numquam vero Minoritae ex Patrimonio Petri, Toscana, Liguria vel Venetia, quod etiam de commissariis generalibus et procuratore generali familiae ultramontanae valet. Exprobratur ministris generalibus Hispanis, eos ordinem paene nunquam visitasse, quia subito post electionem redissent in patriam, ex quo factum sit, ut plures nationes per saeculum non viderint ministrum generalem. Officiales eorum Romae degentes partibus studuisse affirmatur, quia reciperent in conventum Aracoelitanum tantummodo hospites Hispanos, cete rosvero relegarent in infirmariam, quamquam in conventu ipso locus non deesset; immo ipsos et pretiosissima ordinis documenta ex curiis Romanis furto in Hispaniam abstulisse. Hispanos iura Terrae Sanctae violasse, quia, etsi haec provincia ad familiam cismontanam pertineret, tamen guardianum conventus Hierosolymitani in rebus temporalibus ab Hispania dependentem fecissent. Asseveratur eos, ut suprematum suum firment, multiplicare provincias suas in infinitum, dividentes et minimas, eos concessisse commissario Indiarum vocem in capitulo generali, quam commissario nationis Germano-Belgicae semper negassent. Hac agendi ratione Hispanorum orta esse iam magna scandala, praesertim apud Gallos, qui talia ulterius ferre non vellent.

Facile coniicere possumus, quantopere tales libelli in multis provinciis animos iam commotos excitaverint. Multa quidem in ipsis modum excedebant, et versa sunt in odium Hispanorum, sed facta ipsa nemo poterat negare. Haec tamen non fratribus Hispanis praecipue tribuenda videntur; sed regibus eorum, a quibus plus aequo dependebant. Hi principes multa pro ordinis bono fecerant praesertim respectu missionum, quare fratres Hispani aequum esse putabant, cedere hisce in rebus voluntati regis; ceterae vero nationes

[1] Plura transsumpta earum inveniuntur in archivo prov. Bavaricae.

haec non attendentes exasperatae sunt, ex quo et intelligi potest, quare preces et praecepta ministrorum Hispanorum in bonum ordinis directa minime audita sint.

Accessit ad haec omnia *oppositio Observantium et Reformatorum* Italiae, qui ex anno 1706 non habebant commissarium generalem omnibus communem, sed pro utraque parte proprium vice-commissarium generalem. Hac re neque Observantes neque Reformati contenti postulabant unionem sub „capite communi", quod intelligendum esse videtur de commissario generali. Contentio vero vehemens et scandalis plena orta est de quaestione, utrum hic desumendus esset ex Observantibus an ex Reformatis, quam ut finiret, Pontifex constituit iterum vice-commissarium pro utraque parte usque ad proximum capitulum generale [1]. Interim mittebantur ad *Provincias Reformatorum libelli* [2], in quibus tractabatur de separatione Reformatorum ab ordine et de constitutione proprii ministri generalis ad modum ordinis Capuccinorum et Conventualium. Sed quia hoc assequi in proximo non possent, fratribus laborandum esse, ut eligeretur in capitulo generali anni 1723 minister generalis ex Reformatis, etiamsi hoc difficile esset, quia et multis Reformatorum magis placeret minister ex Observantia, immerito quidem, quia Observantes „inaudita relaxatione" praeventi saepe transgrederentur regulam, ideoque respectu eorum Reformatus semper esset dignior.

Neque tamen his libellis erant contenti; anno enim 1722, cum Romae Observantes unioni utriusque familiae studebant, supplicavit vice-commissarius Reformatorum, *Ioannes de Petrafitta,* Imperatori, ut auctoritate sua fulciret electionem fratris alicuius Reformati in ministrum generalem. Revera Imperator vocalibus provinciae Austriacae, qui paene omnes erant Reformati, tale mandatum imposuit. Princeps elector Bavariae quoque instigatus, ut videtur, a Bavaris Reformatis, Pontificem ad hanc sententiam inducere conabatur. Notandum tamen est *P. Sigismundum Neudecker,* clarissimum huius temporis virum, in provincia Bavariae minime in haec consensisse. Laudabili plenus sinceritate scripsit ad Ioannem de Petrafitta Reformatos decere imprimis propria emendare vitia; damnum enim, quod auctoritas ordinis esset passa, non tantummodo provenire ex disciplina apud Observantes et Reformatos relaxata, sed maxime ex continuis contentionibus ortis ex „dis-unione" familiarum; ideoque se proponere, ut nova bulla unionis sicut anno 1517 conficeretur

---

[1] Chron. III 1, 525. [2] Transsumpta in archivo prov. Bavaricae.

simul cum novis constitutionibus generalibus omnes obligantibus, quae tamen usus provinciarum non abolerent. In electione vero ministri generalis non esse respiciendam aliquam nationem vel familiam, sed tantummodo dignitatem personae. Omnes autem, qui se opponerent huic unioni, eiciendos esse ex ordine.

Haec scripsit Neudecker die 18 Decembris anni 1722 ad suum superiorem, qui cupiebat audire contrarium, ideoque et eius preces, ut venire posset ad capitulum generale, in quo probabiliter pro unione ordinis laborare intendebat, non sunt auditae. Colligimus autem ex constantia huius viri, quomodo res revera se habuerint. Quamquam enim ipse erat Reformatus, homo vitae spiritualis et zelator pro observantia regulae, tamen non probavit exemptionem Reformatorum, quia causa solida eiusdem non exsistebat. Scire hoc potuit ipse, quia minister provincialis et visitator provinciarum Reformatarum fuerat.

§ 73. A generalatu Laurentii Cozza usque ad ultimum capitulum generale ante rebellionem. 1723—1768[1].

Denique capitulum generale[2] mandante Innocentio XIII Romae coactum est ibique praesidente Pontifice *Lauretium Cozza,* alumnum provinciae Romanae, ministrum generalem elegit. Hic doctrina sua et meritis, quae in Oriente sibi comparavit, praeclaro quidem gavisus est nomine, nihilominus praeter omnium exspectationem electus est, quod factum partim eo intelligitur, quod propter eventum belli haereditarii Hispanici vocales *Belgae* et *Mediolanenses* Austriae obtigerant, quapropter non amplius ad desideria regis Hispaniae respectum habere debebant. Papa quoque eatenus vim quandam adhibuit, quatenus declaravit, se ipsum ministrum generalem nominaturum esse, nisi prima vice electus esset. Electione bene peracta capitulum multa conficiebat statuta, quae, etsi a Pontifice approbata sunt et typis mandata[3], tamen anno 1740 iterum sunt sublata. Eiusdem sortis constitutiones, quae in proximo capitulo anno 1729 conditae sunt, participes erant[4].

---

[1] Chron. III 2, 1; IV. *V. Haute* 343. *Marczic* III 197. *Othon* IV 286.

[2] Capitulum generale longe omnium hactenus celebratorum . . . unicum et celeberrimum Romae habitum 1723, Romae 1729.

[3] Chron. III 2, 15.

[4] Ibid. 119. Cf. BD IV 522. *Haec* statuta, quatenus ad familiam ultramontanam pertinebant, *R. Montalvus* exposuit in libro, quod inscribitur: Glossa fundamentalis, Madrid 1740.

Quasi sub eodem fato *bulla Universalis*[1] nata est, quam Benedictus XIII anno 1724 ordinis reformandi causa edidit, quaeque maximi erat momenti. In ipsa omnia privilegia personalia sustulit, praesertim officium definitorum perpetuorum pro toto ordine et pro singulis provinciis. Licet hae ordinationes saepius modum excesserint, tamen in summa non sine fundamento erant factae, quod statim manifestatum est, cum Clemens XII anno 1730 aboleret constitutionem sui praedecessoris, quam ipse Benedictus iam anno 1727 mitigaverat. Veteres enim abusus privilegiorum personalium magis quam antea iterum invaluerunt.

Laurentius Cozza ad normam bullae Universalis abusus abolere studuit, quae in ordine exsistebant, quique magnam ad partem causati erant discordia fratrum, quam contentiones nationum et familiarum diversae observantiae produxerant. Eadem de causa factum est, ut in dies saepius lites et desideria provinciarum omisso ministro et capitulo generali immediate ad Pontificem delata sint, ut ipse mediante brevi causam decideret. Laurentio, ministro generali, non licuit, totam suam vim diu in bonum ordinis conferre, anno enim 1726 Papa eum Cardinalem creavit, simul mandans, ut gubernacula ordinis retineret. Novus tamen Cardinalis Pontifici supplicavit, ut a munere se abdicare posset, quod ei concessum est.

Hoc facto *Matthaeus Basile* primum vicarius, postea minister generalis usque ad finem sexennii ordinem gubernandum suscepit. Ipso regnante finita est controversia tunc temporis inter Conventuales et Observantes denuo agitata, uter ordo esset antiquior, utra ecclesia Assisiensis esset matrix ordinis etc. Papa declaravit, tam ecclesiam Portiunculae, quam ecclesiam S. Francisci diverso sub respectu *ecclesiam matricem* dici posse, simulque perpetuum imposuit silentium relate ad quaestionem, utra pars ordinis esset antiquior[2]. Stulta haec controversia exarserat, cum anno 1724 in basilica S. Petri effigies S. Francisci inter statuas fundatorum ordinum collocaretur, eaque in habitu Observantium repraesentata. Iam antea Conventuales pro statua in suo habitu repraesentanda pecuniam collegerant, attamen Benedictus XIII causam in favorem Observantium decidit[3]. Hoc loco non volumus praeterire, eundem Pontificem anno 1727 per bullam *Summe decet*[4] magnum numerum privilegiorum ordini antea concessorum denuo confirmasse, quaedam quidem maiora omittens.

---

[1] Chron. III 2, 37. [2] Ibid. 103. [3] *Palomes* 482.
[4] Chron. III 2, 87.

Hoc edictum aliquibus in locis magnas excitavit contentiones, quare Clemens XII anno 1732 iterum partem horum privilegiorum sustulit[1].

Providentia amica, qua Benedictus XIII versus ordinem affectus erat, factum est, ut ipse etiam *diversas ordinis congregationes unire* conatus sit[2]. Quod cum assequi non potuisset, scriptis ministro generali quaedam desideria insinuavit, quorum in capitulo Mediolani anno 1729 congregando ratio esset ducenda. Praeter alia postulavit, ut in distributione maiorum officiorum ordinis ad omnes nationes respectus esset habendus, non tantum ad unam, quod hucusque, proh dolor! factum esset. Praeterea minitatus est S. Sedem apta consilia capturam esse, si sibi in his non obsecundaretur. Nihilominus iterum Hispanus electus est et non Minorita Gallus, quod multi optaverant. Persona tamen electa erat optima, nam *Ioannes de Soto* Vallisoletanus pietate et zelo regularis observantiae promovendae excelluit. Cum propter perturbationes bellicas capitulum generale anni 1735 celebrari non posset, munus suum usque ad mortem, quae anno 1736 accidit, retinere debuit. Hunc successit *Ioannes Bermejo,* qui tandem aliquando anno 1740 *capitulum generale Vallisoleti*[3] convocare potuit, ubi iterum decretum est, ut novus legum codex compilaretur; statuta enim capitulorum proxime praecedentium tamquam dubia erant abolita. At hae constitutiones non sunt perfectae neque perfici potuerunt, quia spiritus, qui fratribus in hoc capitulo congregatis inerat, haudquaquam gratus erat, non obstante, quod ipsi delecti totius ordinis erant. Vix unquam enim tot privilegia et praecedentiae sunt mendicata, idque saepe causis maxime ridiculis adductis, quapropter hoc capitulum magis nundinis erat simile, in quibus talia puerilia sunt cauponata, quam capitulo Minoritarum, qui iuxta spiritum originalem tractare debebant „de his, quae ad Deum pertinent". His Benedictus XIV respondisse videtur per breve *Apostolica*[4], in quo omnia privilegia personalia abolevit, nisi in statutis ordinis fundata essent. Quia vero constitutiones ipsae dubiae erant, hoc breve rem parum vel omnino non mutavit.

Caietanus Politi a Laurino, novus minister generalis, effectus malarum electionum tollere studens a Pontifice facultatem impetravit bis in unaquaque provincia superiores et definitores auctoritate propria instituendi. Quo praemature mortuo anno 1744 similem facul-

---

[1] Ibid. 159. [2] Ibid. 126.

[3] Capitulum generale O. F. M. in Vallisoletano Conventu . . . celebratum a. 1740, Romae 1742.

[4] Chron. III 2, 265.

tatem accepit[1] *Raphael Rossi a Lugagnano*[2], Reformatus, qui ordinem usque ad annum 1750 gubernavit, quia capitulum generale optante Pontifice translatum est. Ampliores adhuc facultates Benedictus XIV eidem ministro concessit, cum eum *commissarium Apostolicum, visitatorem et reformatorem* ordinis nominaret. Formaliter haec omnia ultro ad officium ministri generalis pertinebant, revera autem his uti non poterat, quia a constitutionibus ordinis dependebat. Quapropter Papa omnia iura ei commisit, quae in principio ordinis habuerat, videlicet iura disponendi omnia, quae ordinis bono necessaria esse putabat, quin ad constitutiones forte obstantes respectum habere deberet. Alia enim via salutis non inventa est, quia legislatio ordinis defecerat. Ab hoc temporis momento ministri, immo et commissarii generales easdem facultates accipere consueverunt, quin tamen demonstrari possit, ipsos his iuribus sufficienter esse usos.

Eodem circiter tempore *quattuor provinciae Galliae confoederatae* simul cum conventu Parisiensi aliquid perniciosi susceperunt[3]. Iam dudum ministris generalibus molestae fuerant, partim quia earum disciplina non erat integra, partim quia latifundia et proventus stabiles retinebant, quippe quae ab initio, uti aiebant, non resignassent, quod certe verum non est. Certum tamen est, eas mature tales excessus tolerasse, quamquam superiores ordinis et fratres ex earundem provinciarum gremio contradicebant. Saepe saepius conatae sunt accipere hac in causa Pontificis consensum, quem anno 1673 primum adeptae esse videntur. Quia vero crimini ipsis dabatur, hoc breve esse subreptitium, Benedictum XIV adierunt, qui earum precibus respectu latifundiorum et proventuum stabilium annuit. Hinc parum distabant a Conventualismo, cui paucis decenniis post cesserunt.

Etsi Papa hoc in casu laxioribus consenserat, tamen anno 1748 etiam severioribus obviam venit edendo breve *Sacrosancti*[4]. Aeque ac multi alii ordines, e. g. Dominicani, Conventuales et Capuccini iam antea, ita Minoritae hoc brevi prohibiti sunt confugiendo ad saeculares ullum privilegium sibi comparare. Maioris adhuc momenti erat *ordinatio modi appellandi:* Quicumque frater appellans primum ministrum provincialem, deinde ministrum generalem, denique S. Sedem adire debebat. Ut huic mandato auctoritas accederet,

---

[1] Chron. III 2, 247 298.

[2] *G. Tononi,* Il Padre Raffaele Rossi da Lug. 1694—1760, Piacenza 1888.

[3] Chron. III 2, 342. *Othon.* IV 368. [4] Chron. III 2, 405.

officiales curiae Papalis severe vetiti sunt accipere recursum, nisi instantiae hae essent servatae. Revera his ordinationibus multi abusus auferri poterant, si accurate observabantur.

Ultra Benedictus XIV benevolentiam suam versus ordinem monstravit praesidendo generali capitulo anni 1750, qua occasione et concionem habuit, in qua magnum numerum Sanctorum Beatorumque ordinis gloriam praedicavit. Ibidem *Petrus Ioannetius a Molina,* primus et unicus Discalceatorum, qui ordini in officio generalatus praeerat, electus est. Hic anno 1753 provinciam SS. Redemptoris in Dalmatia, quae exemplum quattuor provinciarum confoederatarum Galliae imitata erat, proventus stabiles et latifundia resignare coegit [1]. Gratissimum est signum, quod ordo etiam tempore disciplinae indubie ruentis, id quod ex encyclicis ministrorum generalium magis magisque manifestatur [2], principia paupertatis sibi propria retinuit, etsi periculum erat, ne integrae provinciae perirent. Ioannetius munus suum ita gessit, ut anno 1762, post regimen *Clementis Guignoni Panormitani,* non obstante, quod reluctabat, iterum electus sit, postquam Papa eum ab interstitiis dispensavit. Hoc semel tantum in tota ordinis historia factum est, neque dici potest, ordinem ex hoc damnum esse passum. Nunc quidem Ioannetius legislationi ordinis incubuit. Eo regnante codex legum pro Discalceatis ortus est (§ 67) et anno 1765 *compilatio statutorum pro familia cismontana,* quae in capitulo anno 1768 Valentiae congregato approbata est, quare etiam *collectio Valentina* vocatur [3]. Haec demum anno 1827 ad tempus saltem in praxim deducta est.

§ 74. Generalatus Paschalis Frosconi a Varisio (Varese). 1768—1791 [4].

Paschalis Frosconi, alumnus provinciae Mediolanensis, qui anno 1768 Valentiae minister generalis electus est, iam in officio commissarii generalis familiae cismontanae zelum suum pro restauranda disciplina regulari ostenderat. In encyclica [5], quam anno 1763 ad familiam suam miserat, haec continentur: „Ingemiscimus quum regularis Observantiae, pietatis charitatisque fervore plus aequo refrigescente, transgressiones et corruptelae adeo undequaque invalescunt,

---

[1] Chron. IV 131 196. [2] Ibid. 252. [3] Ibid. 557 sq.

[4] *V. Haute* 345. *Patrem* 33. *Othon* IV 424. Reliquiae archivi ordinis Romani.

[5] Chron. IV 495.

ut prolapsionem atque ruinam proxime secuturam valde sit metuendum.“ Haec prophetiae similia sunt, quae celerius impleta est. Ut abusibus mederetur, inter alia maiorem severitatem in recipiendis novitiis adhibendam esse dicit adducendo quoad numerum fratrum in dies crescentem verba S. Francisci: „Utinam in mea religione essent tam rari fratres, ut qui videret unum, tamquam de novo spectaculo miraretur!“

Versus finem sexennii sui minister generalis suo tempore capitulum anno 1774 Romae celebrandum indixerat. Electores ex omnibus ordinis partibus comparuerant exceptis Hispanis et Americanis, qui (scil. Americani) postquam in Hispaniam advenerunt, iter suum perficere impediti sunt. Hispani enim in animo habebant secedere ab ordine et proprio oboedire vicario generali[1]. His compertis electores Romae praesentes diu deliberabant, quid his suppositis agerent. Aliqui divisionem in duas familias auferendam et ministrum generalem alternis vicibus e numero Observantium et congregationum reformatarum eligendum proposuerunt. Denique consilium nationis Germano-Belgicae acceptatum est, videlicet: Pontificem esse adeundum, ut capitulum generale differret et ministrum generalem in officio confirmaret, quod iam saepius factum esset. Hoc omnis causa extrinseca remota est, quam Hispani praetendere possent, si ab ordine discessuri essent. Papa his precibus libenter annuit, quo factum est, ut Paschalis quamdiu viveret, ultra 23 annos, ordini praeesset.

Eius ministerium plenum erat *rebus adversis.* Rationalismus tunc temporis vigens claustris prorsus inimicus erat, quare et animos populorum libellis famosis ab eisdem alienare studuit. Multi quoque principes ecclesiastici et saeculares eodem spiritu decepti severe contra ordines procedendo rebus publicis, immo et ecclesiae utilitatem afferre credebant. Huic sententiae systemata Gallicanismi et Febronianismi theoreticum praebuerunt fundamentum, quod suprematum Pontificis reprimere et monachatum eidem subditum retinere intendebat. Neque omittendum est numerum religiosorum multis in terris ita modum excessisse, ut ipsis ordinibus bonum esse non posset, atque ordines generaliter doctrina et disciplina non id praestitisse, quod potuerunt et debuerunt. Haec valent etiam de omnibus congregationibus ordinis Minoritarum. Modum tamen excederemus, si opinaremur disciplinam ordinum in communi ita iacuisse,

[1] *V. Haute,* Misc. XII 525 545.

ut tempore saeculi XV et XVI in multis claustris accidit. Fuerunt quidem et circa medium saeculi XVIII huiuscemodi domus religiosae, quae tamen disparebant comparatae ad multitudinem ceterarum domorum, quarum habitatores minime malam vel scandalosam ducebant vitam et saepe studiosissimi erant curae animarum, quare multis in locis tam apud Episcopos, quam apud populum magni habebantur, etsi visitatores et ministri generales multum conquerebantur de neglectu regulae et statutorum. Ita bene intelligitur, quare ex una parte querelas superiorum ordinis de laxatione observantiae regularis audiamus, ex altera vero parte laudes Episcoporum et principum de alacri fratrum industria et de vita eorum integra. Nam visitatores ordinum in alia inquirebant ac personae ad ordinem non pertinentes.

Huius rei exemplum sunto ea, quae in Gallia gesta sunt. Ludovicus XV anno 1766 *commissionem regularium* (Commission des Réguliers) instituerat, quae, nulla facultate a Pontifice accepta, ordines „reformare", i. e. ad numerum, quantum admitti poterat, minimum reducere debebat. Medio principali usa est suppressione residentiarum Minorum et mutatione constitutionum ordinum ad normam sibi placentem[1]. Ipsa congregatio per viginti annos laborans scopum suum tam egregie adepta est, ut numerus religiosorum in Gallia ad 6000 minutus sit, cum antea 26 000 fuissent. Non immerito dictum est, hanc commissionem, cui praesidente quodam Cardinali maximam ad partem Episcopi intererant, plura claustra sustulisse quam Lutherus, Calvinus et Henricus VIII, Angliae rex, insimul. Quod acta commissionis, quatenus ordinem Minoritarum tangunt[2], adhuc sunt servata, bene accidit, nam ordini indubiae sunt satisfactioni, idque eo magis, quia ab ipsis adversariis praestatur. Maior pars Episcoporum, qui de voto suo compellati sunt, favorabile hoc votum tulerunt, Minoritas utiles et necessarios esse pro suis dioecesibus; pauci tantummodo querelas proferentes optabant, ut una alterave domus auferretur. Optimum erat iudicium de Recollectis et Capuccinis. Nihilominus magnus numerus Minorum residentiarum suppressus et ordo in Gallia valde minutus est.

Praeterea commissio fusionem inter provincias, immo et congregationes ordinis perficere cogitavit; praecipue studuit unioni Ob-

---

[1] *[Riballier,]* Lettre à l'auteur du cas de conscience sur la commission établie pour la réforme des Corps Réguliers (1767).

[2] *Othon* IV 440.

servantium et Conventualium Galliae. Initio utraque pars huic consilio fortiter restitit, vexationibus tamen gubernii factum est, ut denique omnes octo Observantium provinciae cederent, quarum quattuor sic quoque a Conventualismo non longe distabant (§ 73). Postea Clementi XIV, qui fuerat Conventualis, nuntiatum est, Observantes Gallos unionem cum Conventualibus desiderare, quo facto Papa anno 1771 unionem simul cum novis statutis sancivit[1]. Inde Observantes in Gallia non amplius inveniuntur, Conventuales vero, qui ibidem hucusque longe minor ordinis pars fuerant, septuplo plures facti sunt.

Exemplum Galliae primum in *Bavaria* imitatum esse videtur, ubi anno 1769 a principe electore edictum exiit, quod haud dubie intendebat reducere numerum claustrorum et monachorum[2]. Alii principes Germaniae forsan adhuc insolentius egerunt. Princeps elector *Moguntinus* (Mainz) anno 1778 decretum[3] ad regulares suae ditionis edidit, quo omnis actus iurisdictionis ministri generali interdicitur. Ipse princeps „necessariam disciplinam in claustra cum fructu introducere, itidem stabiliter confirmare“ voluit vindicans sibi ipsi iura ministri generalis, inculcans suo consilio spirituali, ut „bonis electionibus superiorum localium invigilaret“, et regulares in suos conventus per decanos rurales vel parochos introducendos curans. Hoc exemplum mox Episcopus *Wormatianus* secutus est[4], praecipue vero Ioseph II Imperator in statibus suis Austriacis et Belgicis[5]. Regulares prohibiti sunt capitula generalia adire vel quodcumque commercium cum superioribus extraneis habere. Conventus uniuscuiusque ordinis propriam formare congregationem et visitatorem loco superioris cum quattuor consultoribus eligere iubebantur. Patet de se singulas congregationes et domus totaliter inspectioni gubernii et Episcoporum subiectas esse.

Similia decreta anno 1788 Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, edidit, multique alii principes hos aemulati sunt. Tempestate qua Europae imminebant gravissimae procellae, quae mox casurae et dynastias cum Episcopatibus secum abrepturae erant, principes

---

[1] Gestorum Pont. Clementis XIV succincta relatio, cui accedunt *acta unionis* Minorum Observantium in Gallia. . . . Coloniae 1776.

[2] *P. Minges,* Geschichte der Franziskaner in Bayern, München 1896, 170.

[3] Reg. GB IV 108. [4] Ibid. 116.

[5] Édit de l'Empereur sur l'indépendance des Ordres religieux au Pays-Bas de toute supériorité étrangère donné à Bruxelles le 28 nov. 1781, Namur 1781. *R. Hittmair,* Der Josefinische Klostersturm im Land ob der Enns, Freiburg i. Br. 1907.

ecclesiastici et saeculares nihil gravius sibi faciendum esse putabant quam ordines a Roma divellendo propriis manibus columnas auctoritatis subvertere.

§ 75. Ordinis sors durante rebellione Gallica et Hispanica[1].

Paschali, ministro generali, mortuo Papa imprimis *Carolum Iosephum a Genua* „praesidentem Discretorii generalis" instituit. Cum vero capitulum generale celebrari minime posset, familia ultramontana, videlicet Hispania, Pontifici proposuit, ut ex quibusdam fratribus ab ipsa designatis unum eligeret ministrum generalem, quibus Pius VI consentiens anno 1792 *Ioachim Company* ministrum generalem elegit. Ipsius et „officialium generalium" nominatio primo per sexennium solummodo duratura erat, postea tamen iterum atque iterum renovata est usque ad annum 1806. Duobus annis ante Papa bullam *Inter graviores*[2] ediderat, qua instante rege Hispaniae regulares Hispani a fratribus ceterarum nationum separati sunt. Hispani igitur proprium acceperunt superiorem generalem aeque ac ceterae nationes insimul. Ut unitas specie saltem servaretur, decretum est, ut alter vocaretur minister alter vicarius generalis. Singulis sexenniis ministrum alternatim ex utraque ordinis parte desumendum esse, ita, ut semper aliquis superior generalis Hispaniae degeret, sive appellaretur minister sive vicarius generalis. Electionibus ministri generalis omnes vocales interesse debere, electionibus vero vicarii generalis solos Hispanos vel solos vocales ceterarum nationum. Vicario generali, qui omnibus iuribus ministri gaudeat, aliquot definitores superaddendos esse. Huius decreti insani ratio reddita est praedicando magnum numerum fratrum Hispanorum respectu religiosorum ceterarum nationum et affirmando, talem agendi rationem restaurandae disciplinae ordinis in Hispania laxatae maximae esse utilitati. Haec saltem quoad ordinem Minoritarum vanae erant tergiversationes. Hispani quippe revera ex pluribus saeculis quasi continuo vel ministrum vel commissarium generalem necessariis gaudentem facultatibus secum habebant. Porro verum quidem est tunc temporis religiosos Hispaniae numero religiosos ceterarum nationum, quae maius minusve damnum a rebellione passae erant, longe superasse. Sed haec ipsa erat culpa Hispanorum, quod calamitate ceterarum nationum abusi sunt, ut sibi ipsis commoda procurarent pro eo, ut eisdem fraterne

---

[1] *Patrem* 123. *Othon* IV 471. Archivum ordinis Romanum.

[2] Bullae et Decreta 61.

subvenirent. Attamen neque huius rei omnes fratres accusandi esse videntur, profecto enim aliqui tantum duces ambitiosi rei sunt, quorum nomina, proh dolor! hucusque ab historia nondum stigmate deformari possunt.

Eorum agendi ratio respectu conditionis temporis verum erat crimen ordini illatum: ex anno 1790 enim in *Gallia* et paulo post in *Belgia* omnes conventus totaliter erant sublati; in *Germania* ex anno 1803 ordines plurimis in regionibus totaliter supprimebantur, ceteris vero in ditionibus parce ac dure se habebant; in *Austria* saltem numerus conventuum valde diminutus erat. In *Italia* quoque revolutio iam sentiebatur (qua occasione *archivum ordinis* Aracoelitanum paene totaliter deletum est[1]), quamquam maximum malum demum anno 1810 sequebatur. Mirum igitur non est, si ordo in his gravissimis angustiis offensus fuit, quod pars adhuc integra, videlicet Hispania, egoismo ducta, conditione rerum ad proprium emolumentum abusa est.

Quia conditio temporum non permisit, ut capitulum generale celebraretur, in Italia effugium quoddam inventum est, quo decreta anni 1804 ad tempus saltem circumveniri possent. Compañy anno 1806 Episcopo facto Papa *Hilarium Cervelli* a Montemagno ministrum generalem nominavit, cui statutum erat videre vastitatem ordinis in Italia, non diu tamen durantem, quia post congressum Viennensem (Wien) anno 1815 habitum conventus ibidem exsistentes iterum revixerunt. Religiosos vero dispersos recolligere non poterat, quippe qui anno 1814 propter senium ab officio absolveretur et edicto Pontificis *Gaudentium Patrignani* successorem acciperet. Hic acriter studuit restaurare ordinem in Italia et in Gallia, quo anno 1816 *Martinum Martein* misit, ut provincias denuo constitueret[2]. Attamen integra adhuc aetas hominum transivit, priusquam haec studia successum haberent.

Hispani de bina nominatione ministri generalis ex natione Itala irati erant, quare in congregatione nationali anno 1817 habita turbulentius deliberarunt, usquedum minister generalis mandante Pontifice *Emanuelem Malcampo* ibidem electum tamquam commissarium generalem confirmaret et ad pacem hortaretur. Quia Patrignani eodem anno a munere se abdicavit, rex Hispaniae postulavit, ut quidam ex suis subditis minister generalis nominaretur. Papa litteris die 28 Novembris anni 1817 editis *Cyrillum Almeda y Brea* de-

---

[1] Archivum ordinis ad an. 1800. [2] Ibid. ad an. 1816.

stinavit, cuius sexennium a mense Maio anni 1818 numerandum esset [1]. Simili modo cetera officia generalia a Pontifice anno 1818 distributa sunt et anno 1824, cum *Ioannes Tecca a Capistrano* regimen ordinis susciperet. Hic anno 1827 statuta, quae anno 1768 Valentiae confecta erant, pro *familia cismontana* publicavit, quare etiam *constitutiones Capistranae* vocantur [2]. Iuridice hic modus agendi defendi omnino non poterat, quia, quod minister generalis ipse confitetur, haec statuta nunquam erant promulgata, ideoque nec vi legis gaudebant; minister generalis vero sine consensu capituli generalis vel peculiari auctoritate Pontificis valorem ipsis afferre non poterat. Accessit, quod durantibus ultimis sexaginta annis multae mutationes in ordine acciderant, quae necessario postulabant, ut statuta haec denuo recognoscerentur. Ita iam eorum nomen non amplius aptum erat, quia ex tempore, quo bulla „Inter graviores“ exierat, familia cismontana in sensu decretorum anni 1768 non iam exsistebat, sed tantummodo pars ordinis Hispana et non Hispana. Sed consulto hoc omissum est. Econtra minister generalis summo iure conquestus est constitutiones pro tota Italia uniformes deesse, quo defectu haec ditio in ultima analysi iam ex anno 1517 laborabat, si omittimus statuta Salmanticensia, Vallisoletana et Sambucana, quae per breve tantum tempus valebant nec ubique recipiebantur. Respectu iudicii de persona ministri generalis et de statu ordinis in Italia gravis encyclica editioni *Italae* horum statutorum [3] praefixa maioris est momenti quam praedictus conatus successu carens. In his litteris minister generalis factis proximorum decenniorum repetitis ad sanandam conditionem rerum remedia praecipit adhibenda, quae eius prudentiae et fortitudini summo sunt honori.

Dolendum est, quod eius sexennium non prorogatum, sed consentiente Pontifice *capitulum generale Compluti* (Alcalá de Henares) [4] anno 1830 celebrandum indictum est, quia hac vice ex Hispanis

---

[1] Archivum ordinis ad an. 1818.

[2] Novissima pro cismontana Minorum familia Generalium Constitutionum collectio, Rmi P. Fr. Ioannis a Capistrano, totius Ord. Minorum Min. Gen., iussu edita, Romae 1827.

[3] Nuova raccolta delle Costituzioni generali per la cismontana famiglia . . . pubblicata per opera del Rmo P. Giovanni da Capistrano Min. Gle, Roma 1827.

[4] *B. Altemir,* Historia del capítulo general celebrado en el convento de S. María de Jesús de la ciudad de Alcalá de Henares 1830, Madrid 1832. Verissima sunt verba in fine libelli p. 60: „Mil cosas he omitido en esta sucinta relación.“ Easque gravissimas! E. g. numerum et nomina provinciarum, quae huic capitulo intererant.

frater eligendus erat. Novus minister generalis factus est *Ludovicus Iglesias.* Vocales ad Hispaniam non pertinentes ad hoc capitulum non comparuisse videntur, neque minister generalis eidem interfuit, quare ab Italis non capitulum generale, sed capitulum nationale Hispanorum habitum est. De facto quidem hoc verum est, *iuridice* autem capitulis generalibus adnumerandum est, quia canonice est convocatum et legitime celebratum sub praeside constituto a Pontifice, nuntio videlicet Hispanico, et quia vocales ad Hispaniam non pertinentes non culpa Hispanorum aberant, sed indignatione permoti se ipsos excluserant. Si ex actis capituli generalis immediate subsequentis concludere licet, hi vocales dispensationem a Pontifice impetraverant, qua eis facultas non comparendi ad capitulum Complutense concedebatur.

Fortasse tristia, quae Hispani hoc capitulo generali experti erant, regem induxerunt, ut anno 1832 bullam *In Suprema*[1] impetraret, qua solutio Hispaniae a nexu ordinis anno 1804 inchoata perfecta est. Iuxta dispositiones huius edicti singulis sexenniis duo capitula ab invicem independentia celebranda sunt, alterum in Hispania, alterum in Italia (ceterae ordinis provinciae totaliter omissae sunt), in quibus alternatim minister et vicarius generalis eligendus est. Hic vicarius in regimine omnino independens et solummodo formaliter a ministro generali confirmandus est. Hoc modo cautum quidem erat, ne facta anni 1830 repeterentur, sed simul mensura iniquitatis perfecta erat.

Postquam in *Lusitania* iam ex anno 1831 persecutio ordinum cum successu inchoata est, anno 1833 *etiam in Hispania bellum civile* est ortum, quod perfecit, quae rebellio anno 1820 coeperat[2]. Intra paucos annos provinciae ibidem exsistentes dirutae sunt, fratres expulsi, persecutione afflicti et partim horribilibus obnoxii passionibus. Mediis in his perturbationibus Iglesias anno 1834 mortuus est. Post breve regimen *Andreae de Dos-Barrios* „Pro-Ministri generalis“ secutus est *Bartholomaeus Altemir,* cui ultimo ministro generali Hispano statutum erat videre ruinam suprematus nationis suae in ordine. Patria expulsus mortuus est anno 1843 Burdigalae[3] (Bordeaux). Utrum anno 1838 sponte resignaverit, an a Pontifice depositus sit, quia impossibile erat eum ulterius regnare, in medio relinquere debemus.

---

[1] Bullae et Decreta 84.

[2] *F. Aragonés,* Los Frailes Franciscos de Cataluña, Barcelona 1891.

[3] *Othon* IV 486.

§ 76. A tempore constitutionis „Gravissimas“ usque ad resignationem Raphaelis Lippi, ministri generalis. 1838—1869 [1].

Die 13. Martii anni 1838 Gregorius XVI per breve *Gravissimas* [2] *Iosephum Mariam Maniscalco* ab Alexandria (Alessandria) novum ordinis ministrum instituit: „[Iosephum] Deputamus in ministrum generalem totius ordinis fratrum Minorum S. Francisci, *excepta Peninsula Hispaniae,* pro qua, prout illius regionis misera conditio postulat, *Commissarium Apostolicum* certis facultatibus praeditum ad huius Apostolicae Sedis nutum deputabimus.“ Item Papa procuratores et definitores generales ad sexennium nominavit, non vero commissarium generalem familiae ultramontanae. Hoc facto regnum Hispaniae excepta America Hispana ab iurisdictione ministri generalis legitime exemptum erat, id quod de facto iamdudum acciderat. Sola causa exemptionis mutata est; anno enim 1804 praevalentia provinciarum Hispanarum praetendebatur, nunc vero „misera conditio illius regionis“. Theoretice loquendo haec divisio dolenda erat, practice vero haud magni erat momenti, quia provinciae Hispanae post bellum civile exigua erant ordinis pars; ante rebellionem enim numerus Franciscanorum in Hispania ultra 10 000 pervenerat, sed anno 1862 tantummodo 230 fratres ibidem inveniebantur [3].

Maniscalco ministro generali, qui praesertim de incremento studiorum ordinis meritus est, officio functo Papa „per schedulas absentium“ successorem eiusque definitorium eligi iussit [4]. Catalogus fratrum aptorum ad singulos vocales mittebatur, quo perpenso vota sua Romam mittere debebant. Hoc modo electus est *Aloysius a Loreto,* vir pius et zelator disciplinae ordinis. Ipse anno 1849 *Iosephum Areso Navarrensem* [5] commissarium Terrae Sanctae instituit simulque ei negotium demandavit introducendi ordinem in *Galliam;* priores enim conatus omnes praeter spem ceciderant. Hac in re Areso tanto gaudebat successu, ut iam anno 1860 prima provincia Observantium in Provincia (Provence) erigi posset. Econtra sub eiusdem ministri generalatu provinciae in Oriente Europae sitae, in *Polonia* videlicet et *Russia* magis magisque dirutae sunt. Iam anno 1831 magnus conventuum numerus suppressus est, deinde reliquae domus anno

---

[1] *Patrem* 46. *Othon* IV 486. Archivum ordinis Romanum.

[2] Bullae et Decreta 87. [3] *Patrem* 46.

[4] Archivum ordinis ad an. 1844.

[5] *Henry de Surrel,* Le Père Joseph Aréso, restaurateur des Franciscains de l'Observance, Montreuil-sur-Mer 1892. *Othon* IV 489.

1842 vetitae sunt commercium habere cum ministro generali; denique anno 1864 ultimum edictum (Ukas) est editum, quo paucae tantum domus relinquebantur, in quibus fratres seniores usque ad mortem vivere possent [1].

Sexennio huius ministri ad finem vergente Papa audita sententia definitorii generalis ministrum generalem nominavit *Venantium a Celano,* qui pro incremento studiorum et missionum fecit, quidquid facere potuit. Idem ad annum 1856 denuo *capitulum generale Romam* [2] convocare poterat, ubi praeside Pio IX *Bernardinus Trionfetti a Montefranco,* custos Terrae Sanctae, minister generalis electus est, qui similis suo praedecessori missionibus et studiis, praesertim cultui linguarum orientalium favebat. Ad idem capitulum iam nonaginta provinciarum vocales legitimi comparuerant, sola Hispania et Gallia commissarios tantummodo mittere poterant. Quare relatio capituli merito: „Illud prorsus mirandum“, ait, „quod in tanta humanae societatis perturbatione, dum commoventur principatus, corruunt reges et regna, evertuntur imperia, humilis S. Francisci soboles potuerit durare.“ Quantopere longum temporis intervallum inter hoc et ultimum generale capitulum a toto ordine celebratum notitiam negotiorum gerendorum imminuerit, clarissime patet, si consideramus, quae gesta sunt circa *statutorum recognitionem.* Hanc minister generalis litteris anno 1853 [3] datis provinciis ipsis praeparandam et in capitulo quibusdam definitoribus deliberandam commisit. Edictum ministri generalis et deliberationes in capitulo habitae a traditione recesserant, quare successum habere non poterant.

In proximo *capitulo generali anno 1862* [4] congregato hic labor continuatus est, quin tamen perficeretur. Singulare quoddam accidit, cum denique secreta ferrentur vota, utrum hic legum codex quondam promulgaretur. Quamquam longe maior vocalium pars affirmative suffragata est, tamen non ante annum 1882 publicatus est idque in forma delineationis legum adhuc ferendarum [5]. Relatio de statu ordinis in hoc capitulo edita conqueritur de suppressione conventuum

---

[1] *Patrem* 46.

[2] Capitulum generale totius ord. Fr. Min. Romae habitum in templo S. Mariae de Aracoeli a. 1856, Romae 1857.

[3] Ibid. 55.

[4] Capitulum generale totius ord. Fr. Min. Romae 1862 celebratum, Romae 1862.

[5] Novissima pro cismontana Minorum familia Generalium Constitutionum collectio . . ., quas R^{mus} P. Bernardinus a Montefranco Capitulo Generali a. 1862 approbandas subiecit. [Pro Manuscripto], Quaracchi 1882.

et aliis vexationibus in Italia et Mexico ex nonnullis annis crebrius accidentibus; simul tamen cum gaudio narrat, in Gallia, Germania et America novam vitam ex ruinis consurgere. Verba: „Non defuerunt nobis Dei miserentis benedictiones, licet omnino indignis; ergo Deus est adhuc pro nobis. Si autem Deus pro nobis, quis contra nos? Portae inferi non praevalebunt! Imperabit Dominus tempestati, cum tempus sui beneplaciti advenerit“, haec verba gravissimis temporibus prolata gratissimum sunt testimonium spiritum seraphicum in ordine non esse extinctum. Alio quoque modo in eodem capitulo idem spiritus se manifestavit, etsi desideratum non habebat successum. In sessione praeparatoria die 27. Maii habita *Fulgentius Taurinensis* ex-procurator libellum legit, quo postulavit, ut suppressis nominibus Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum totalis unio omnium congregationum sub eodem ministro generali et sub nomine „Franciscanorum“ perficeretur. Haec ita contra omnium exspectationem acciderunt, ut relatio laconice pergat: „Post huiusmodi lectionem Definitorium integrum mansit in perfecto silentio. Res enim nec facilis nec opportuna visa est.“ Sed semen huius ideae erat dispersum; solummodo mora quadam indiguit, ut oriretur.

His praeparatis capitulum ad electionem ministri generalis pervenit, qua tamen prima vice maioritas non est effecta. Hoc facto Cardinalis protector, qui capitulo praesidebat, declaravit, Pontificem hoc in casu nominationem sibi ipsi reservasse. Similia iam antea acciderant, sed praesides illorum capitulorum breve Pontificis iam *ante electionem* publicaverant, quo semper factum est, ut electiones iam prima vice exitum bonum habuerint. — Papa *Raphaelem Lippi a Ponticulo,* qui maiorem votorum numerum habebat, ministrum generalem nominavit. Ipso regnante ordo in Italia per Pedemontanos vastatus est excepta provincia Romana, quae demum anno 1873 eidem fato cessit. Quamquam ex anno 1862 statutum est, ut officium ministri generalis per duodecim annos duraret, tamen Raphael iam anno 1869 resignavit tribulationibus et senio confectus.

§ 77. Duo ultimi ministri generales ante unionem. 1869—1897.

Quia capitulum generale celebrari non poterat, Pius IX anno 1869 *Bernardinum del Vago* a Portugruaro [1] (Portu Romatino) Reformatum ministrum generalem nominavit, qui per viginti annos ordinem summo

[1] *Bernardino da Portugruaro,* Min. Generale dell' ordine dei Frati Minori, Quaracchi 1898.

cum amore gubernavit. Eius merita de incremento scientiarum in ordine alio loco explicabimus, hic tantummodo commemoremus, eum auctorem fuisse *Actorum ordinis Minorum,* libelli periodici, quo res ad ordinem pertinentes ex officio publicantur, quique pro ordine maximi factus est momenti. Hoc libello periodico praesertim usus est, ut in religiosos praecipue per Italiam dispersos influxum exerceret mediantibus *Incitamentis seraphicis,* quae ab Aloysio Lauer conscripta iuxta mentem sancti fundatoris ordinis fratribus idemtidem consulunt, ut defectus commissos humiliter confiteantur et laete sperent fore, ut Deus omnia in bonum vertat: „Tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si vere colerent Deum suum. . . . Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini . . ., exterminati sunt ab exterminatore. . . . Et nos ergo non ulciscamur nos pro his, quae patimur, sed reputantes peccatis nostris haec ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus.“ [1]

Indeffessus erat visitando provincias et curam gerendo fratribus, qui per saecularisationem in Italia, Gallia [2] et Borussia patria expulsi erant. Ipse quoque gaudens vidit ordinem his in terris reviviscere. Sola curia generalitia *Aracoelitana* [3] restaurari non potuit, nam hic conventus, qui ultra 600 annos quasi centrum ordinis fuerat, maximam ad partem a gubernio demptus nec amplius restitutus est, quapropter curia generalitia in novum *Collegium S. Antonii* prope Lateranum translata est. Ibi quoque minister generalis officii pertaesus anno 1889 [4] capitulum generale celebrandum indixit, idque cum expressa licentia Pontificis non in festo Pentecostes, sed in vigilia festi S. P. Francisci.

Finis proximus huius capituli erat eligere novum ministrum generalem, qui factus est *Aloysius Canali a Parma* [5]. Ibi quoque commissarius Apostolicus delegatus provinciarum Hispanarum denuo constitutarum comparuit, qui saepius interpellatus concionem ad vocales congregatos habuit, in qua exposuit statum iuris, quem Hispani

---

[1] Acta I 69. Jdt 8, 21 sq.

[2] Les Franciscains et l'exécution des décrets du 29 mars 1880, Paris 1881.

[3] *J. Vetter*, L'Ara Coeli. Souvenirs historiques, Rome 1886.

[4] Capitulum generale totius ord. Fr. Min. Romae in Collegio S. Antonii die 3 Oct. 1889 celebrati . . ., Quaracchi 1890.

[5] Reminiscenze e documenti intorno alla vita di Monsign. Luigi Canali, Ex-Min. Generale dei Frati Minori 1836—1905, Parma 1907.

retinerent. In his verbis omnino desideratur sincera voluntas sese aeque ac ceterae provinciae ministro generali submittendi omissis privilegiis suis publicis et ecclesiasticis. Igitur ordo censuit defectum bonae voluntatis causam principalem separationis esse, quapropter consentiente Pontifice recusavit, quominus provinciae Hispanae ad capitulum generale anni 1895 vicarios mitterent [1].

Quamquam igitur ibi unio nondum erat possibilis, tamen *respectu legislationis* valde promota est. Primum enim post annum 1517 pro toto ordine *constitutiones uniformes* [2] deliberationi traditae et contra reclamationes ducum Reformatorum publicatae sunt. His tamen concessum est retinere statuta sua particularia, quae denuo recognita ediderunt [3]. Quoad quaestionem de syndico Apostolico, quae pridem tanti erat momenti, theoretice quidem statum priorem retinuerunt, practice vero ab Observantibus non discrepuerunt [4].

Ex dictis iam patet ad conservandam separationem familiarum causam non amplius exstitisse, eoque minus, quod provinciae Observantium inveniebantur, quae severitate disciplinae non paucas provincias Reformatorum superarent. Quia praeterea oppositio inter familias in quibusdam regionibus se manifestans auctoritati ordinis detrectari debebat, magis magisque aucti sunt, qui postularent, ut omnes congregationes strictioris Observantiae unirentur. Iam in sessionibus praeparatoriis capituli generalis hac de re tractatum est, sed vocales difficultates vitare cupientes declarabant capitulum generale hac in quaestione non esse competens. Attamen motus his ideis excitatus reprimi amplius non poterat, quamquam duces quidam Reformatorum id quoquo modo perficere conati sunt. Iam ineunte anno 1889 libellos ad provincias Reformatorum transmiserunt, in quibus declarabant unionem omnium familiarum ordinis esse „contra spiritum et indolem s. regulae, iniuriosam in S. Matrem Ecclesiam, contra maiorem Dei gloriam et animarum fratrumque salutem“, breviter, penitus impossibilem. Similia iam pridem facta erant, videlicet: quidam duces arte et fraudulentia perturbationem excitabant, ut separationem sustinerent, cum centeni et milleni Reformatorum toto corde desiderarent, ut unio perficeretur.

---

[1] Cf. acta capituli anni 1895, 79.

[2] Constitutiones generales Ord. Min. a Capitulo Generali Romae a. 1889 celebrato revisae et approbatae, Quaracchi 1890.

[3] Statuta et Constitutiones generales familiae cismontanae (!) Ord. S. Francisci Reformatorum . . . in Cap. Generali Romano a. 1889 modificata, Quaracchi 1890.

[4] Ibid. n. 120 sq.

Ordini summo erat bono, quod Leo XIII, Papa tunc regnans et ordinis protector, eidem sententiae ac longe maior fratrum pars adhaerens *capitulo generali Assisii anno 1895* [1] congregato totam quaestionem discutiendam proposuit. Hoc capitulum ex officio vocatur „congregatio generalis“, historice vero antiquis capitulis generalibus ordinis adnumerandum est (cap. III). Ex sessionibus praeparatoriis definitorii generalis patet, constitutiones anni 1889 multis in provinciis cum exceptionibus tantum valuisse; adhuc magis mirum est, nomina familiae cismontanae et ultramontanae in his sessionibus iterum adhibita esse, quamquam divisio ordinis in duas familias iuridice non amplius valebat. Haec definitorium quoque sensisse videtur, quapropter summam ecclesiae instantiam appellavit, ut omne dubium auferretur [2]. Responsionis loco ordo denuo divisus est, non in duas familias, sed in duodecim circumscriptiones, quod mox videbimus.

Vix vocales capituli convenerant, cum praeses a Pontifice institutus *Mauri Cardinalis* ex ordine Praedicatorum edixit finem praecipuum huius congregationis esse adducere „realem et solidam unionem“ omnium familiarum ordinis. Huius rei causam breviter et bene designavit his verbis: „Conditiones *internae* ordinis Minorum in praesentiarum valde diversae sunt ab illis, in quibus versabatur ordo anteactis saeculis.“ Ut autem vera unio perficiatur, ordinem uniformem legislationem et unum idemque regimen non solum sub eodem ministro generali, sed etiam sub eodem procuratore accipere debere. Diversas consuetudines vitae nationum et provinciarum in statuta provincialia recipi posse, ita tamen, ut constitutiones generales praecipua maneant norma et diversitas congregationum simul cum nomine auferatur.

His fundamentis unionis a parte longe maiori definitorii generalis acceptatis quattuor familiae seorsim suffragium de unione perficienda inierunt. Observantes paucis vocalibus exceptis *pro* unione, Reformatorum vero dextans *contra* unionem suffragati sunt; pariter pauci Discalceati, qui comparuerant. Recollecti nationis Germano-Belgicae declararunt unionem difficilem, sed possibilem et ordini desiderabilem esse, dummodo necessariae cautiones respectu paupertatis ordinis adhiberentur. Revera unio ad normam harum postulationum postea

---

[1] Acta Congregationis generalis totius Ord. Fr. Min. in Protocoenobio S. Mariae Angelorum celebratae a. 1895, ed. altera. Quaracchi 1895.

[2] Ibid. p. 9 11.

perfecta est. Deinde brevis discussio secuta est et communia tacitaque suffragia, in quibus 77 vocales pro et soli 31 contra unionem suffragati sunt. Igitur longe plus quam duae partes membrorum capituli pro strenua et absoluta exsecutione unionis intervenerunt. Paucis diebus post adhuc 23 fratres, qui ad minoritatem pertinebant, votum affirmativum tulerunt, cum praeses declarasset eodem solummodo „desiderium quoddam unionis et assensum, ut de ea tractetur", designari. Ex 108 vocalibus octo tantum absolute unioni contradixerunt.

Postea capitulum quosdam fratres ex diversis familiis desumptos designavit, qui constitutiones uniformes delinearent; moxque S. Congreg. Ep. et Reg. commissionem ex eisdem constituit, quae praeside *Aloysio Lauer,* ex-procuratore Recollectorum, adhuc eodem anno opus suum perfecit[1]. Novum hoc constitutionum schema approbationis gratia provinciis transmissum et postea ab ipsa S. Congregatione probatum et modificatum est.

§ 78. Unio ordinis anno 1897 facta.

Die 15 Maii anni 1897 novae constitutiones generales approbatae sunt[2], quo facto necessarium unionis fundamentum erat positum. Unio ipsa adhuc eodem anno a Leone XIII die festo sancti fundatoris ordinis constitutione *Felicitate quadam* solemniter exsecutioni mandata est. Ex anno 1517 praeter bullam unionis nullum aliud edictum Pontificium quoad ordinem similis momenti est factum, quam hoc diploma conscriptum idiomate magnifico atque classico. In ipso Papa imprimis amorem suum demonstrat, quo versus ordinem affectus est, quique praeclare ab ipso gestis innititur: „Mira cepit Nos franciscana species atque forma: quoniam intimam franciscalium institutorum virtutem magnopere ad christianam vitae rationem videbamus conduxisse, *neque eam esse huiusmodi, ut consenescere vetustate possit.* . . . Vix societas hominum est ulla, quae tot virtuti vigidos custodes eduxerit vel tot nomini christiano praecones, Christo martyres, coelo cives ediderit: aut in qua tantus virorum proventus, qui iis actibus, quibus qui excellunt praestare ceteris iudicantur, rem christianam remque ipsam civilem illustrarint, adiuverint."

---

[1] Schema Constitutionum generalium pro universo ordine fratrum Minorum anno 1895 reformatum per Commissionem a S. Congr. Ep. et Reg. deputatam, Romae 1895.

[2] Regula et Constitutiones generales fratrum Minorum, Romae 1897. Ibid. p. 167 bulla Unionis *Felicitate quadam.*

Attamen eius industria adhuc efficacior esse potuit, nisi ordo se ipsum schismatibus debilitasset. „Horum quidem bonorum non est dubitandum maiorem et constantiorem futuram ubertatem fuisse, si arctissimum coniunctionis concordiaeque vinculum, quale in prima ordinis aetate viguit, perpetuo mansisset: *quia virtus quanto est magis unita, tanto est fortior, et per separationem minuitur.*“ Haec non erant ad mentem S. Francisci, qui unitatem suae fundationis voluit conservari: „Quid revera voluit, quid egit aliud, cum unicam proposuit vivendi regulam, quam omnes sine ulla nec temporum nec locorum exceptione servarent, vel cum unius rectoris maximi potestati subesse atque obtemperare iussit universos?“

Dolendum est, quod decurrente tempore fratres ab hac norma recesserunt: *„Hoc certe usu venit franciscanis, ut de instituenda vita communi aliud placeret aliis.“* Ordine Conventualium et Capuccinorum obiter tacto, quorum exsistentia hac bulla non infringatur, Papa ad ordinem *Fratrum Minorum* transit, „qui concessu Sedis Apostolicae antecedunt loco et honore ceteros“, quorumque minister generalis solus titulo „ministri generalis totius ordinis Minorum“ gaudet. Attamen et huic divisio in quattuor familias Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum decurrente tempore nocuit, iamque omni fundamento caret, quia familiae in modo vivendi adhuc solo „pertenui discrimine“ ab invicem differunt. Conservatio vero diversarum congregationum valde nociva est paci et industriae ordinis, qui propter popularitatem suam maiorem influxum in vulgus exercere potest ac alii ordines, quod praesertim nostris temporibus magni est momenti, „eo vel magis, quod populari ingenio popularibusque moribus volvitur aetas“.

In dispositiva parte constitutionis Papa decernit, ut ordo omissis ceteris nominibus propriis solo nomine *„Ordinis Fratrum Minorum“* appelletur et omissis omnibus privilegiis peculiaribus communi legum codice et eisdem vestibus utatur. Color habitus *subniger,* qui iamdudum apud plurimas provincias in usum receptus erat, ad totum ordinem extenditur, etiam ad illas provincias, quae hucusque griseo, nigro vel violaceo colore usae erant. Speciale pondus *unitati regiminis* affertur: „Quemadmodum unus minister generalis, ita procurator unus esto: item scriba ab actis unus: honorum coelestibus habendorum curator unus.“ Ut exsecutio huius constitutionis in tuto ponatur, unicuique provinciae ordinationibus his contravenienti ius recipiendi novitios subtrahitur. Illi tamen fratres solemniter professi, qui iustis de causis putant se novas ordinationes accipere

non posse, a ceteris fratribus segregati in propriis domibus vitam degere possunt. Concessione domorum recollectionis in unaquaque provincia erigendarum ad studium severioris vitae, quod nunquam in ordine defecit, respectus habetur. Denique nova circumscriptio provinciarum, si necessaria esse videbitur, reservatur novo definitorio generali, cuius membra a S. Congregatione designanda sunt, cum Papa ipse novum ministrum generalem nominaturus sit. Haec in summa sunt, quae continentur in hac bulla unionis aeterna memoria digna.

Die sequenti, 5 Octobris anni 1897[1], ipsa a Seraphino Vannutelli Cardinali in collegio S. Antonii publicata est simul cum nominibus novi ministri et definitorii generalis; nam Aloysius a Parma simul cum suo definitorio sponte ab officio se abdicaverat. Huius viri merita omnia superantur eis, quae circa unionem perficiendam gessit, quapropter eius nomen in historia ordinis semper in honore habebitur.

Gaudium, quod omnes veri Fratres Minores unione perfecta sentiebant, aliquo modo eo diminutum est, quod fratres Hispani non eodem modo participare poterant ac ceteri. Ipsi quidem novas constitutiones generales acceperunt, sed ministro generali non se subiecerunt, neque cum ceteri ordines in Hispania paene omnes privilegia sua particularia resignassent et capiti sui ordinis plenarie se adiunxissent. Demum anno 1904 hac in causa eo progressi sunt[2], ut iure sperare possimus fore, ut mox totalis unio adducatur. Si enim ex gestis in ordine concludere licet, factum contrarium fatale accideret tam unioni tot laboribus perfectae, quam Hispanis ipsis, qui praeclarissima gesserunt tempore, quo iuxta mentem S. Francisci ministro generali adhaerebant.

Aloysio Lauer[3], novo ministro generali a Pontifice designato, difficilis obtigerat labor. Quod unio anni 1897 non eidem fato cessit ac similia studia temporis praeteriti, quod duravit et practice summo cum ordinis bono exsecutioni mandata est, magnam ad partem debetur miti constantiae huius ministri generalis, quem omnes sicut patrem venerati sunt. Dolendum est, quod iam post regimen quattuor annorum e vita discessit. Post eius mortem *David Fleming* officium vicarii

---

[1] Acta XVI (1897) 161.

[2] Acta XXIV (1905) 5.

[3] Compendium vitae huius viri invenitur apud *[Ortolani] Ciro d. P.*, B. Giovanni Parenti, Roma 1900, 33.

generalis suscepit usque ad capitulum generale anni 1903[1], in quo *Dionysius Schuler* minister generalis electus est. Opera horum virorum nondum in historia recensentur.

Caput II.

Evolutio provinciarum ordinis. Statistica.

§ 79. Quaedam generalia.

Facta anni 1517 numerum provinciarum ordinis necessario valde auxerunt; nam non solum administrationes, quae hucusque vicariae Observantium fuerant, statim titulo et iuribus provinciarum potitae sunt, sed etiam multae congregationes conventuum minores provinciae fieri flagitarunt. Quatenus hoc in casu novarum ditionum, velut Americae, ratio habebatur, desiderium illud certe aequum erat, quare et ab ordine libenter exaudiebatur. Res tamen aliter se habebat, quando provinciae geographice non amplae dividi volebant. Quia enim ordo, tali divisione supposita, agilitatem suam necessario amittebat et impediebatur, quominus maioribus communibusque satisfaceret operibus, iam capitulum anni 1526 talia studia supprimere conatum est, prohibens, ne provinciae amplius dividerentur, et quoscumque separationem molientes poenis afficiens. Hi fratres imprimis per triginta annos a ministerio provinciarum, quarum erectioni studuissent, excludi iubebantur, immo et membra earundem fieri prohibebantur. Experientia enim teste tales fratres saepissime ducti sunt principio: Divide et impera[2]. Casu quo haec praecepta constanter exsecutioni essent mandata, ordo nimiam illam incredibilemque provinciarum divisionem non esset passus.

Generatim neque capitulum generale his desideriis ambitiosis libenter obsecundavit. Tum vero auctores schismatum saepe immediate Sedem Apostolicam adierunt, quo facto, quae cupiebant, assecuti sunt. Ita generaliter familiae reformatae egerunt, praesertim Discalceati, qui provincias suas ordinarie omisso ministro et capitulo generali mediante agente suo Romano vel Matritensi erigebant. Iure quidem praeceptum erat, ut omnis provincia de novo fundanda beneplacitum Apostolicum sibi acquireret — quamquam

---

[1] Acta Capituli generalis totius ordinis Fr. Min. in Collegio S. Antonii Patavini de Urbe celebrati 1903, Quaracchi 1903.

[2] W XVI 227.

hoc durante saeculo XV et XVI saepius omissum esse videtur —, attamen tota causa primum ad ordinem pertinebat et postea demum consensu ordinis impetrato beneplacitum Apostolicum accedere debebat. Pro eo capitula generalia non raro facti completi rationem habere debebant, cui simpliciter assentiendum erat. Ordo ipse non ignoravit, hoc modo vires suas internas debilitari et concordiam fratrum damnum pati. Maximo erat incommodo id, quod multae provinciae non amplius administrationem geographice circumscriptam tamquam proximum et exclusivum sibi campum habebant, sed cum aliis provinciis eadem iura in eandem ditionem obtinebant. *Termini enim provinciarum saepissime ad invicem immissi erant* pro eo, ut intervallo locorum distarent, quod earundem notioni primigeniae correspondebat. Incommodum hoc fundatis provinciis Reformatorum et Discalceatorum in *Italia* et *Hispania* intolerabile est factum, cum paene ubique duae, immo interdum tres et plures provinciae eandem ditionem occuparent, omissis provinciis Conventualium et Capuccinorum, quae non raro ibidem inveniebantur. Multo melius hac in re provinciae Austriae et Hungariae se habebant, praecipue vero provinciae Recollectorum nationis Germano-Belgicae, quae terminos ditionis suae stricte observabant neque provincias aliarum congregationum ordinis intra fines suos concludebant. Provinciis Recollectorum Galliae non tam bene accidit res, quia industriae suae campum in terris ab Observantibus iam occupatis quaerere debebant. Demum fusione provinciarum per unionem anni 1897 adducta hae conditiones noxiae magno cum ordinis bono sublatae sunt.

Aeque ac divisio provinciarum geographica, etiam earundem *partitio idealis in duas partes, eo fine, ut munera maiora aeque distribuerentur,* ambitione singulorum fratrum causata est. Haec agendi ratio probari consuevit diversitate „nationum" in eadem provincia exsistentium, quo nomine fratres locis vicinis orti intelligebantur, qui tantummodo vel dialecto vel solo vel proprietate indolis vel studiis particularibus ab aliis differebant. Etiam huius eventus causae verae patent: quandocumque talis „natio" in electionibus successu desiderato careret, legibus providere conata est, ne inposterum similes clades pateretur. Aliquo modo diversae erant conditiones plurium provinciarum Americae et provinciarum Discalceatorum Neapolitanorum, quas Hispani fundaverant, quarumque membra decurrente tempore maiorem ad partem ex indigenis constabant. His in casibus differentia quidem nationum aderat, sed indoli catholicae et Franciscanae non erat consentaneum postulare, ut propter exiguam

minoritatem munera provincialatus et definitorii diversis nationibus alternatim committerentur. Hoc indigenos magis exacerbavit, quam placavit.

Longe aliud iudicium est ferendum *de divisione ideali totius ordinis in nationes* eo fine, ut unaquaeque semper fratrem in definitorio generali haberet. Ex anno circiter 1621 [1] familia ultramontana distincta erat in *nationem Hispaniae,* ad quam etiam provinciae Americae et orientalis Indiae pertinebant, in *nationem Franciae* et *nationem Germano-Belgicam,* quae provincias Germaniae, excepta Bavaria et Austria, et provincias Belgii et Britanniae complectebatur. Familia cismontana divisa erat in *nationem Lombardiae,* quae ex patrimonio Petri et Italia superiori constabat, in *nationem Regni* in ditione regni utriusque Siciliae et in *nationem Ultramarinam,* quo nomine provinciae Bavariae, Austriae, Hungariae, Poloniae, peninsulae Balcani et Terrae Sanctae comprehendebantur. Huius divisionis loco, quae ex tempore rebellionis Gallicae silentio omissa est, post unionem anni 1897 melior distributio *in duodecim circumscriptiones* subrogata est (§ 82).

Praecedentiae provinciarum inter se ex saeculo XVI obscuris de causis in dies maius est allatum pondus. Ut haec quaestio solveretur, principium est adhibitum, quod naturale et iustum esse videbatur, practice vero difficultates inextricabiles adduxit: videlicet *omnia referrebantur ad prioritatem fundationis provinciarum!* His positis hae quaestiones ortae sunt: Utrum tempus fundationis computandum est ab anno, quo capitulum generale consensit, an ab anno, quo Papa assentitus est, an ab anno, quo de facto erecta est, etiamsi inter erectionem et approbationem iuridicam annorum intervallum interest? Num provincia praecedentiam accipit ab anno, quo custodia sui iuris est facta? Si provincia quaedam potestate ecclesiastica vel ecclesiae inimica sublata et postea denuo constituta est, accipitne praecedentiam priorem? Numquid provincia habenda est deleta, quando non amplius proprium possidet regimen, an quando omnia eiusdem membra exstincta sunt? Num casu, quo provincia quaedam partim ex conventibus, qui ad aliam provinciam antiquam pertinuerant, erigitur, haec nova provincia praecedentia provinciae antiquae gaudet? Praecipue: accipiuntne provinciae reformatae anno 1517 et 1639 erectae praecedentiam provinciarum, intra quarum terminos ortae sunt, an ab anno erectionis? Hae et similes quaestiones decurrente tempore

[1] Chron. I 653.

partim non sunt solutae, partim solutiones contradictionibus plenas invenerunt. Igitur illi, ad quos pertinebat, contenti esse consueverant instituere catalogos provinciarum pro capitulis generalibus, in quibus saepe miri errores inveniebantur, quapropter continuis protestationibus ansam praebuerunt. Ut similia in posterum vitarentur, constitutionibus generalibus anni 1897 series provinciarum addita est, quam omnes provinciae *tunc exsistentes* sequerentur.

§ 80. Provinciae familiae cismontanae usque ad rebellionem Gallicam.

In **Italia** anno 1518 ex domibus Amadeitarum intra Romam et Parmam sitis *provincia S. Petri in Montorio* erecta est[1] et ex residentiis Clarenorum in regione Romana dispersis *prov. S. Hieronymi de Urbe*, quae mox a conventu suo principali Romano nomen *prov. S. Bartholomaei in Insula* accepit. In ipsa vetera Clarenorum studia revixisse videntur, quo factum est, ut Papa anno 1567 provinciam severe visitandam curaret. Anno sequenti ambas has provincias totaliter suppressit[2].

Prov. Tusciae anno 1523 divisa est in *prov. Tusciae* et *prov. Senensem*. Haec anno 1526 iure potita est utendi veteri nomine prov. Tusciae, cum ex conventibus circa Florentiam sitis *prov. Tusciae Florentinae* erigeretur et ex conventibus in regione Lucensi (Lucca) *prov. Lucensis S. Crucis*. Altera et tertia praedictarum provinciarum iam anno 1530 denuo unitae sunt, et anno 1563 etiam unio inter prov. Florentiae et prov. Tusciae perfecta est. Deinde anno 1591 iterum ab invicem discesserunt; denique anno 1603 stabiliter in unum corpus confusae sunt[3].

In Italia superiori anno 1594 conventus siti in regione a Tanaro flumine ad septentrionem spectante a prov. Ianuae separati et ad *prov. S. Didaci* coadunati sunt[4]. Haec anno 1622 domus suas ad occidentem sitas novae *prov. S. Thomae Ap. in Pedemontio* tradere debuit, quae etiam aliquos conventus a prov. Genuensi, Mediolanensi et S. Ludovici accepit[5].

In Italia inferiori anno 1544 a prov. Terrae Laboris pars indigentior, quae praecipue conventus ad orientem sitos complectebatur,

---

[1] W XVI 74 106.

[2] Gub. I 611 613. W XX 445 461.

[3] W XVI 146 227 288; XIX 435; XXII 294; XXIV 83. Gub. III 585.

[4] W XXIII 139 431. [5] W XXV 497.

sub nomine *prov. Principatus* secessit; deinde anno 1555 ambae partes iterum unitae, denique anno 1575 definitive separatae sunt[1]. Malum hoc exemplum anno 1580 parva prov. Calabriae imitata est. Pars eiusdem meridionalis (Calabria ulterior) veterem titulum *prov. VII Martyrum* retinuit, pars vero septentrionalis simpliciter *prov. Calabriae* vocata est[2]. Adhuc peiora facta sunt in Sicilia. Anno enim 1622 Reformati licentiam impetrarunt fundandi intra hanc provinciam tres custodias Reformatorum, quo factum est, ut adhuc eodem anno ipsa provincia in tres partes discesserit. Pars inter septentriones et orientem solem spectans vetus nomen *prov. Siciliae (Vallis Daemonis* vel *Nemoris)* retinuit, pars inter septentriones et occasum solis sita nomen *prov. Vallis Mazzariae* accepit, et pars meridionalis simul cum insula *Malta prov. Vallis Nethi* appellata est[3]. Misera haec conditio aucta est, cum anno 1639 custodiae Reformatorum titulum et iura provinciarum acciperent. Ita intra spatium septendecim annorum ex unica provincia Siciliae sex provinciae sunt ortae.

In ceteris partibus Italiae *numerus provinciarum anno 1639 eadem de causa duplicatus est.* Ita res permanserunt, usquedum durante saeculo XVIII nova scismata orirentur. In Italia superiori anno 1767 a prov. Veneta *prov. Observ. Mantuae*[4] separata est, quae tempore rebellionis Gallicae totaliter interisse videtur. Domus ad prov. Venetam Reformatorum pertinentes, quae in ditione Mantuana sitae erant, iam anno 1753 instante Maria Theresia, Imperatrice, prov. Mediolanensi Reformatorum incorporatae sunt. Idem eodem anno factum est de conventibus custodiae Reformatorum *S. Paschalis Papiae,* quae per paucos tantummodo annos duravit[5].

In Italia inferiori anno 1733 prov. Observantium S. Nicolai „ex amplitudine provinciae ac diversitate regionum“ divisa est conventibus in regione Lyciensi (Lecce) exsistentibus ad *prov. Observ. S. Antonii Lyciensis* coadunatis[6]. Etiam vicina provincia Observantium S. Angeli anno 1776 in duas partes disiuncta est; domus in campo patenti sitae *prov. Apuliae inferioris* cum vetere titulo S. Angeli constituebant, ex conventibus vero in regione montana *prov. Apuliae superioris* cum titulo *S. Ferdinandi in Molisio* erecta est[7].

Provincia *Sardiniae* iam ex anno 1511 ad familiam ultramontanam pertinuerat, sed postea ad cismontanam redierat. Instigante rege

---

[1] W XVIII 72; XIX 31; XXI 24 463. [2] W XXI 247.
[3] W XXV 498 662 686. [4] *V. Haute* 169. [5] Chron. IV 97.
[6] Chron. III 2, 185. [7] Archivum ordinis ad an. 1776.

Hispaniae, cui Sardinia suberat, anno 1581 iterum familiae ultramontanae adiuncta et anno 1631 interveniente eodem a Pontifice ad conditionem custodiae reducta atque provinciae Catalauniae adiecta est. Certum tamen est, hunc statum violentum non diu durasse, quia iam anno 1639 duas provincias Observantium in Sardinia invenimus: *prov. S. Mariae de Gratiis* in parte septentrionali insulae, quae antiquam praecedentiam retinuit, et *prov. S. Saturnini* in parte meridionali [1]. Reformati in Sardinia non exstiterunt, quia locos ad ditionem Hispanam pertinentes occupare non poterant.

In **peninsula Balcani** anno 1590 *prov. Albaniae* (rarius Macedoniae) erecta est conventibus intra fines veteris prov. Graeciae sitis, qui non obstantibus Turcarum persecutionibus servati vel de novo erecti erant [2]. Provincia huic vicina Bosnae Argentinae anno 1676 partem suam orientalem novae *prov. Bulgariae* concedere debuit et conventus occidentales prope mare Adriaticum dispersos *prov. S. Caii P. M. in Dalmatia* [3], quae anno 1735 fundata est, quaeque etiam *prov. SS. Redemptoris* appellatur. Huic versus occidentem septentrionesque usque ad ditionem Venetam prov. S. Hieronymi iam anno 1478 erecta adiacebat, quae etiam filia prov. Bosnae erat, aeque ac prov. Bosnae Croatiae versus orientem finitima, quae iam anno 1514 sui iuris est facta. Haec, quae ex saeculo XVII solo nomine *prov. Carniolae S. Crucis* vel *Croatiae-Carniolae* vocatur, anno 1688 Reformatis se adiunxit [4]. Quamquam provincia matrix tanta damna est passa, tamen adhuc amplas regiones Slavoniae, Sirmiae, Temesvariae, Bosnae et Serbiae intra fines suos conclusit et medio saeculo XVIII versus 800 membra habuit. Anno 1757 nova accidit divisio, cum ex conventibus Slavoniae orientalis, Temesvariae et Sirmiae *prov. S. Ioannis Capistrani* constitueretur [5]. Reliqua veteris provinciae pars, quae praesertim domus missionum in ditione Turcarum complectebatur, simul ad conditionem custodiae diminuta est, quae tamen iniuria anno sequenti compensata est, pristina praecedentia parvae tum *prov. Bosnae Argentinae* reddita [6].

In **Hungaria** iuxta antiquam provinciam Conventualium reformatorum medio saeculo XV vicaria Observantium est orta. Conventualibus reformatis per unionem anni 1517 Observantibus adiunctis capitulum generale anni 1523 decrevit, ut provincia antiquior nomen *prov.*

---

[1] W XV 392; XXV 652. Gub. IV 48. [2] *Gonz.* 547. W XXII 293.
[3] Chron. III 2, 202. [4] *Greiderer* I 75.
[5] Chron. IV 250. [6] Ibid. 304.

Tabella provinciarum cismontanarum.

1517	1639	1789
1. S. Francisci	1. S. Francisci	1. S. Francisci.
	2. *S. Francisci Ref.*	2. *S. Francisci Ref.*
2. Romana	3. Romana	3. Romana.
	4. *Romana Ref.*	4. *Romana Ref.*
3. Marchiae Ancon.	5. Marchiae	5. Marchiae.
	6. *Marchiae Ref.*	6. *Marchiae Ref.*
4. Tusciae	7. Tusciae	7. Tusciae.
	8. *Tusciae Ref.*	8. *Tusciae Ref.*
5. Bononiensis	9. Bononiae	9. Bononiae.
	10. *Bononiae Ref.*	10. *Bononiae Ref.*
6. Ianuensis	11. Ianuae	11. Ianuae.
	12. *Ianuae Ref.*	12. *Ianuae Ref.*
	13. S. Didaci	13. S. Didaci.
	14. *S. Didaci Ref.*	14. *S. Didaci Ref.*
7. Mediolanensis	15. S. Thomae in Pedem.	15. S. Thomae in Pedem.
	16. *S. Thomae in Pedem. Ref.*	16. *S. Thomae in Pedem. Ref.*
	17. Mediolanensis	17. Mediolanensis.
	18. *Mediolanensis Ref.*	18. *Mediolanensis Ref.*
8. Veneta (S. Antonii)	19. Veneta	19. Veneta.
	20. *Veneta Ref.*	20. Mantuana.
		21. *Veneta Ref.*
9. Brixiensis	21. Brixiensis	22. Brixiensis.
	22. *Brixiensis Ref.*	23. *Brixiensis Ref.*
10. S. Bernardini	23. S. Bernardini	24. S. Bernardini.
	24. *S. Bernardini Ref.*	25. *S. Bernardini Ref.*
11. Terrae Laboris	25. Terrae Laboris	26. Terrae Laboris.
	26. *Terrae Laboris Ref.*	27. *Terrae Laboris Ref.*
	27. Principatus	28. Principatus.
	28. *Principatus Ref.*	29. *Principatus Ref.*
12. S. Nicolai (Apuliae)	29. S. Nicolai	30. S. Nicolai.
	30. *S. Nicolai Ref.*	31. S. Antonii Lyciensis.
		32. *S. Nicolai Ref.*
13. Basilicatae	31. Basilicatae	33. Basilicatae.
	32. *Basilicatae Ref.*	34. *Basilicatae Ref.*
14. S. Angeli	33. S. Angeli	35. S. Angeli.
	34. *S. Angeli Ref.*	36. S. Ferdinandi.
		37. *S. Angeli Ref.*
15. Calabriae	35. VII Martyrum	38. VII Martyrum.
	36. *VII Martyrum Ref.*	39. *VII Martyrum Ref.*
	37. Calabriae	40. Calabriae.
	38. *Calabriae Ref.*	41. *Calabriae Ref.*

1517	1639	1789
16. Siciliae	39. Siciliae	42. Siciliae.
	40. *Siciliae Ref.*	43. *Siciliae Ref.*
	41. Vallis Mazzariae	44. Vallis Mazzariae.
	42. *Vallis Mazzariae Ref.*	45. *Vallis Mazzariae Ref.*
	43. Vallis Nethi	46. Vallis Nethi.
	44. *Vallis Nethi Ref.*	47. *Vallis Nethi Ref.*
17. Corsicae	45. Corsicae	48. Corsicae.
	46. *Corsicae Ref.*	49. *Corsicae Ref.*
18. Candiae	47. Candiae	50. Candiae.
	48. Albaniae	51. Albaniae.
19. Ragusii	49. Ragusii	52. Ragusii.
20. Dalmatiae	50. Dalmatiae	53. Dalmatiae S. Hieronymi.
21. Bosnae Argentinae	51. Bosnae Argentinae	54. S. Caii (SS. Redempt.) Dalmatiae.
		55. Bulgariae.
		56. Bosnae Argentinae.
		57. S. Ioann. Capistrani.
22. Bosnae Croatiae	52. Croatiae-Carniolae	58. *Carniolae Ref.*
23. Hungariae	53. Hungariae S. Mariae	59. *Hungariae S. Mariae Ref.*
		60. S. Ladislai.
	54. Hungariae SS. Salvatoris	61. *Hungariae SS. Salvatoris Ref.*
		62. *Transsylvaniae Ref.*
24. Poloniae	55. Poloniae Minoris	63. Poloniae Minoris.
		64. Lituaniae.
	56. *Poloniae Min. Ref.*	65. *Poloniae Min. Ref.*
		66. *B. M. Dolorosae Russiae Ref.*
	57. Russiae	67. Russiae.
	58. Poloniae Maioris	68. Poloniae Maioris.
	59. *Poloniae Mai. Ref.*	69. *Poloniae Mai. Ref.*
		70. *B. M. Assumptae Prussiae Ref.*
25. Bohemiae	60. Bohemiae	71. *Bohemiae Ref.*
		72. *S. Hedwigis Silesiae Ref.*
26. Austriae	61. *Austriae Ref.*	73. *Austriae Ref.*
	62. *Tyrolensis S. Leopoldi Ref.*	74. *Tyrolensis S. Leopoldi Ref.*
	(Prov. Veneta Ref.)	75. *S. Vigilii Tyrol. Ref.*
(Prov. Argentinensis)	63. *Bavariae Ref.*	76. *Bavariae Ref.*
27. Terrae Sanctae	64. Custodia Terrae Sanctae	77. Custodia Terrae Sanctae.

S. Mariae in Hungaria acciperet, quo a provincia recentiori *SS. Salvatoris* distingueretur. Anno 1606 definitum est, ut ambae provinciae propter detrimenta, quae reformatione ecclesiastica et invasionibus Turcarum durantibus passae erant, unirentur [1], quod tamen perfectum non esse videtur. In decursu saeculi XVII ad Reformatos transierunt. A prov. S. Mariae anno 1661 pars inter meridiem et occasum solis spectans, quae partim Croatiam et Slavoniam concludebat sub nomine *prov. Observ. S. Ladislai* [2] separata est. A prov. SS. Salvatoris iam anno 1640 conventus in Transylvania siti custodiam Reformatorum constituentes recesserant; ipsa anno 1729 *prov. Transylvaniae* facta est [3].

Ampla provincia in **Polonia** anno 1630 in duas provincias Observantium disiuncta est, quarum maior, quae inter septentriones et orientem solem spectabat et per Poloniam minorem dispersa erat, nomen *Poloniae minoris* accepit, altera vero nomen *Poloniae maioris* [4]. Cumque custodiae Reformatorum in utraque provincia exsistentes anno 1639 provinciae fierent et anno 1637 *prov. Russiae* (Immaculatae Conceptionis) [5], quae in ditione Galiziae hodie Austriacae sita erat, a prov. Observantium Poloniae minoris secessisset, intra spatium novem annorum ex una provincia quinque ortae sunt. Durante saeculo XVIII ulterius divisa est. Iam anno 1529 conventus Lituaniae, ut independentes fierent, frustra postulaverant. Recusatione ordinis non obstante provinciam constituerunt, quae anno 1571 iterum cum Polonia coniuncta et demum anno 1729 sub nomine *prov. Lituaniae* legitime a prov. Observantium Poloniae minoris soluta est [6]. Etiam prov. Reformatorum ibidem exsistens anno 1746 conventus praecipue in Galizia hodie Austriaca exstructos perdidit, qui primum in custodiam sui iuris, postea anno 1763 in *prov. B. M. Dolorosae in Russia* erecti sunt [7]. Paulo ante, anno 1750, etiam prov. Reformatorum Poloniae maioris multas domus per Prussiam occidentalem, Posnam et Silesiam dispersas *prov. B. M. Assumptae Prussiae* de novo constituendae tradiderat [8].

In Silesia superiori anno 1754 *prov. S. Hedwigis Silesiae* a Reformatis constituta est; nam prov. Bohemiae, a qua originem duxit,

---

[1] W XVI 146; XXIV 169. [2] Gub. IV 395.
[3] Chron. III 1, 23. BD IV 532. *V. Haute* 169.
[4] Gub. IV 395. [5] Ibid.
[6] Gub. III 272. W XX 275. Chron. III 2, 190.
[7] Chron. III 2, 473; IV 445. *V. Haute* 169.
[8] Chron. III 2, 463. Cf. W XVI 74.

ex anno 1660 Reformatis se adiunxerat sub nomine *prov. Bohemiae S. Wenceslai*[1]. *Prov. Austriae* versus meridiem huic confinis iam anno 1632 Reformatis adnumerata est cum privilegiis, quae *prov. Bavariae* anno 1625 erectae tributa erant[2] (§ 70). Antonius a Galbiato, fundator et primus minister prov. Bavariae, anno 1628 Reformationem etiam *ad prov. Tirolis septentrionalis S. Leopoldi* propagavit, quae anno 1580 ex conventibus antea ad prov. Argentinensem et Austriae pertinentibus tamquam prov. Observantium fundata est. Haec primum familiae ultramontanae adiudicata est, paulo tamen post anno 1583 familiae cismontanae[3].

In ditione, quae hodie vocatur Tirolis meridionalis, conventus Reformatorum prov. Venetae exsistebant, qui anno 1643 sub nomine *prov. S. Vigilii* sui iuris sunt facti[4].

§ 81. Provinciae familiae ultramontanae usque ad rebellionem Gallicam.

In **Hispania** occidentali, intra limites pervetustae prov. S. Iacobi, anno 1517 prov. S. Iacobi et prov. Portugalliae exsistebant simul cum ambabus custodiis *Pietatis* et *Gabrielis*, quarum prior anno 1518, posterior anno 1520 provincia est facta[5]. Anno 1533 pars meridionalis prov. Portugalliae a matre divisa est sub nomine *prov. Algarbiorum*[6], ad quam etiam residentiae in insulis Azores fundatae pertinebant, usquedum anno 1639 sub titulo *prov. S. Ioannis Evang. Insularum de Azores* provincia sui iuris fierent. Immo et haec parva provincia iterum divisa est, cum propria custodia *Immaculatae Conceptionis*, vel *S. Michaelis* in insula eiusdem nominis erigeretur[7]. Amplius prov. Portugalliae debilitata est, cum anno 1560 *prov. Arrabidorum* constitueretur (§ 66), cum domus recollectionis secederent, quae ex anno 1568 *prov. S. Antonii in Lusitania* formabant[8], et cum anno 1683 conventus in insula Madera custodia sui iuris *S. Iacobi in Madera* fierent[9]. Horum detrimentorum ipsa prov. Portugalliae aliqualem compensationem accepit incorporatione *custodiae* Conventualium *Portuensis* (Porto), quae anno 1584 ad Observantiam transiit[10].

---

[1] Chron. IV 150. *Greiderer* I 597 808. Gub. IV 187. Cf. W XVI 154.
[2] *Greiderer* I 288; II 258. [3] W XXI 239 390. *Greiderer* II 13.
[4] *Greiderer* II 487. [5] W XVI 71 sq 103. BD I 529 sq.
[6] W XVI 341. [7] Gub. IV 49. Chron. III 1, 560.
[8] W XX 22 26 167 475. [9] Chron. III 1, 230. Gub. IV 310.
[10] *Gonz.* 794.

Prov. S. Iacobi, quae his peractis ad partem Hispaniae inter septentriones et occasum solis spectantem reclusa erat, quaeque propterea interdum quoque *prov. Galiciae* vocabatur, anno 1548 partem suam meridionalem concesserat novae *prov. S. Michaelis in Extremadura,* quae secundum fines orientales Lusitaniae, magnam ad partem intra ambitum prov. S. Gabrielis sita erat[1]. Anno 1770 prov. S. Michaelis divisa est in duas partes a Tago (Tajo) flumine versus septentrionem et versus meridiem spectantes, quare nomine *prov. S. Michaelis supra et infra Tagum* appellabantur[2]. Prov. de Santoyo quoad prov. praedictam inter septentriones et orientem solem sita anno 1518 custodia *de Abrojo* aucta est, quo facto nomen *prov. Conceptionis* accepit[3]. A prov. Burgensi vicina anno 1555 pars inter septentriones et occasum solis spectans sub titulo *prov. Cantabriae* secessit[4].

Prov. Baeticae in Hispania meridionali sita anno 1583 in partem occidentalem et orientalem discessit, quae (scil. orientalis) *prov. Granatensis* vocabatur[5]. Iam antea eadem provincia conventus suos in insulis Canariis exstructos amiserat, qui ex anno 1553 propriam *prov. Canariarum* (rarius *prov. Palmarum*) constituebant[6].

Etiam provinciae orientales Hispaniae varias mutationes subierunt. Anno 1520 custodia Murciae a Castilia, prov.-matre, disiuncta est sub nomine *prov. Carthaginiensis* vel *Murciae*[7], quae versus meridiem prov. Granatensi adiacebat. Magna vicinaque prov. Aragoniae anno 1559 in tres provincias divisa est, quarum prov. *Valentiae* et *Cataloniae* secundum litus maris sitae erant, cum prov. Aragoniae his peractis in interiora regionis versus Caesaream Augustam (Saragossa) vergeret[8].

Praeter has provincias Observantium in peninsula Pyrenaica multae **provinciae Discalceatorum** ortae sunt. Decurrente saeculo XVI et XVII[9] prov. Pietatis, S. Gabrielis, Arrabidorum et S. Antonii in Lusitania, quarum tres ad regnum *Lusitaniae* pertinebant, illis se adiunxerunt. Accessit in eodem regno *prov. Solitudinis,* quae anno 1670 a prov. Pietatis separata est et residentias in Lusitania septentrionali sitas accepisse videtur[10]. Simili modo prov. S. Antonii anno 1704 domus

---

[1] *Gonz.* 1035. [2] Archivum ordinis ad an. 1770.
[3] W XVI 72 sq. [4] W XIX 31. [5] W XXI 386.
[6] *Gonz.* 1180. Gub. III 246. Tabula geographica totius Ord. Seraph., Monachii 1680, 29.
[7] W XVI 72 103. [8] W XIX 175. [9] Cf. BD II 198; III 54.
[10] Gub. IV 400. Chron. III 1, 177 314.

suas versus septentrionem dispersas *prov. Immac. Conceptionis de la Beyra* concessit[1].

Magis adhuc divisionis studiosi erant Discalceati *Hispani*. Omissa *prov. S. Didaci in Baetica*, quae anno 1620 ex parte meridionali prov. S. Gabrielis erecta est[2], ceterae omnes a *prov. S. Iosephi* (§ 66), matre et duce Discalceatorum, cuius domus per Castiliam veterem et novam dispersae erant, originem duxerunt[3]. Iam anno 1577 eius pars orientalis sub titulo *prov. S. Ioannis Bapt. Valentiae*[4] discessit, et anno 1594 eiusdem pars inter septentriones et occasum solis spectans sub nomine *prov. S. Pauli*[5]. Denique anno 1744 conventus Matrito longius distantes, qui versus orientem usque ad mare et versus septentrionem usque ad Caesaream Augustam pertingebant, ad *prov. Immac. Conceptionis in Nova Castilia*[6] coadunati sunt. Haec provincia immissa erat intra prov. S. Ioannis Bapt. eiusque propagines meridionales, videlicet *prov. S. Paschalis Murciae*[7], quae anno 1744 sui iuris est facta, et *prov. S. Petri de Alcantara in Granata*, quae anno 1659 erecta est, quaeque iam anno 1640 sub nomine *prov. S. Raphaelis* ad tempus exstiterat[8].

Discalceati in Italia quoque pedem figere conati sunt, primum prov. Granatensis, postea maiori cum successu prov. S. Iosephi, quippe quae ad negotia gerenda esset habilior. Ita anno 1675 *prov. S. Petri Alc. in Neapoli* orta est[9], a qua anno 1742 pars in Apulia sita sub nomine *prov. S. Paschalis Lyciensis*[10] discessit. Ut molestiarum difficultatumque ibidem idemtidem orientium finis fieret, anno 1745 ambae provinciae ineptissime familiae ultramontanae adiunctae sunt, quin tam successus, quem adductum iri sperabant, eveniret[11].

Praeterea ad nationem Hispanicam omnes provinciae in **America** et in Oriente extremo sitae pertinebant, quia his in regionibus in principio soli paene Hispani et Lusitani missionarii admittebantur. Provincia antiquissima S. Crucis per insulas vicinas propagata est et in continentem Venezuelae, a cuius capite Caracas nomen *prov. S. Crucis Caracarum* accepit. Sed iam anno 1524 iterum ad insulas Antillas restricta est et anno 1534 ad conditionem custodiae restricta; immo anno 1559 decretum est, ut exstingueretur. Sed iam anno

---

[1] BD III 133. Chron. III 1, 488. [2] BD I 509; II 75.
[3] W XXIII 108. [4] BD I 578. [5] BD I 347 590. W XXIII 140.
[6] BD IV 466 567. [7] BD IV 340 536.
[8] BD II 203 349 365 379. Gub. II 481.
[9] BD II 395 436 480. [10] BD IV 236 270.
[11] BD III 111 174 216; IV 515; V 612.

1565 tamquam provincia iterum revixit, quin tamen pugna contra eius independentiam desineret[1].

In *Mexico* anno 1523 custodia est orta, quae anno 1534 ad *prov. S. Evangelii in Mexico* evecta est[2]. Haec a peninsula Yucatan quoquoversus propagata est, quo facto necessario dividenda erat. Anno 1565 *prov. S. Iosephi de Yucatan* et *prov. S. Nominis Iesu de Guatemala* erecta est, quae ambae antea ex anno 1559 tamquam custodiae unam prov. S. Iosephi formaverant[3]. His peractis prov. S. Evangelii ad regionem mediterraneam versus meridiem circa civitatem capitalem diffusam restricta est. In regione septentrionali eiusdem sensim sine sensu separatae sunt: *custodia de Michoacan* circa Morelia et Guanajuato; *custodia de Jalisco,* quae praedictae versus occidentem adiacebat et ad oceanum magnum spectabat; denique *custodia de Zacatecas,* quae ab utraque ad septentrionem sita erat. Prima et altera harum custodiarum anno 1565 *prov. SS. Petri et Pauli* constituebant, de qua anno 1606 decretum est, ut divideretur, quod anno sequenti exsecutione mandatum est. Hoc facto antiquior pars *prov. SS. Petri et Pauli de Michoacan* appellata est, recentior vero *prov. S. Iacobi de Jalisco* vel *Novae Galiciae*[4]. Custodia de Zacatecas anno 1603 nomine *prov. S. Francisci de Zacatecas*[5] ad provinciam evecta est.

Prov. S. Evangelii versus finem saeculi XVI etiam versus meridiem regionum, quae hodie dicuntur *Status foederati Americae septentrionalis,* residentias fundavit. In Florida anno 1609 custodia orta est, quae etiam in insulis Antillis domus possidebat et anno 1612 in *prov. S. Helenae in Florida* erecta est[6]. Simili modo in Mexico novo anno 1633 *custodia S. Pauli novi Mexici,* subiecta provinciae matri constituta est[7]. *Custodia S. Catharinae fluminis viridis,* quae provinciae de Michoacan adiacebat, quaeque anno 1621 sui iuris est facta, non diu stetit; iam enim 1645 iterum cum prov. SS. Petri et Pauli coniuncta est[8]. Omnes hae provinciae Mexicanae ad familiam Observantium pertinebant. Praeterea Discalceati anno 1580 in ditione prov. S. Evangelii propriam custodiam fundaverunt,

---

[1] W XVI 187 378; XIX 175; XX 26. *Gonz.* 1198. Gub. III 576.
[2] BD I 533 133. W XVI 378.
[3] W XVI 165; XIX 175; XX 22. Gub. III 353.
[4] W XX 22; XXIV 173 215. [5] W XXI 96; XXIV 82 172 404.
[6] W XXIV 274; XXV 8. [7] Gub. IV 36.
[8] Gub. III 620; IV 118. Cf. W XXV 433. *Patrem* 45 hanc custodiam adhuc anno 1726 *provinciam Discalceatorum* vocat (?).

quae primum provinciae in Philippinis suberat, deinde, anno 1599 independens *prov. S. Didaci in Mexico* facta est[1].

In *America media* ex prov. de Guatemala anno 1575 *prov. S. Georgii de Nicaragua* cum residentiis in Honduras et Costa Rica aedificatis originem duxit[2]. Sed domus in Honduras sitae iam anno 1587 tamquam *custodia de Honduras* prov. de Guatemala iterum subiectae esse videntur[3].

In *America meridionali* iam anno 1535 *custodia Peruviana* a prov. S. Evangelii separata et anno 1553 in *prov. XII Apostolorum de Peru* erecta est[4]. Ob vastam eius amplitudinem anno 1565 ita est divisa[5]: custodia Columbiae, quam aliqui iam anno 1550 sui iuris factam esse putant[6], *prov. S. Fidei in Nova Granata* constituta est, *custodia S. Pauli* de Ecuador nomen *prov. S. Francisci de Quito* accepit et litus inter meridiem et occasum solis spectans *prov. SS. Trinitatis de Chile*[7] occupavit; deinde custodia Boliviae *prov. S. Antonii Charcarum* (de las Charcas) facta est[8]. Denique in „terra firma", i. e. *Venezuela*, custodia erecta est[9] dependens a prov. matre, quae abhinc nomen *prov. Limensis XII Apostolorum* accepit. Sed eius limites, quae Peru, Argentiniam (Tucuman) et Paraguay concludebant, adhuc tam amplae erant, ut custodiae in Argentinia et Paraguay sitae anno 1612 in *prov. Assumptionis de Paraguay et Tucuman* vel *prov. Fluvii Platensis* coadunarentur[10].

Ita tempore relative brevi per maiorem partem Americae meridionalis provinciae Observantium fundatae erant. Reliqua huius continentis pars, videlicet orientalis plaga Brasiliae, quae tunc temporis sola erat nota, Discalceatis obtigit, eisque Lusitanis, quia haec regio ditioni Lusitanae suberat. Iam anno 1584 ibidem *custodia Brasilis* orta est, quae anno 1657 ad dignitatem *prov. S. Antonii in Brasilia* evecta est[11]. Ab ipsa anno 1675 pars meridionalis sub nomine *prov. Immac. Conceptionis in Brasilia* discessit[12]. Interdum *prov. Fluminis Ianuarii* vocatur, probabiliter quia iuxta flumen Ianuarii (Rio Janeiro) sese extendebat.

India orientalis aeque ac Brasilia ad ditionem Lusitanam pertinebat, quapropter et missionarii Franciscani ibidem laborantes fratres

---

[1] W XXI 239; XXII 147; XXIII 333 495; XXIV 172.
[2] Gub. IV 399. W XXI 7. [3] W XXII 144.
[4] Gub. III 282. Acta XXIV 387. [5] W XX 22. Gub. III 353.
[6] W XVIII 254. Acta XXIV 385. [7] Cf. W XX 25 331.
[8] Cf. W XX 63; XXIV 173. Gub. III 576. [9] W XX 64. [10] W XXV 9.
[11] *Gonz.* 1360. BD I 580. Gub. IV 296. [12] BD II 490.

Lusitani erant. Residentiae ibidem fundatae, quae praecipue secundum litus occidentale circa Goam et Cochin et in insula Ceylon sitae erant, primum custodia, deinde anno 1583 *prov. S. Thomae in India orientali* factae sunt. Quia vero prov. Portugalliae, a qua originem duxit, resistebat, paulo post independentiam suam amisit, quam anno 1612 iterum, eamque diuturnam, recepit[1]. Anno 1633 pars Cochinensis simul cum insula Ceylon tamquam *custodia S. Antonii de Cochin* separata est, quo facto prov. S. Thomae ad litus occidentale Indiae circa urbem Goam restricta est[2].

In India orientali Hispana, videlicet in *Philippinis,* Discalceati prov. S. Iosephi ex anno 1577 pedem fixerunt. Iam novem annis post *prov. S. Gregorii Philippinarum et Chinae* orta est, quae initio etiam quasdam domus in Mexico fundatas complectebatur[3]. Ex Philippinis fratres non solum in imperium Sinense profecti sunt, sed etiam in Indiam posteriorem, ubi *Malacae* domum fundaverunt. Quia vero haec regio ad ditionem Lusitanam pertinebat, hunc conventum mox Discalceatis Lusitanis concedere debebant, qui prov. S. Thomae subiecti sunt. Ipsi pluribus residentiis in India orientali acceptis anno 1622 impetrarunt, ut propriam prov. Matris Dei de Malaca constituere possent[4]. Praeter hanc ibidem circa annum 1700 etiam *custodia Observantium S. Francisci de Malaca* exsistebat[5].

In Gallia unio anni 1517 extraordinarias difficultates produxit, quas vocales capituli generalis anni 1518 eo vitare conabantur, quod Conventuales reformatos propriis nexibus concluserunt. Iuxta *prov. Franciae* et *prov. Turoniae* ex Conventualibus reformatis constantes provinciae Observantium *Franciae Parisiensis* et *Turoniae Pictaviensis* erectae sunt. Solummodo in *prov. Burgundiae* (S. Bonaventurae) utraque pars unita est[6], quo in casu Conventuales reformati plures fuisse videntur. Ab hac provincia anno 1729 *custodia Sabaudiae* discessit, quae tamen iam anno 1750 iterum cum provincia matre coniuncta est[7]. Postquam Conventuales Aquitaniae anno 1532 ad Observantes transierunt et, ut distinguerentur a prov. Observantium, quae iam diutius exsistebat, nomen *prov. Aquitaniae recentioris* acceperunt[8], in Gallia quattuor magnae provinciae exsistebant, quae vel totaliter vel maximam ad partem ex Conventualibus coalescebant. Hae tamquam

---

[1] *Gonz.* 1201. Gub. IV 365 604 703. W XXV 10 521.
[2] Gub. IV 37. [3] *Gonz.* 1353. W XXI 58 388; XXII 59 363.
[4] *Gonz.* 1357. BD II 17. W XXV 11 499. Gub. IV 37.
[5] Giard. 23. [6] W XVI 71. [7] BD IV 533. Chron. III 2, 437.
[8] W XVI 326.

provinciae confoederatae cum magno conventu Parisiensi, cuius guardianus magnam ad partem a iurisdictione ministri provincialis exemptus erat, postea insimul agere consueverant et anno 1771 ad Conventuales redierunt (§ 74), cum ceteras provincias Observantium ad suas partes traxissent. Solummodo paucae reliquiae veteris prov. Parisiensis apud partem ordinis reformatam remanserunt, videlicet *prov. Flandriae*[1], quae anno 1523 erecta erat, et custodia Artesiae (Artois), quae anno 1558 *prov. S. Andreae in Artesia* facta erat[2]. Ambae provinciae nationi Germano-Belgicae obtigerant et durante saeculo XVII Recollectis se adiunxerunt.

Sed etiam intra nationem Franciae multae **provinciae Recollectorum** ortae sunt. Praeter *prov. Britanniae* (Bretagne), quae tota ad Recollectos transiit, anno 1612 (§ 71) constitutae sunt: *prov. S. Dionysii* in Gallia septentrionali et occidentali, *prov. S. Bernardini* in Provincia et Aquitania et *custodia S. Antonii in Delphinatu,* cuius domus in Burgundia sitae erant, quaeque iam anno 1620 in *prov. S. Francisci in Gallia* erecta est[3]. Cumque Recollecti Aquitani prov. S. Bernardini subiecti esse nollent, anno 1614 impetrarunt, ut pro ipsis propria *prov. Immac. Conceptionis in Gallia* erigeretur[4]. Haec, postquam anno 1635 versus meridiem ab urbe Tolosa (Toulouse) *prov. SS. Sacramenti* constituta est[5], partem septentrionalem Aquitaniae occupavit. Intra Aquitaniam et prov. S. Dionysii *prov. S. Mariae Magdalenae* immissa erat[6], quae anno 1619 a praedicta provincia seiuncta erat et regiones circa Turonum (Tours) et Aurelianum (Orleans) usque ad fines orientales Galliae complectebatur. Denique anno 1643 intra prov. Turoniae *custodia SS. Trinitatis in Gallia* orta est, quae tamen non diu stetit[7].

In **Germania** difficultates ex unione quoad provinciam Saxoniae ortas eodem modo superare conabantur, ac in Gallia; igitur decretum est, ut Conventuales reformati *prov. Saxoniae S. Ioannis Bapt.* constituerent, Observantes vero *prov. Saxoniae S. Crucis,* quacum anno 1520 etiam *custodia Holsatiae* coniuncta est[8]. Durantibus reformationis ecclesiasticae tempestatibus ambae provinciae interierunt. Prov. S. Crucis anno 1606 cum prov. Argentinensi coniuncta et demum anno 1625 denuo erecta est[9]; pervetusta prov. S. Ioannis Bapt. vero non amplius revixit, quamquam anno 1633 formaliter

---

[1] W XVI 151. [2] W XIX 108 588. Gub. III 366.
[3] W XXV 6 393. [4] W XXV 57 110. [5] Gub. IV 400.
[6] W XXV 346. [7] Gub. IV 401. BD IV 533. Giard. I 40.
[8] W XVI 70 103. [9] W XXIV 169. Gub. IV 5.

denuo constituta est[1]. Meliori sorte eius filia, *prov. Thuringiae,* gavisa est, quae anno 1523 sui iuris erat facta et post suppressionem per 100 circiter annos durantem ex anno 1633 valide iterum sese poterat evolvere. Anno 1762 propter inanes contentiones domus ad Rhenum et circa Limburgum exstructae sub nomine *prov. Thuringiae inferioris S. Elisabeth* discesserunt a prov. matre, quae exinde sub titulo *prov. Thuringiae superioris S. Elisabeth* conventus in Thuringia et Franconia sitos retinuit[2].

Ad partes Rheni inferiores, in ditione, quae hodie vocatur Hollandia, anno 1529 *prov. Germaniae inferioris* (rarius *prov. Brabantiae*) a prov. Coloniensi separata est[3]. Altera divisio in *prov. Brabantinam* et *prov. Mosanam* anno 1790 a gubernio statuta propter rebellionem non diu duravit[4]. In *Belgio* moderno anno 1629 *prov. S. Iosephi in Comitatu Flandriae* qua prov. Recollectorum a prov. Flandriae secessit[5].

Artesia a Gallis occupata prov. S. Andreae a natione Germano-Belgica divulsa est simul cum *prov. S. Antonii in Artesia,* quae versus meridiem spectabat et anno 1668 vel 1667 orta erat[6]. Eadem de causa *prov. S. Nicolai in Lotharingia,* quae anno 1727 ex conventibus, qui partim ad prov. Franciae, partim ad prov. Argentinensem pertinuerant, constituta est, nationi Franciae obtigit. Eadem valent de *prov. S. Petri Alc. Alsatiae,* quae anno 1750 a prov. Argentinensi discesserat[7].

Plurimum reformatione ecclesiastica passae sunt provinciae maxime septentrionales, quarum *prov. Daciae* et *Scotiae* totaliter perierunt, quamquam formaliter denuo constitutae sunt et diu adhuc ministri titulares earundem nominabantur[8]. *Prov. Angliae,* quae etiam anno 1633 restituta est, contigit, ut non obstantibus magnis difficultatibus usque ad saeculum XIX locum suum obtineret[9]. Multum quoque *prov. Hiberniae* variis persecutionibus passa est, sed nunquam totaliter periit. Anno 1645 capitulum generale concessit, ut divideretur[10], quod tamen exsecutioni non datum esse videtur.

---

[1] Gub. IV 37 159. Quomodo notae in tabellis statisticis sequentes de numero domorum et fratrum adhuc saeculo XVIII intelligendae sint, non patet. Cf. Saggio n. 181.

[2] Gub. III 252. W XVI 146 149. Chron. IV 420. Reg. GB III 355.

[3] W XVI 277 289; XXI 391.

[4] Reg. GB V 16.

[5] Reg. GB I 71. Gub. IV 400.

[6] Gub. IV 400. *Le Febure* 97.

[7] Chron. III 2, 94 468; IV 138. Reg. GB III 166.

[8] Gub. IV 37 114 159.

[9] W XXV 293. Gub. IV 5 37 201.

[10] Gub. IV 121.

Tabella provinciarum ultramontanarum.

1517	1639	1789
1. S. Iacobi	1. S. Iacobi	1. S. Iacobi.
	2. S. Michaelis in Estremadura	2. S. Michaelis in Estrem. supra Tagum.
		3. S. Michaelis in Estrem. infra Tagum.
2. Portugalliae	3. Portugalliae	4. Portugalliae.
		5. Cust. S. Iacobi de Madera.
	4. Algarbiorum	6. Algarbiorum.
	5. S. Ioannis Ev. de Azores	7. S. Ioannis Ev. de Azores.
		8. Cust. S. Michaelis de Azores.
	6. *Arrabidorum Disc.*	9. *Arrabidorum Disc.*
	7. *S. Antonii in Lusit. Disc.*	10. *S. Antonii in Lusit. Disc.*
		11. *Immac. Conc. de la Beyra Disc.*
3. Cust. Pietatis	8. *Pietatis Disc.*	12. *Pietatis Disc.*
		13. *Solitudinis Disc.*
4. Burgensis	9. Burgensis	14. Burgensis.
	10. Cantabriae	15. Cantabriae.
5. De Santoyo	11. Conceptionis	16. Conceptionis.
6. Castellae	12. Castellae	17. Castellae.
	13. Carthaginens. (Murciae)	18. Carthaginensis.
7. Cust. S. Gabrielis	14. *S. Gabrielis Disc.*	19. *S. Gabrielis Disc.*
	15. *S. Didaci in Baetica Disc.*	20. *S. Didaci in Baetica Disc.*
8. SS. Angelorum	16. SS. Angelorum	21. SS. Angelorum.
9. Baeticae	17. Baeticae	22. Baeticae.
	18. Granatensis	23. Granatensis.
	19. Canariarum	24. Canariarum.
10. Aragoniae	20. Aragoniae	25. Aragoniae.
	21. Cataloniae	26. Cataloniae.
	22. Valentiae	27. Valentiae.
11. Maioricarum (?)	23. Maioricarum	28. Maioricarum.
— S. Iosephi	24. *S. Iosephi Disc.*	29. *S. Iosephi Disc.*
		30. *Immac. Conc. in Nova Castil. Disc.*
	25. *S. Ioan. Bapt. Valentiae Disc.*	31. *S. Ioan. Bapt. Valentiae Disc.*
		32. *S. Petri Alc. Granat. Disc.*
		33. *Cust. S. Paschalis Murciae Disc.*

1517	1639	1789
— S. Iosephi	26. *S. Pauli Disc.* . . .	34. *S. Pauli Disc.*
	—	35. *S. Petri Alc. in Neap. Disc.* 36. *S. Paschalis Lyciensis Disc.*
12. Sardiniae	27. Sardiniae S. Mariae de Gratiis	37. Sardiniae S. Mariae de Gratiis.
	28. Sardiniae S. Saturnini .	38. Sardiniae S. Saturnini.
13. S. Crucis Hispaniolae	29. S. Crucis Caracarum .	39. S. Crucis Caracarum.
	30. S. Evangelii in Mexico	40. S. Evangelii in Mexico.
	31. Cust. S. Pauli in Novo Mexico	41. Cust. S. Pauli in Novo Mexico.
	32. S. Helenae in Florida .	42. S. Helenae in Florida.
	33. S. Francisci de Zacatecas	43. S. Francisci de Zacatecas.
	34. SS. Petri et Pauli de Michoacan	44. SS. Petri et Pauli de Michoacan.
	35. Cust. S. Catharinae Fluminis viridis.	—
	36. S. Iacobi de Jalisco .	45. S. Iacobi de Jalisco.
	37. S. Iosephi de Yucatan .	46. S. Iosephi de Yucatan.
	38. *S. Didaci in Mexico Disc.*	47. *S. Didaci in Mexico Disc.*
	39. S. Nominis Iesu de Guatemala	48. S. Nominis Iesu de Guatemala.
	40. S. Georgii de Nicaragua	49. S. Georgii de Nicaragua.
	41. S. Fidei in Nova Granata	50. S. Fidei in Nova Granata.
	42. S. Francisci de Quito .	51. S. Francisci de Quito.
	43. Limensis XII Apost. .	52. Limensis XII Apost.
	44. SS. Trinitatis de Chile .	53. SS. Trinitatis de Chile.
	45. S. Antonii Charcarum .	54. S. Antonii Charcarum.
	46. Assumptionis de Paraguay	55. Assumptionis de Paraguay.
	47. *Cust. Brasilis Disc.* .	56. *S. Antonii in Brasilia Disc.* 57. *Immac. Concept. in Bras. Disc.*
	48. S. Thomae in India orientali	58. S. Thomae in India orientali.
	49. Cust. S. Antonii de Cochin	59. Cust. S. Antonii de Cochin (?).
	50. *Matris Dei de Malaca Disc.*	60. *Matris Dei de Malaca Disc.*

1517	1639	1789
	51. *S. Gregorii Philippin. Disc.*	61. *S. Gregorii Philippin. Disc.*
14. Franciae	52. Magnus Conventus Parisiensis.	—
	53. Franciae.	—
	54. Franciae Parisiensis.	—
	55. Flandriae	62. *Flandriae Rec.*
	56. *S. Iosephi in Flandria Rec.*	63. *S. Iosephi in Flandria Rec.*
	57. S. Andreae in Artesia .	64. *S. Andreae in Artesia Rec.*
		65. *S. Antonii in Artesia Rec.*
	58. *S. Dionysii Rec.* . .	66. *S. Dionysii Rec.*
	59. *S. Mariae Magd. Rec.* .	67. *S. Mariae Magd. Rec.*
15. Turoniae	60. Turoniae.	—
	61. Turoniae Pictaviensis.	—
16. S. Bonaventurae .	62. S. Bonaventurae.	—
	63. *S. Francisci Rec.* . .	68. *S. Francisci Rec.*
17. S. Ludovici . . .	64. S. Ludovici.	—
	65. *S. Bernardini Rec.* . .	69. *S. Bernardini Rec.*
18. Britanniae . . .	66. *Britanniae Rec.* . . .	70. *Britanniae Rec.*
19. Aquitaniae . . .	67. Aquitaniae antiquioris.	—
	68. Aquitaniae recentioris.	—
	69. *Immac. Concept. Rec.* .	71. *Immac. Concept. Rec.*
	70. *SS. Sacramenti Rec.* .	72. *SS. Sacramenti Rec.*
20. Argentinensis . .	71. Argentinensis	73. *S. Nicolai in Lotharing. Rec.*
		74. *S. Petri Alc. in Alsatia Rec.*
		75. *Argentinensis Rec.*
21. Saxoniae	72. Saxoniae S. Ioan. Bapt.	
	73. Thuringiae (S. Elisabeth).	76. *Thuringiae superior. Rec.*
		77. *Thuringiae inferior. Rec.*
	74. Saxoniae S. Crucis . .	78. *Saxoniae S. Crucis Rec.*
22. Coloniensis . . .	75. Coloniensis	79. *Coloniensis Rec.*
	76. Germaniae inferioris .	80. *Germaniae inferioris Rec.*
23. Daciae	77. Daciae.	—
24. Angliae	78. Angliae	81. *Angliae Rec.*
25. Hiberniae	79. Hiberniae	82. *Hiberniae Rec.*
26. Scotiae	80. Scotiae.	—

§ 82. Provinciae ordinis post rebellionem Gallicam.

Rebellio Gallica eiusque sequelae in diversis ditionibus multas provincias vi sustulerant; nihilominus maior earundem pars exsistentiam suam, etsi misere, prorogare noverat, quae postea sensim sine sensu cum nova forma atque comitibus paulisper immutatis iterum revixerunt. Revera catalogus pro capitulo generali anni 1856 compositus exiguas tantummodo lacunas exhibet, si omittimus provincias Hispaniae tunc paene deletas. Maximum influxum in reorganisationem ordinis unio anni 1897 fusione multarum provinciarum exercuit, quam ipsa necessario adduxit. Multa vitia temporis praeteriti hoc facto subito sanata sunt, idque brevissimo tempore vix trium annorum.

Mutationes divisionis provinciarum, quas rebellio adduxit, exinde iuxta *seriem circumscriptionum,* quae hodie valent, describemus[1].

Provinciae Italiae, quae quattuor primis comprehenduntur circumscriptionibus, vix a calamitatibus rebellione illatis respirare coeperant, cum a novo gubernio iterum sunt suppressae. Hoc in Pedemontio anno 1854 factum est, in ceteris ditionibus Italiae anno 1866 et in provinciis Romanis 1873. Nulla tamen provincia durante tempore persecutionis totaliter interiit, etsi omnes magis minusve debilitabantur. Hac quoque de causa ultro se ingessit necessitas fusionis provinciarum vicinarum, multoque magis ad invicem immissarum, quarum exsistentia propria unione perfecta inutilis erat. Quia nomina Observantium et Reformatorum abolita erant, anno 1897 provinciae in eadem ditione sitae appositione *antiquioris* (= quae prius fuerat Observantium) et *recentioris* (= quae prius fuerat Reformatorum) designatae sunt. Haec tamen appellatio non diu duravit, quia novum definitorium generale fusionem provinciarum fortitudine inexorabili perfecit.

In *prima circumscriptione* anno 1899 totaliter perfecta est. Ex ambabus provinciis Umbriae *prov. Seraphica* constituta est[2], ex ambabus provinciis Marchiae Anconitanae *prov. Picena*[3] et ex ambabus provinciis circa Bononiam sitis *prov. Bononiensis*[4]; denique nova *prov. Romana*[5] formata est ex ambabus provinciis Romanis et ex *custodia Recessuum S. Bonaventurae*[6], quae ex anno 1845 exsistebat.

Maiores mutationes in *secunda circumscriptione,* imprimis in Tuscia acciderunt. Iuxta prov. Observantium, quae *prov. Tusciae S. Bonaventurae* appellabatur, et prov. Reformatorum, quae nomen *prov. SS. Stigmatum* gerebat, ibidem anno 1891 custodia Reformatorum, quae iam

[1] CC. GG. art. 358. [2] Acta XVIII 110. [3] Ibid. 126. [4] Ibid. 127.
[5] Ibid. 155. [6] Schema Const. Generalium, Romae 1895, 155.

per aliqua decennia exstiterat, in *prov. Lucensem S. Iosephi*[1] erecta est. Quia limites harum provinciarum ad invicem immissae erant, anno 1898 denuo apte sunt divisae[2]: *Prov. Tusciae S. Bonaventurae* regiones circa Pistoriam (Pistoja), Florentiam et Senas (Siena) accepit, *prov. Tusciae SS. Stigmatum* Tusciam meridionalem circa Aretium (Arezzo) et Clusium (Chiusi), *prov. Tusciae S. Iosephi* regionem occidentalem circa Pisas, Luccam et Liburnum (Livorno). Eodem anno provinciae Genuenses, videlicet prov. Observantium *S. Bonaventurae,* et prov. Reformatorum *S. Antonii* ad *prov. Ianuensem* sub titulo *S. Leonardi a P. M.* coadunatae sunt[3]; item anno sequenti ambae prov. Venetae ad *prov. Venetam*[4].

In Pedemontio vetus provincia Reformatorum S. Thomae suppressa est, cuius loco duae custodiae erigebantur: *custodia Maritima* mater provinciarum Reformatorum in Gallia facta est, *custodia* vero *Pedemontana* anno 1898 cum provincia Observantium ibidem exsistente ad *prov. Pedemontanam S. Thomae Ap.* coadunata est[5]. Quod ipsa prima omnium petiit, ut fusio perficeretur, ei perpetuo tribuetur gloriae. E numero ceterarum trium provinciarum duplicium Italiae superioris, videlicet prov. Mediolanensis, Brixiae et S. Didaci, post rebellionem revixerunt solummodo prov. Reformatorum S. Didaci, prov. Reformatorum *Immac. Conceptionis in Langobardia,* quae anno 1845 loco prov. Brixiensis constituta est, et *custodia Observantium Langobardiae* vel *S. Mariae Angelorum,* quae anno 1861 in regione Mediolanensi erecta est[6]. Ex tribus his administrationibus anno 1898 una provincia formata est sub veteri nomine *prov. Mediolanensis*[7]. Denique ad secundam circumscriptionem *prov. Sardiniae* pertinet, quae ex anno 1899 ambitum utriusque prov. Sardiniae, antea ibidem exsistentis, occupat[8].

Conditiones *tertiae circumscriptionis* praecipuis difficultatibus erant obnoxiae. Geographice quidem facile erat unire ambas prov. Aprutiorum *ad prov. Aprutiorum S. Bernardini*[9] (an. 1898) aeque ac erectio *prov. Lyciensis S. Antonii*[10], quae eodem anno facta est ex prov. S. Antonii (Observ.), ex *prov. S. Iosephi* (Ref.), quae anno 1835 a prov. S. Nicolai Reformatorum discesserat[11], et ex prov. S. Paschalis

---

[1] Acta X 176. [2] Acta XVII 160. [3] Ibid. 124.

[4] Acta XVIII 127. [5] Schema 159. Acta XVII 95.

[6] *P. Sevesi,* Saggio storico-critico sull' origine . . . della provincia di Milano, Brescia 1906, 41. Schema 153 155.

[7] Acta XVII 190. [8] Acta XVIII 156. [9] Acta XVII 190.

[10] Ibid. 204. [11] Schema 154.

(Disc.). Sed intra has provincias e regione Neapolitana transversa paeninsula adhuc decem sitae erant, quae miro modo ad invicem erant immissae, quo factum est, ut e. g. in urbe Neapoli domus sex diversarum provinciarum exsisterent. Has provincias denuo circumscribere maxime erat necessarium. Anno 1899 hoc negotium ita est perfectum, ut loco decem provinciarum tres novae erigerentur[1], videlicet *prov. Terrae Laboris* (S. Io. Ios. de Cruce), quae septentrionem regionis Neapolitanae et regionem Casertae et Beneventi complectebatur; *prov. Apuliae* (S. Michael. Archang.) in territorio de Foggia, Bari et Campobasso; denique *prov. Principatus* (S. Iacobi de Marchia) in meridie regionis Neapolitanae et in agro Salernitano atque Irpinensi.

Prov. Principatus iam pertinet ad *quartam circumscriptionem,* in qua anno 1898[2] ambae prov. Basilicatae coniunctae sunt; item tres[3] prov. in Calabria sitae ad *prov. Calabriae* (VII Martyr.); denique tres provinciae duplices Siciliae ad *prov. Vallis Nemoris, prov. V. Mazzariae* et *prov. V. Nethi. Custodia Melitensis,* quae anno 1838 in insula Malta constituta est[4], ad prov. Vallis Nethi adiuncta est.

In *quinta circumscriptione* anno 1899 prov. S. Hieronymi cum prov. Ragusae sub titulo *prov. S. Hieronymi in Dalmatia* unita est[5]. Ibidem *prov. Herzegovinensis* anno 1892 erecta est, quae anno 1852 tamquam custodia intra ambitum prov. Bosnae Argentinae orta erat[6]. Anno 1906 etiam prov. missionis *Albaniae* denuo constituta est, quae anno 1832 propter defectum fratrum missio Apostolica facta erat[7]. *Custodia Reformatorum Constantinopolitana,* quae iam saeculo XVII, item anno 1856 et 1882[8] commemoratur, interea perierat.

Provinciae *sextae circumscriptionis* anno 1900 omnes denuo sunt circumscriptae[9], quia earum fines non obstante amplitudine ditionum permixti erant. Prov. SS. Salvatoris et S. Ladislai penitus sublatae sunt earumque conventus hoc modo ceteris provinciis assignati: *Prov. S. Mariae in Hungaria* mediam et septentrionalem partem Hungariae accepit, *prov. Transsylvania* eiusdem regni orientem, videlicet Transsylvaniam. *Prov. S. Io. Capistrani* ad meridiem Hungariae restricta est et conventus suos in Croatia et Slavonia sitos novae *prov. Croatiae SS. Cyrilli et Methodii* concedere debuit, cui etiam residentiae prov.

---

[1] Acta XVIII 111. Cf. XVII 124. [2] Acta XVII 124.

[3] Cf. Capitulum generale a. 1889, 23. Ambae provinciae Observantium in Calabria ante annum 1856 unitae esse videntur.

[4] Schema 155. [5] Acta XVIII 123. [6] Acta XI 85. [7] Acta XXV 268.

[8] Gub. IV 198. Capit. generale a. 1856, 19. Acta I 69. [9] Acta XIX 92.

S. Ladislai et Carniolae ibidem exsistentes obtigerunt. *Prov. Carniolae S. Crucis,* quae ad circumscriptionem quintam pertinet, ditio Carniolae (Kärnten) et pars Styriae (Steiermark) assignata est, cum ex Styria orientali et ex Austria inferiori *prov. Austriae S. Bernardini* constitueretur. Aequum erat hanc provinciam restituere, quia conventus ad eandem pertinentes adhuc exsistebant aliis provinciis vi gubernii civilis aggregati. Nam anno 1785 domus in Carniola et Styria aedificatae a prov. Austriae segregatae et anno 1791 ad *prov. interioris Austriae* coadunatae sunt. Haec provincia exstitit usque ad annum 1839, quo conventus residui eiusdem tamquam *commissariatus Styriae* prov. Tyroliae septentrionalis adiuncti sunt. Sex residentiae, quae n Austria inferiori tolerabantur, prov. Austriae continuaverunt usque ad annum 1825, quo prov. S. Capistrani incorporatae sunt[1]. Cum eadem provincia anno 1851 *prov. Bulgariae* unita est; sed iam anno 1869 pauci conventus ibidem adhuc exsistentes aliis societatibus traditi sunt[2].

Maior pars provinciarum Poloniae quondam regni peiori adhuc fato cesserunt, quippe quae post varios casus anno 1864 a gubernio Russiae totaliter sint sublatae[3]. Duae tantum provinciae Galiciae Austriacae, prov. VII Dolorum (Ref.) et Immac. Conceptionis (Observ.) permanserunt, quae anno 1899 ad *prov. Galiciae Immac. Concept.* coadunatae sunt[4].

Prov. Prussiae B. M. Assumptae, quae iam ad *septimam circumscriptionem* pertinet, quaeque durante saeculo XIX nomen *prov. Immac. Concept. in Borussia* (Posnania)[5] accepit, iniuria temporum multum est passa. Eadem valent etiam de ceteris provinciis in imperio Germanico constitutis. Ineunte saeculo XIX totaliter erant sublatae, sed magnam ad partem sensim sine sensu iterum convaluerunt, excepta *prov. Thuringiae inferioris* et *prov. Coloniae* quondam floridissima. Pars conventuum eiusdem obtigit prov. Saxoniae, quae propterea ad tempus nomen *prov. Rhenano-Westphalicae*[6] gerebat. Ex pervetusta *prov. Argentinensi* solae domus in Suevia et Franconia sitae residuae manserunt, quae *prov. Bavaricae* incorporatae sunt. Simili modo etiam limites provinciarum vicinarum propter eversiones rerum publicarum non parum sunt immutatae. *Prov. Thuringiae superioris* residentias suas in Bavaria moderna exstructas, penitus amisit; residui duo conventus anno 1855 custodiam constituerunt.

---

[1] Catalogus Provinciae S. Bernardini in Austria, a. 1907, 15.
[2] Schematismus Prov. S. Io. Capistrani a. 1904, 10. [3] Acta X 76.
[4] Acta XVIII 156. [5] Capitulum generale a. 1856, 19. Schema 154.
[6] Capitulum generale a. 1856, 19. Capitulum generale a. 1862, 43.

Ipsa ulterius evolvi prohibita est *pugnis religiosis* (Kulturkampf) *in Prussia* exortis. His in tempestatibus fratres ibidem exsistentes non ad saeculum recesserunt, sed novum industriae campum sibi exquisierunt praesertim in *America*. Pugnis religiosis finitis *prov. Thuringiae S. Elisabeth* anno 1894 in patria iterum erigi potuit[1], postquam in America fundamenta novae provinciae iecit. *Prov. Saxoniae S. Crucis* in exsilio non solum integra remanserat, sed etiam tres novas provincias in America septentrionali et in Brasilia fundaverat. Anno 1902 ab eadem *custodia Silesiae S. Hedwigis* seiuncta est[2], cum pristina provincia eiusdem nominis pars prov. Bohemiae fuisset.

Prov. Germaniae inferioris, quae nunc temporis ad Hollandiam modernam restricta est, quapropter et *prov. Hollandiae* vocatur, mox iterum valde coepit florescere, aeque ac *prov. S. Iosephi in Belgio,* quae anno 1844 a Gregorio XVI ex ruinis provinciarum in Belgio moderno sitarum erecta est[3].

A fratribus Belgis etiam *prov. Angliae,* quae perierat, iterum resuscitata est, idque anno 1887 tamquam custodia et anno 1891 tamquam provincia sub titulo *Immac. Concept.*[4] Praeter hanc et prov. Hiberniae ad *octavam circumscriptionem* etiam provinciae *Galliae* pertinent, quae omnes denuo constitui debebant. Ibidem praeter custodiam Maritimam Reformatorum, quae iuxta conventum principalem etiam *custodia Niciensis* vocatur, anno 1861 *prov. S. Bernardini* orta est, quae mox per totam Galliam est propagata. Anno 1889 pars eius septentrionalis cum conventibus in Anglia separata est sub titulo *prov. S. Dionysii*[5]. Iuxta has provincias Reformatorum Observantes anno 1860 *prov. S. Ludovici Episc.* fundarunt, quae etiam per totam ditionem erat dispersa. Ab ipsa anno 1892 pars septentrionalis cum conventibus in Anglia et Canada discessit sub nomine *prov. Franciae*[6]. Persecutionibus ordinum nostris temporibus in Gallia ortis Minoritae Galli exemplum fratrum Borussorum imitantes in alias terras fugerunt (Canada, Helvetia etc.), ad faciendam ibi poenitentiam cum benedictione Dei.

Corsica, ditioni Galliae subacta, provincia ibidem exsistens fato ceterarum provinciarum Galliae obnoxia est facta. Igitur durante rebellione totaliter periit, deinde anno 1853 tamquam custodia denuo est constituta, denique anno 1882 iam iterum in provinciam erat erecta[7].

---

[1] Acta XIII 85. [2] Acta XXI 149. [3] *Patrem* 39. [4] Acta VI 193; X 53.

[5] Acta VIII 133. Schema 160. [6] Acta XI 149.

[7] Schema 154. Capitulum generale a. 1856, 18; a. 1862, 34; a. 1889, 24 36. Acta I 68.

Nona et decima circumscriptio complectitur provincias peninsulae Pyrenaicae olim fratribus frequentissimas, quae tamen paucis exceptis interierunt. *Prov. Portugalliae,* quae anno 1833 deleta est, primo unum, deinde duos retinuit conventus, usquedum anno 1891 denuo constitueretur[1]. Ceterae provinciae Lusitanae non amplius revixerunt. In *Hispania* fratres ex anno 1834 intolerabilibus molestiis erant obnoxii, quapropter vix erat possibile vitam communem ducere. Quatenus singulae provinciae his non obstantibus sine interruptione permanserunt, in medio relinquatur. Anno 1889[2] iam iterum enumerantur *prov. S. Iacobi, Andalusiae (= Baeticae), Carthaginiensis, Cantabriae, Valentiae, Catalauniae,* quae ad nostra usque tempora valde creverunt. Decimae circumscriptioni adhuc adnumeratur *prov. S. Gregorii Philippinarum,* sola in Asia orientali residua, quae durante rebellione non erat suppressa, sed tempore occupationis a Statibus foederatis Americae septentrionalis susceptae multum detrimenti est passa.

Provinciae *circumscriptionis undecimae,* quae *Americam mediam et meridionalem* complectitur, durantibus bellis independentiae adipiscendae causa gestis vel tempore rebellionis saeculi XIX legibus erant suppressae[3], quo non obstante exsistentiam suam, etsi parcam, sibi servaverunt excepta *prov. de Nicaragua. Prov. de Ecuador* anno 1903 denuo constituta est[4], et *prov. de Chile* ex anno 1905 in duas divisa est partes[5], quae disiunguntur flumine Maule. Provinciae septentrionali nomen est *SS. Trinitatis,* cum meridionali nomen VII Gaudiorum B. M. V. impositum sit. Ambae prov. Brasiliae periturae erant, cum fratres prov. Saxoniae patria pulsi eis auxilio venerunt, quo facto anno 1901 denuo potuerunt erigi cum vetere titulo *S. Antonii* in regione septentrionali et *Immac. Concept.* versus meridiem[6]. Denique mense Novembri anni 1907 prov. in *Peru* divisa est, cuius pars meridionalis *prov. XII Apostolorum* vocata est et septentrionalis *prov. S. Francisci Solani*[7].

Duodecima circumscriptio provinciis in *Mexico et America septentrionali* sitis constituitur. Provinciae Mexici, quae anno 1859 a gubernio sunt sublatae, exsistentiam suam, etsi duram, prorogare potuerunt excepta *prov. S. Iosephi de Yucatan.* Reliquae quinque provinciae anno 1908 ad numerum ternarium sunt restrictae. *Prov. S. Evangelii* meridiem cum civitate capitali complectitur, *prov. SS. Petri*

---

[1] Acta X 175. [2] Acta VIII 76. [3] Acta I 67 sq.
[4] Acta XXII 167. [5] Acta XXIV 403. [6] Acta XX 167.
[7] Acta XXVII 200.

et Pauli regionem circa Morelia et Querétaro, *prov. SS. Francisci et Iacobi* ditiones a Guadalajara et Zacatecas versus septentrionem spectantes[1].

Durante saeculo XIX provinciae in Florida, in Mexico novo et in insulis Antillis penitus interierunt, simul tamen aliae provinciae in America septentrionali sunt ortae, quae magna promittunt. In Statibus foederatis fratres prov. Saxoniae anno 1858 residentiam fundaverant, cumque propter pugnas religiosas (Kulturkampf) anno 1875 multi eorum Americam peterent, iam anno 1879 *prov. SS. Cordis Iesu* erigi poterat[2], cuius residentiae maximam ad partem in regione occidentali ab urbibus Chicago et St. Louis usque ad Californiam dispersae sunt. In eadem ditione amplissima domus missionis *prov. S. Io. Bapt. Cincinnatensis* inveniuntur, cuius centrum tamen in statibus Ohio et Kentucky situm est. Ibi fratres prov. Tyroliae septentrionalis anno 1859 custodiam fundaverant, quae anno 1886 provincia facta est[3]. In statibus orientalibus circa urbes New York et Buffalo primum fratres Hiberni, deinde Itali pro compatriotis suis laboraverant. Ex horum domibus primum anno 1861, deinde iterum anno 1901 *custodia Buffalensis Immac. Concept.* erecta est[4]. Mox fratres aliarum nationum accesserunt. Ita anno 1875 in eisdem regionibus fratres prov. Thuringiae *commissariatum* fundaverunt, cuius centrum erat urbs *Paterson*. Ex hoc et domibus praedictae custodiae, quatenus non ad Italos pertinebant, *prov. SS. Nominis Iesu* orta est[5]. Denique fratres Poloni in dioecesi Green Bay in statu Wisconsin commissariatum Pulasckensem constituerunt[6].

Tabellae provinciarum post rebellionem Gallicam exsistentium[7].

1856	1897 (post unionem)	1908	Circumscriptio
1. Seraphica.	1. Seraphica antiquior.	1. Seraphica.	I.
2. *Seraphica Ref.*	2. Seraphica recentior.		
3. Romana.	3. Romana ant.	2. Romana.	
4. *Romana Ref.*	4. Romana rec.		
5. *Cust. Recess. S. Bonaventurae.*	5. Cust. S. Bonaventurae.		

[1] Acta XXVII 344. [2] Acta XXIV 415. [3] Acta IV 135; V 109; XXIII 372.
[4] Schema 155. Capitulum generale a. 1862, 36.
[5] Acta XX 168; XXIV 417. [6] Acta XXIV 418.
[7] Enumeratio provinciarum intra unamquamque circumscriptionem *geographice* tantum disposita est, omissa praecedentia vigente.

1856	1897 (post unionem)	1908	Circumscriptio
6. Marchiae.	6. Marchiae ant.	3. Picena.	I.
7. *Marchiae Ref.*	7. Marchiae rec.		
8. Bononiensis.	8. Bononiensis ant.	4. Bononiensis.	
9. *Bononiensis Ref.*	9. Bononiensis rec.		
10. Tusciae.	10. Tusciae S. Bonavent.	5. Tusciae S. Bonavent.	II.
11. *Tusciae Ref.*	11. Tusciae SS. Stigmatum.	6. Tusciae SS. Stigmatum.	
12. *Cust. Lucensis Ref.*	12. Tusciae S. Iosephi.	7. Tusciae S. Iosephi	
13. Ianuensis.	13. Ianuensis ant.	8. Ianuensis.	
14. *Ianuensis Ref.*	14. Ianuensis rec.		
15. Veneta.	15. Veneta ant.	9. Veneta.	
16. *Veneta Ref.*	16. Veneta rec.		
17. *S. Didaci Ref.*	17. S. Didaci rec.	10. Mediolanensis.	
18. *Immac. Concept. in Langob. Ref.*	18. Immac. Concept. in Langob. rec.		
	19. Cust. Langobardiae (S. Mariae Angel.)		
19. S. Thomae in Pedem.	20. S. Thomae in Pedem.	11. Pedemontana.	
20. *Cust. Pedemontana Ref.*	21. Cust. S. Thomae in Pedem.		
21. Sardiniae S. Mariae de Gratiis.	22. Sardiniae S. Mariae de Gratiis.	12. Sardiniae.	
22. Sardiniae S. Saturnini.	23. Sardiniae S. Saturnini.		
23. S. Bernardini Aprut.	24. Aprutiorum ant.	13. Aprutiorum.	III.
24. *S. Bernardini Ref.*	25. Aprutiorum rec.		
25. Terrae Laboris.	26. Terrae Laboris ant.	14. Terrae Laboris.	
26. *Terrae Laboris Ref.*	27. Terrae Laboris rec.		
27. *S. Petri Alc. Disc.*	28. S. Petri Alc. Neapol.		
28. S. Nicolai.	29. S. Nicolai ant.		
29. *S. Nicolai Ref.*	30. S. Nicolai rec.		
30. S. Angeli.	31. Apuliae S. Angeli ant.	15. Apuliae.	
31. *S. Angeli Ref.*	32. Apuliae S. Angeli rec.		
32. S. Ferdinandi in Molisio.	33. S. Ferdinandi in Molisio.		
33. S. Antonii Lyciensis.	34. S. Antonii Lyciensis.	16. Lyciensis.	
34. *S. Iosephi Lyciensis Ref.*	35. S. Iosephi Lyciensis.		
35. *S. Paschalis Lyciensis Disc.*	36. S. Paschalis Lyciensis.		

1856	1897 (post unionem)	1908	Circumscriptio
36. Principatus.	37. Principatus ant.	17. Principatus.	IV.
37. *Principatus Ref.*	38. Principatus rec.		
38. Basilicatae.	39. Basilicatae ant.	18. Basilicatae.	
39. *Basilicatae Ref.*	40. Basilicatae rec.		
40. Calabriae.	41. Calabriae ant.	19. Calabriae.	
41. *SS. VII Martyrum Ref.*	42. SS. VII Martyrum rec.		
42. *Calabriae citerioris Ref.*	43. Calabriae rec.		
43. Siciliae.	44. Siciliae ant.	20. Vallis Nemoris.	
44. *Siciliae Ref.*	45. Siciliae rec.		
45. Vallis Mazzariae.	46. Vallis Mazzariae ant.	21. Vallis Mazzariae.	
46. *Vallis Mazzariae Ref.*	47. Vallis Mazzariae rec.		
47. Vallis Nethi.	48. Vallis Nethi ant.	22. Vallis Nethi.	
48. *Vallis Nethi Ref.*	49. Vallis Nethi rec.		
49. Custodia Melitensis.	50. Custodia Melitensis.	23. Custodia Melitensis.	
50. Cust. Terrae Sanctae.	51. Cust. vel Prov. Terrae Sanctae.	24. Cust. Terrae Sanctae.	V.
51. *Cust. Constantinopolitanae Ref.*			
52. Bosnae Argentinae.	52. Bosnae Argentinae.	25. Bosnae Argentinae.	
53. S. Hieronymi in Dalmatia.	53. Dalmatiae S. Hieronymi.	26. Dalmatiae S. Hieronymi.	
54. Ragusii.	54. Ragusina.		
55. SS. Redemptoris in Dalmatia.	55. SS. Redemptoris in Dalmatia.	27. Dalmatiae SS. Redemptoris.	
56. Cust. Herzegovinae.	56. Herzegovinensis.	28. Herzegovinensis.	
—	—	29. Albaniae.	
57. *Tyrolensis S. Leopoldi Ref.*	57. S. Leopoldi in Tyroli.	30. Tyrolensis S. Leopoldi.	
58. *S. Vigilii Ref.*	58. S. Vigilii in Tyroli.	31. Tyrolensis S. Vigilii.	
59. *Carniolae Ref.*	59. Croatiae-Carniolae.	32. Carniolae.	
60. *Bohemiae Ref.*	60. Bohemiae.	33. Bohemiae.	VI.
61. S. Capistrani in Austria.	61. S. Ioan. Capistrani.	34. Austriae S. Bernardini.	
62. S. Ladislai.	62. S. Ladislai.	35. Croatiae.	
63. *Hungariae SS. Salvatoris Ref.*	63. Hungariae SS. Salvatoris.	36. Hungariae S. Ioan. Capistrani.	
64. *Hungariae S. Mariae Ref.*	64. Hungariae S. Mariae.	37. Hungariae S. Mariae.	
65. *Transsylvaniae Ref.*	65. Transsylvaniae.	38. Transsylvaniae.	

1856	1897 (post unionem)	1908	Circum-scriptio
66. Galiciae.	66. Immac. Conc. (alias Russiae).	39. Galiciae.	
67. *Galiciae Ref.*	67. VII Dol. B. M. V. in Galicia.		
68. Poloniae Minoris.	—	—	VI.
69. *Poloniae Minoris Ref.*	—	—	
70. Poloniae Maioris.	—	—	
71. *Poloniae Maioris Ref.*	—	—	
72. *S. Iosephi in Belgio Rec.*	68. S. Iosephi in Belgio.	40. Belgii.	
73. *Hollandiae Rec.*	69. Germaniae inferioris.	41. Hollandiae.	
74. *Rhenano-Westphalica Rec.*	70. Saxoniae.	42. Saxoniae. 43. Cust. Silesiae.	
75. *Immac. Concept. in Borussia Ref.*	71. Immac. Conc. in Posnania.	44. Borussiae.	VII.
76. *Cust. Thuringiae Rec.*	72. Thuringiae S. Elisabeth.	45. Thuringiae.	
77. *Bavariae Ref.*	73. Bavariae.	46. Bavariae.	
78. *Hiberniae Ref.*	74. Hiberniae.	47. Hiberniae.	
—	75. Angliae.	48. Angliae.	
79. *Cust. Niciensis Ref.*	76. S. Bernardini in Gallia. 77. S. Dionysii in Gallia.	49. Galliae S. Bernardini. 50. Galliae S. Dionysii.	VIII.
(Commiss. Prov. Galliae.)	78. S. Ludovici in Aquit. 79. Franciae.	51. Aquitaniae S. Ludovici. 52. Franciae.	
80. Cust. Corsicae.	80. Corsicae.	53. Corsicae.	
—	81. Lusitaniae.	54. Portugalliae.	
—	82. S. Iacobi.	55. S. Iacobi.	IX.
—	83. Cantabriae.	56. Cantabriae.	
—	84. Baeticae.	57. Baeticae.	
—	85. Carthaginensis.	58. Carthaginensis.	
—	86. Valentiae	59. Valentiae.	
—	87. Cathalauniae.	60. Cathalauniae.	X.
81. *S. Gregorii Philipp. Disc.*	88. S. Gregorii Philippin.	61. Philippinarum S. Gregorii.	

1856	1897 (post unionem)	1908	Circumscriptio
82. Assumptionis in Paraguay.	89. Fluvii Platensis (Ass. in Arg.).	62. Argentinae.	
83. Chile.	90. SS. Trinitatis in Chile.	63. Chilenae SS. Trinitatis. 64. Chilenae VII Gaudiorum B. M. V.	
84. XII Apost. Limae.	91. XII Apost. Limae.	65. Peruviae XII Apost. 66. Peruviae S. Francisci Solani.	
85. De Charcas.	92. S. Antonii de Charcas.	67. Boliviae.	XI.
86. *S. Antonii Brasiliae Disc.*	—	68. Brasiliae S. Antonii.	
87. *Immac. Conc. Brasil. Disc.*	—	69. Brasiliae Immacul. Concept.	
88. De Quito.	—	70. Ecuador (S. Francisci de Quito).	
89. Nova Granata.	93. S. Fidei in Bogotá.	71. Columbiae.	
90. Nicaragua.	—	—	
91. Guatemala.	94. SS. Nominis de Guatemala.	72. Guatemala (SS. Nominis Iesu).	
92. S. Evangelii in Mexico.	95. S. Evangelii in Mexico.	73. Mexici S. Evangelii.	
93. *S. Didaci in Mexico Disc.*	96. S. Didaci in Mexico.	—	
94. SS. Petri et Pauli de Michoacan.	97. SS. Petri et Pauli de Michoacan.	74. Mexici SS. Petri et Pauli.	
95. De Jalisco.	98. S. Iacobi de Jalisco.	75. Mexici SS. Francisci et Iacobi.	
96. De Zacatecas.	99. Zacatecas in Mexico.		XII.
97. S. Iosephi de Yucatan.	—		
98. Cust. S. Pauli in Novo Mexico.	—		
99. S. Helenae in Florida.	—		
100. De Caraca (Characarum).	—		

1856	1897 (post unionem)	1908	Circumscriptio
	100. SS. Cordis Iesu in Amer. sept.	76. SS. Cordis Iesu (U. S.).	
	101. S. Ioan. Bapt. Cincinnatensis.	77. Cincinnatensis (U.S.)	
		78. SS. Nom. Iesu (U. S.)	XII.
	102. Cust. Buffalensis.	79. Cust. Immac. Conc. (U. S.)	
		80. Commissariat. Pulasckensis (U. S.)	

§ 83. Statistica ex anno 1517 ad nostra usque tempora[1].

Simul cum incremento provinciarum etiam numerus conventuum et fratrum auctus est, id quod gratum quidem erat signum vigoris interni ordinis, sed in animis superiorum maiorum merito graves excitabat dubitationes. Casu, quo ordo in ditionibus trans maria sitis vel in missionibus Europaeis tantopere crevisset, formidinis causa non fuisset. De facto autem praecipue domus et fratres in Italia et Hispania relative maxime aucti sunt, ut timendum esset, ne sufficientem victum sibi comparare vel non satis laboribus occupari possent. Simul querelae audiebantur, non omnes novitios severe quoad vocationem probari atque auctoritatem ordinis, ubicumque numerus fratrum modum excederet, apud populum diminui[2].

Capitulum generale anni 1606 aperte affirmat praecipue in Hispania et Lusitania conventus erigi „sub falso zelo pietatis", simulque ulteriori augmento acriter contradicit. „Religio nostra plane fatetur se ultra progredi non posse." [3] Eadem et Samaniego, minister generalis, ex occasione fundationis cuiusdam Discalceatorum anno 1681 professus est[4]. Sed superiores ordinis huic malo mederi non poterant,

---

[1] *Gonz.* 155 et Index. W XXII 110. *Rapine* 77. *Lequile* II 405 509 519. Menologium 154. *Arturus*, Martyrologium l. c. Additiones 646. Tabula geographica totius Ord. Seraphici, Monachii 1680. *Franchini*, Status Religionis Franciscanae, Romae 1682. Giard. I 17. *V. Haute* 167. Methodus mittendi epistolas ad conventus . . . cismont. *Reformatorum* familiae, ca 1764. *Patrem* 45.

[2] Gub. I 590. [3] Chron. I 531.

[4] BD II 674.

quamdiu Sedes Apostolica vehementibus petentium desideriis annuebat. Ita Discalceati licentiam impetraverant accipiendi domus sola approbatione Episcopi supposita [1], ideoque omissis superioribus ordinis maioribus. Tantummodo respectum habere debebant, ut conventus novus *a proximo conventu mendicantium tantum distaret,* quantum lege canonica praeceptum erat [2].

Cum vero detrimenta tanti incrementi ordinum in *Hispania* sese manifestarent, Innocentius XIII anno 1723 nuntio suo ibi commoranti mandavit, ut contra hoc malum remedia adhiberet: praesertim provinciae mendicantium in Hispania prohibitae sunt novos fratres recipere, usquedum eorum numerus mediis honestae sustentationis conveniret [3]. Sed neque hoc praeceptum, neque eius renovatio a Benedicto XIII facta conditionem aliquanto immutavit. In *Italia* ex anno 1696 nimio incremento occurrere studuerunt praecipiendo, ut in unaquaque provincia certus tantum numerus novitiorum ad habitum admitteretur, quin tamen, non obstante decreto saepius repetito [4], finem intentum assecuti esse videantur. Eadem de causa superiores anno 1755 adducti sunt, ut etiam in *Polonia* novas fundationes difficiliores redderent exigendo, ut praeter beneplacitum Apostolicum etiam responsum procuratoris ordinis peteretur [5].

Omnia haec studia parum profecisse patet ex sequenti *tabella,* in qua provinciae serie alphabetica intra suam familiam et nationem disposita enumerantur. Numeri eiusdem quibusdam in casibus certe mendis non carent, nihilominus in summa proxime accedunt ad historicam fidem, respuentes censum exaggeratum, qui in parte litteraturae citatae reperitur. Notandum est, in *prima columna* domus Reformatorum ibi tantum assignari, ubi custodia eorum exsistebat. ideoque qua domus Reformatorum cognosci possunt. *Secunda columna* [6] anni 1680 sub rubrica „Domus“ solos conventus enumerat, *tertia* vero *columna* [7] etiam hospitia et residentias, non vero parochias et missiones. Haec columna fide dignissima esse videtur;

[1] W XXIV 482.
[2] BD II 15 53 223 370.
[3] BD III 334. [4] Chron. III 2, 50.
[5] Chron. IV 155.
[6] W XXII 100. Cf. *Gonz.* 155.
[7] Gub. I 477. Cf. Menologium 154.
[8] Giard. I 17.

numeri quoque *quartae columnae*[1], saltem quatenus Reformatos attingunt, non obstante magna differentia, in summa dubium non admittunt.

Familia cismontana.

A. Observantes.

Natio	Provinciae	ca 1585		ca 1680		1700		1762	
		Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
Lombardiae	1. Bononiae	34		35	655	36	600	36	
	2. Brixiensis	33		24	411	24	390	24	
	3. Corsicae	24		30	302	31	330	31	
	4. S. Didaci	—		14	198	11	167	11	
	5. Ianuae	62		20	271	20	354	20	
	6. Marchiae	55		48	635	48	700	48	
	7. Mediolanensis	35		26	505	29	533	26	
	8. Romana	36		26	474	28	597	28	
	9. Seraphica	46		35	581	34	511	34	
	10. S. Thomae in Ped.	—		24	260	26	294	26	
	11. Tusciae	52		45	763	45	879	45	
	12. Veneta	40		35	739	35	710	35	
Regni	13. S. Angeli	23		34	295	32	320	32	
	14. S. Antonii Lyciensis	—		—	—	—	—	?	
	15. Basilicatae	26		33	224	33	290	33	
	16. S. Bernardini	27		33	370	34	400	34	
	17. Calabriae	22		22	258	23	269	23	
	18. S. Nicolai	50		39	435	40	595	40	
	19. Principatus	20		28	292	28	406	28	
	20. Septem Martyrum	22		17	195	19	187	18	
	21. Siciliae	47		25	248	29	260	27	
	22. Terrae Laboris	26		25	314	25	468	25	
	23. Vallis Mazzariae	—		19	321	19	320	19	
	24. Vallis Nethi	—		22	270	21	250	21	
Ultramarina	25. Albaniae	5		7	85	7	87	7	
	26. Austriae	9		Reform.		Reform.		Ref.	
	27. Bohemiae	8		Reform.		Reform.		Ref.	
	28. Bosnae Argent.	14		18	426	23	420	23	
	29. Bosnae Croatiae usque 1688	7		15	180	Reform.		Ref.	
	30. Bulgariae	—		6	121	18	40	18	
	31. Candiae	12		7	94	13	83	13	
	Transferendum	735		712	9922	731	10460	725	

[1] *Patrem* 45. Methodus mittendi l. c.

Natio	Provinciae	ca 1585 Domus	ca 1585 Fratres	ca 1680 Domus	ca 1680 Fratres	1700 Domus	1700 Fratres	1762 Domus	1762 Fratres
	Transferendum	735		712	9922	731	10460	725	
Ultramarina	32. Dalmatiae S. Caii . .	—		—	—	—	—	18	
	33. Dalmatiae S. Hieronymi	20		20	280	22	170	20	
	34. S. Ioannis Capistr. . .	—		—	—	—	—	?	
	35. S. Ladislai	—		9	145	17	166	17	
	36. Lituaniae	—		—	—	—	—	52	
	37. Poloniae Maioris . .	—		28	567	32	683	32	
	38. Poloniae Minoris . .	25		33	645	34	690	34	
	39. Ragusii	9		9	135	9	150	9	
	40. Russiae	—		17	341	21	342	21	
	41. Tyrolensis S. Leopoldi	6		Reform.		Reform.		Ref.	
	42. Hungariae S. Mariae .	52		Reform.		Reform.		Ref.	
	43. Hungariae SS. Salvat. .	4		Reform.		Reform.		Ref.	
	44. Cust. Terrae Sanctae .	8		7	180	23	200	23	
		859		835	12215	889	12861	951	

B. Reformati.

Natio	Provinciae	ca 1585 Domus	ca 1585 Fratres	ca 1680 Domus	ca 1680 Fratres	1700 Domus	1700 Fratres	1762 Domus	1762 Fratres
Lombardiae	1. Bononiae	—		10	230	13	268	14	406
	2. Brixiensis	—		13	280	16	291	13	397
	3. Corsicae	—		14	180	14	260	14	258
	4. S. Didaci	—		19	329	21	400	18	304
	5. Ianuae	—		17	324	17	350	17	410
	6. Marchiae	4		23	391	23	420	23	557
	7. Mediolanensis . . .	—		21	498	24	616	29	763
	8. Romana	6		32	598	34	682	35	827
	9. Seraphica	4		20	308	22	330	22	440
	10. S. Thomae in Ped. .	—		23	380	23	406	24	535
	11. Tusciae	—		16	381	18	385	25	554
	12. Veneta	—		20	410	33	486	26	496
Regni	13. S. Angeli	—		17	220	20	220	27	485
	14. Basilicatae	—		18	314	21	314	22	568
	15. S. Bernardini . . .	—		12	200	13	200	14	284
	16. Calabriae	—		23	238	24	277	24	408
	17. S. Nicolai	—		29	520	30	569	31	716
	18. Principatus	5		16	240	17	294	18	369
	19. Septem Martyrum . .	—		22	334	22	330	22	576
	Transferendum	19		365	6375	405	7098	418	9353

Natio	Provinciae	ca 1585 Domus	ca 1585 Fratres	ca 1680 Domus	ca 1680 Fratres	1700 Domus	1700 Fratres	1762 Domus	1762 Fratres
	Transferendum	19		365	6375	405	7098	418	9353
Regni	20. Siciliae	5		14	255	15	360	19	476
	21. Terrae Laboris . . .	4		16	346	16	400	17	570
	22. Vallis Mazzariae . .	—		22	411	22	440	24	678
	23. Vallis Nethi	—		16	230	19	300	22	439
Ultramarina	24. Austriae	Observ.		22	484	24	580	27	871
	25. Bavariae	—		20	520	27	582	37	1016
	26. Bohemiae	Observ.		22	493	29	681	22	713
	27. Carniolae	Observ.		Observ.		16	293	16	444
	28. Poloniae Maioris . .	Observ.		26	399	27	446	17	377
	29. Poloniae Minoris . .	Observ.		14	257	18	293	18	444
	30. Prussiae B. M. Assumpt.	—		—	—	—	—	14	285
	31. Russiae B. M. Dolorosae	—		—	—	—	—	9	163
	32. Silesiae S. Hedwig. .	—		—	—	—	—	12	211
	33. Transsylvaniae . . .	—		3	42	4	53	13	301
	34. Tyrolensis S. Leopoldi	Observ.		13	253	17	333	18	489
	35. Tyrolensis S. Vigilii .	—		8	149	10	174	9	219
	36. Hungariae S. Mariae .	Observ.		18	361	24	350	28	856
	37. Hungariae SS. Salvat..	Observ.		18	325	23	352	32	931
	38. Cust. Constantinop. .	—		4	20	4	22	—	—
	In missionibus . . .	—		—	69	22	119	36	156
		28		601	10989	722	12876	808	18992

Familia ultramontana.

A. Observantes.

Natio	Provinciae	ca 1585 Domus	ca 1585 Fratres	ca 1680 Domus	ca 1680 Fratres	1700 Domus	1700 Fratres	1762 Domus	1762 Fratres
Hispaniae in Europa	1. Algarbiorum	30		33	835	33	850	32	
	2. SS. Angelorum . . .	16		21	581	21	634	24	
	3. S. Antonii in Lusitania	25		Discalceat.		Discalceat.		Discalceat.	
	4. Aragoniae	19		27	671	29	686	29	
	5. Baeticae	31		38	911	40	926	40	
	6. Burgensis	22		24	513	37	536	34	
	7. Canariarum	8		19	468	23	480	23	
	8. Cantabriae	21		27	750	28	774	28	
	9. Carthaginensis . . .	31		37	922	40	931	40	
	10. Castellae	28		30	1017	30	1024	30	
	11. Cataloniae	25		30	592	30	605	30	
	Transferendum	256		286	7260	311	7446	310	

Natio	Provinciae	ca 1585		ca 1680		1700		1762	
		Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
	Transferendum	256		286	7260	311	7446	310	
Hispaniae in Europa	12. Conceptionis	37		37	682	37	688	37	
	13. S. Gabrielis	28		Discalceat.		Discalceat.		Discalceat.	
	14. Granatensis	28		35	825	35	830	35	
	15. S. Iacobi	37		42	637	43	646	43	
	16. S. Ioannis Ev. de Azores	—		14	150	16	152	16	
	17. Maioricarum	9		11	324	11	314	11	
	18. S. Michaelis in Estrem.	27		32	655	32	669	32	
	19. Pietatis	28		Discalceat.		Discalceat.		Discalceat.	
	20. Portugalliae	27		32	552	32	568	33	
	21. Sardiniae S. Mar. de Gr.	9		11	190	12	204	12	
	22. Sardiniae S. Saturnini .	—		11	260	13	267	13	
	23. Valentiae	26		31	732	32	740	32	
	24. Cust. S. Iacobi de Madera	—		—	—	?	?	?	
	25. Cust. S. Mich. de Azores	—		—	—	—	—	?	
Hispaniae extra Europam	26. S. Antonii de Charcas .	?		28	296	28	306	28	
	27. Assumpt. de Paraguay	4		11	150	19	153	19	
	28. S. Crucis Caracarum .	21		13	176	16	174	16	
	29. S. Evangelii in Mexico	56 + 12		64	933	64 + 14	947	65	
	30. S. Fidei in Nova Granata	25		26	332	28	338	28	
	31. S. Francisci de Quito .	11		19	200	21	208	21	
	32. S. Francisci de Zacatecas	—		31	180	42	185	42	
	33. S. Georgii de Nicaragua	24		12	140	14	148	14	
	34. S. Helenae in Florida .	—		11	90	18	99	18	
	35. S. Iacobi de Jalisco .	26		36	179	40	187	40	
	36. S. Iosephi de Yucatan .	37		33	150	38	162	38	
	37. Limensis XII Apostol. .	15		28	848	32	864	32	
	38. S. Nom. Iesu de Guatem.	30		29	190	35	204	35	
	39. SS. Petri et Pauli de Mich.	21		33	165	41	176	41	
	40. S. Thomae in India or.	5		4	200	24	206	24	
	41. SS. Trinitatis de Chile	12		11	96	14	103	14	
	42. Cust. S. Antonii de Cochin.	—		?	?	?	?	?	
	43. Cust. S. Francisci de Mal.	—		—	—	6	18	?	
	44. Cust. S. Pauli in novo Mexico	—		30	120	17	126	17	
Franciae	45. Aquitaniae antiquior .	22		35	575	36	540	36	
	46. Aquitaniae recentior .	14		45	470	45	487	45	
	47. S. Bonaventurae . .	48		50	650	50	664	50	
	48. Britanniae	10		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	49. Franciae	41		38	950	41	960	41	
	50. Franciae Parisiensis .	22		26	540	27	550	27	
	Transferendum	968		1155	19897	1284	20329	1265	

Natio	Provinciae	ca 1585		ca 1680		1700		1762	
		Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
	Transferendum	968		1155	19897	1284	20329	1265	
Franciae	51. S. Ludovici	29		35	470	37	482	36	
	52. Turoniae	35		33	453	34	460	37	
	53. Turoniae Pictav. . .	24		26	400	27	404	28	
	54. Magn. Conv. Parisiens.	—		—	150	—	300	—	
Germano-Belgica	55. S. Andreae in Artesia .	12		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	56. Angliae	—		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	57. Argentinensis . . .	8		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	58. Coloniensis	10		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	59. Daciae	—		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	60. Flandriae	10		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	61. Germaniae inferioris .	13		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	62. Hiberniae	6		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	63. Saxoniae S. Crucis . .	—		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	64. Saxoniae S. Ioan. Bapt.	—		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	65. Scotiae	1		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
	66. Thuringiae	—		Recoll.		Recoll.		Recoll.	
		1116		1249	21370	1382	21975	1366	

B. Discalceati.

Natio	Provinciae	ca 1585		ca 1680		1700		1762	
		Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
Hispaniae in Europa	1. S. Antonii in Lusitania	Observ.		24	407	28	426	28	
	2. Arrabidorum	17		21	328	23	348	23	
	3. S. Didaci in Baetica .	—		18	222	18	240	18	
	4. S. Gabrielis	Observ.		30	584	30	600	30	
	5. Immac. Conc. de la Beyra	—		—	—	—	—	10	
	6. Immac. Conc. in Nova Castilia	—		—	—	—	—	?	
	7. S. Ioannis B. Valentiae .	17		30	649	31	660	31	
	8. S. Iosephi	40		40	748	42	768	42	
	9. S. Paschalis Lyciensis .	—		—	—	—	—	?	
	10. S. Pauli	—		26	475	26	480	26	
	11. S. Petri Alcant. Granat.	—		13	318	22	329	22	
	12. S. Petri Alc. in Neapoli	—		8	120	10	136	10	
	13. Pietatis	Observ.		19	320	20	328	20	
	14. Solitudinis	—		20	288	20	298	?	
	15. Cust. S. Pasch. Murciae	—		—	—	—	—	?	
	Transferendum	74		249	4459	270	4613	260	

Natio	Provinciae	ca 1585		ca 1680		1700		1762	
		Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
	Transferendum	74		249	4459	270	4613	260	
Hisp. extr. Eur.	16. S. Antonii in Brasilia .	1		13	230	24	244	24	
	17. S. Didaci in Mexico .	3		11	197	12	214	14	
	18. S. Greg. Philippin. .	20		19	662	20 + 66	675	20 + 66	
	19. Imm. Concept. in Brasil.	—		10	170	11	178	?	
	20. Matris Dei de Malaca .	1		12	258	13	274	13	
		99		314	5976	416	6198	397	

C. Recollecti.

Natio	Provinciae	ca 1585		ca 1680		1700		1762	
		Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
Franciae	1. S. Andreae in Artesia .	Observ.		14	480	15	492	15	
	2. S. Antonii in Artesia .	—		8	120	14	264	14	
	3. S. Bernardini in Gallia	—		31	450	33	471	33	
	4. Britanniae	Observ.		10	221	12	230	?	
	5. S. Dionysii	—		20	405	27	415	27	
	6. S. Francisci in Gallia .	—		25	430	29	450	29	
	7. Imm. Concept. in Gallia	3		29	408	32	428	32	
	8. S. Mariae Magdalenae .	—		14	299	14	310	14	
	9. S. Nicolai in Lothar. .	—	(Cust.)	4	73	4	79	?	
	10. S. Petri Alc. in Alsatia	—		—	—	—	—	?	
	11. SS. Sacramenti . . .	—		16	220	16	224	16	
	12. Cust. SS. Trinitatis .	—		—	—	2	26	—	
Germano-Belgica	13. Angliae	—		9	108	9	114	9	
	14. Argentinensis . . .	Observ.		19	410	22	424	22	
	15. Coloniensis	Observ.		24	507	28	526	28	
	16. Daciae	—		—	—	—	—	(23?)	
	17. Flandriae	Observ.		30	860	30	870	30	
	18. Germaniae inferioris .	Observ.		44	1047	44	1050	44 (14?)	
	19. Hiberniae	Observ.		60	1506	60	1520	60	
	20. S. Iosephi in Flandria .	—		15	461	23	482	23	
	21. Saxoniae S. Crucis . .	—		18	510	18	532	18	
	22. Saxoniae S. Ioan. Bapt.	—		9	153	9	160	11	
	23. Scotiae	Observ.		—	—	—	—	—	
	24. Thuringiae superioris .	—		13	300	13	312	13	
	25. Thuringiae inferioris .	—		—	—	—	—	?	
		3		412	8968	454	9379	438	

Si partes vacuas singularum columnarum numeris in columna praecedenti suppleverimus, vel ubi omnino desunt, numeris sufficienter probabilibus, census universus in summa ita erit disponendus[1].

	ca 1585			ca 1680			1700			1762		
	Prov.[2]	Domus	Fratres	Prov.[2]	Domus	Fratres	Prov.[2]	Domus	Fratres	Prov.[2]	Domus	Fratres
Observantes cism.	32	860		35	830	12 200	34	890	12 900	38	960	17 300
Observantes ultram.	51	1120		46	1250	21 400	48	1390	22 000	49	1370	22 600
Reformati (cism.)	—	30		34	600	11 400	35	720	12 900	37	800	19 000
Discalceati (ultram.)	5	100		16	320	6 000	16	420	6 200	20	430	7 000
Recollecti (ultram.)	—	3		20	420	9 000	21	460	9 400	22	490	11 000
	88	2113		151	3420	60 000	154	3880	63 400	166	4050	76 900

Quoad annum 1700 etiam censum valde notabilem possidemus de *relatione numeri sacerdotum, praedicatorum et lectorum* ad numerum fratrum universorum in singulis familiis[3].

	Lectores	Praedicatores	Sacerdotes universi	Fratres universi
Observantes cism.	1 277	2 691	7 417	13 266
Observantes ultram.	1 120	7 786	14 984	23 097
Reformati	1 037	3 653	7 374	13 902
Discalceati	205	1 280	4 044	6 208
Recollecti	591	3 500	5 834	9 940
	4 230	18 910	39 653	66 413

Status ordinis *culmen* attigisse videtur tempore capituli Valentiae anno 1768 congregati, cum nova provincia Mantuae accessisset et Observantes Galli nondum ad Conventuales defecissent. Sub oboedientia

---

[1] Numero provinciarum *custodiae sui iuris* comprehenduntur. Numeri in Chron. IV 451 designati parum pleni sunt; desunt enim domus Recollectorum, domus omnium provinciarum Galliae etc. Similia dicenda sunt de numero fratrum; Observantibus cismontanis adhuc annumerandi sunt ca 1200 fratres, ultramontanis ca 500 Americani et 2400 Galli; pariter computandi sunt ca 2500 Recollecti Galli. Cf. *Hilaire de Bar.*, Les Franciscains en France, Paris 1903, 58 nota 2.

[2] Simul cum custodiis.

[3] Giard. I 19. Summa quartae columnae summam tertiae columnae census supra designiti parum excedit; hic enim computantur etiam *Tertiarii commensales.*

ministri generalis tunc temporis circiter *77000 fratres* vivebant in 167 provinciis, quo in numero comprehensae sunt paucae custodiae tunc exsistentes[1].

Rebelliones et saecularisationes saeculi XIX ordinem non solum valde diminuerunt, sed etiam res ita perturbaverunt, ut saepe vix exsistentia provinciarum nota esset, igitur multo minus numerus domorum et fratrum. *Status* ordinis ad *numerum minimum* pervenisse videtur durante ultimo decennio saeculi XIX, cum versus 14000 fratres exsisterent[2]. Exinde numerus sensim sine sensu sine intermissione crevit. Decem annis post unionem, die 4. Octobris 1907 in ordine 17092 fratres inveniebantur, quorum 8152 erant sacerdotes, quique in 1460 domibus et 81 provinciis vel custodiis vivunt[3].

Caput III.

Constitutio ordinis.

§ 84. Notae generales. De Cardinali protectore.

Descriptio omnibus numeris absoluta constitutionis in ordine ab anno 1517 vigentis extraordinariis difficultatibus obnoxia est, idque duabus de causis, quarum una quidem in eo sita est, quod legislatio pro toto ordine uniformis deerat, altera vero in eo, quod ius non stabiliter se evolvit, sed continuo sublatione et renovatione priorum ordinationum interruptum est. Igitur necessario factum est, ut auctoritas legum grave pateretur detrimentum et usus cum normis vigentibus discrepantes reciperentur. Haec omnia describere impossibile est; pariter omitti debent usus particulares, etsi vim legum habuerint. Quapropter eas tantum leges constitutionales hoc loco respicere possumus, quae vel in utraque familia vel saltem in maioribus earundem partibus valuerunt.

Imprimis notandum est *divisionem ordinis in familiam cismontanam et ultramontanam*, quamvis bonum intenderit finem, ordini magno fuisse damno. Introducta erat, ut regimen facilius redderetur, revera autem illud multo difficilius reddidit. Minister generalis utri-

---

[1] Numerus Conventualium tunc temporis ad summum 20000 attigit; Capuccini erant versus 30000.

[2] Capitulum generale anni 1889, 53. Cf. Capitulum generale anni 1895, 90.

[3] Acta XXVII 110. Ibidem etiam accurata statistica singularum provinciarum invenienda est.

usque familiae caput quidem erat, de facto autem alteram familiam commissarius generalis gubernabat, quapropter practice, etsi non theoretice, duo capita in ordine inveniebantur, quae non semper idem cogitabant neque eodem modo regebant, id quod mirum non est. Accessit, quod haec divisio, quae ex causis administratoriis introducta erat, mox *studia praevalentiae* produxit, nam in capitulis generalibus utraque familia suprematum obtinere studuit, quapropter multiplicando provincias et novas ditiones sibi incorporando numerum vocalium suorum augere conata est. Ita e. g. Polonia familiae cismontanae et provincia Discalceatorum Neapolitana familiae ultramontanae aggregata est! Iam ex his patet rationem, qua praedicta divisio orta est, in oblivionem venisse, quapropter et ipsa bipartitio supervacanea erat facta.

Praeterea in legislatione utriusque familiae commune apparet *studium formae regiminis magis aristocraticae* [1]. Non quo ordo intenderit, restituere pristinam, absolutam potestatem ministri generalis et analogam potestatem ministri provincialis, quam e contrario adhuc magis restrinxit instituto *definitorum,* quod sensim sine sensu stabile consilium ministri generalis et provincialis factum est et in quibusdam casibus decisionem eorundem coercere poterat, idque respectu ministri provincialis saepius, quam respectu ministri generalis. Igitur ministri, qui antea a solis decretis capitulorum dependentes fuerant, novo stabilique vinculo sunt ligati, sententia videlicet definitorum. Sed praedictum studium eo apparet, quod abhinc subditi, qui antea mediantibus discretis in capitulis generalibus et provincialibus votum decisivum ferre potuerant, omnem influxum directum in regimen ordinis amiserunt, instituto discretorum in utroque capitulo sublato. Haec res egregie gesta sequelas subversionis anni 1239 sustulit, quo facto saltem sub hoc respectu constitutio ordinis iterum propius ad constitutionem primitivam accessit.

Simul manifestata sunt studia arcendi a deliberationibus capituli omnes fratres, qui non erant superiores, quo perfecto *typus capitulorum totaliter mutatus est.* Prius enim erant congregationes paucorum electorum, sed multorum fratrum convocatorum a ministris generalibus vel provincialibus, qui ipsorum consilio uti volebant; nunc vero facta sunt congregationes electorum lege pradestinatorum, ad quos in capitulis provincialibus soli paene guardiani pertinebant. Cumque subditis sensim sine sensu ius instituendi guardianos aufer-

---

[1] *V. Haute,* Misc. IX 8.

retur, compositio capituli generalis totaliter penes quodcumque regimen provinciale erat. Hoc sub respectu capitula generalia melius se habebant, quorum membra revera totum ordinem repraesentantia duci poterant. Defectus fratrum peritorum, qui nihil ad propriam utilitatem referrent, in capitulis, praesertim in capitulis provincialibus mox animadversus est, eoque magis, cum brevis duratio muneris superiorum stabilitatem regiminis provinciarum et ordinis in periculum vocaret. Ideo huic defectui remedium est adhibitum, quod per se dubitationem non excitavit, sed perniciosas consequentias adduxit. Imprimis definitoribus et ceteris fratribus in curia generalitia occupatis, quorum experientia superiores carere noluerunt, ius suffragandi concessum est. Quia vero et hi per breve tantum tempus in officio esse poterant et antiqua probataque praxis, admissio scilicet fratrum non vocalium ad deliberationes, non renovata est, accidit, ut certo fratrum numero partim in capitulis provincialibus, partim in capitulis generalibus *ius suffragandi in perpetuum* concederetur, quo facto institutum *definitorum perpetuorum* introductum erat. Ipsi simul cum definitoribus actualibus durante capitulo prima et extra capitulum sola erant membra regiminis, quorum influxui neque minister generalis neque minister provincialis se subtrahere poterat. Pars definitorum perpetuorum titulo *patrum provinciae* gaudebat, velut ex-ministri provinciales, pars vero simul titulo *patrum ordinis,* velut maior numerus fratrum, qui ad curiam generalitiam pertinuerant. Tam titulus quam iura initio perpetua erant *(Patres perpetui);* postea demum multae provinciae titulum vel a iure suffragandi separaverunt vel durante tantum tempore officii concesserunt velut definitoribus provinciae actualibus. In summa evolutio instituti definitorum perpetuorum anno 1590 perfecta erat[1], etsi subditi adhuc per saecula illud impugnarunt.

Principatu ministrorum, procuratorum et definitorum generalium atque ministrorum provincialium officio functorum per ius perpetuum suffragandi expresso, aequum ducebatur eosdem etiam afficere illo honore externo, qui hunc principatum significaret, *praecedentia* videlicet prae ceteris fratribus. Hoc facto ordo viam institerat obliquam, in qua consistere possibile non erat. Primis temporibus S. Bonaventura fratres contra eos, qui ipsis crimini dabant, quod praecedentias non haberent, defendere debuit, qua occasione scripsit quaestionem „Cur fratres non habeant consuetudinem praecedentiae“[2], in qua

---

[1] Chron. I 356. [2] Opera omnia VIII 371.

eorum purgandorum gratia exemplum Domini et S. Francisci adducit dicens: „In huiusmodi excellentiis, quo unus alteri praefertur in aliquo, solet animus imperfectorum saepe pueriliter extolli.“ Notandum est S. Bonaventuram profiteri, tunc temporis in ordine ne naturalem quidem praecedentiam iuxta prioritatem professionis viguisse. Soli superiores actuales potestate imperandi praediti, i. e. ministri generales et provinciales, custodes et guardiani, praecedentia prae subditis gaudebant. Cetera omnia Sanctus duxit puerilia, quae conscientias contaminarent et ordini detrimentum afferrent.

Haec principia adhuc ineunte saeculo XVI vigebant, si excipimus lectores theologiae, quibus propter praeceptum, quod in testamento S. Francisci continetur, interdum praecedentia concedebatur. Quae modo dicimus, imprimis quoad magnum studium Parisiense alicuius momenti facta sunt, quapropter Delfini, minister generalis, pro ipso praecepta edidit, quae tamen vim legis non haberent[1]. Sed a medio saeculo XVI numerus privilegiorum personalium cuiusque generis in infinitum crevit. Tam ex-ministro generali quam commissariis, procuratoribus, definitoribus et secretariis generalibus officio functis, ex-ministris et ex-definitoribus provinciarum, illis, qui lectores, magistri novitiorum, guardiani, missionarii et confessarii principum fuerant etc., praecedentiae adiudicatae sunt. Immo et laici titulum „Reverendi“ et praecedentiam prae clericis studentibus postularunt[2]. Operae pretium non est singula describere; commemorare tamen volumus, etiam illos fratres titulos et praecedentias accepisse, qui nunquam in officiis correspondentibus constituti erant. Haec stultitiae quidem erant, sed consequentiae systematis introducti. Immo interdum *exspectantiae* ad definitorium generale concedebantur[3] vel *conventualitas*, i. e. ius in conventu quodam libere electo stabiliter permanendi[4]. Ceterum hac in re consuetudines diversae erant inter Observantes et singulas congregationes reformatas et inter utramque familiam.

Quaeritur, quomodo ordo se gesserit quoad haec privilegia personalia? Maior ordinis pars saepius et indubie ipsa impugnavit, quin tamen aliquid efficeret, quia eorum, a quibus privilegiorum abolitio dependebat, proprii commodi gratia intererat, ut conservarentur. Postquam Clemens VIII anno 1600 universam legislationem de perpetuitate votorum sustulit, Paulus V instante capitulo generali eandem

---

[1] Firm. III 63. [2] BD II 610; III 368.
[3] Chron. III 2, 133 146 162. [4] BD V 404. Chron. III 2, 38.

iam anno 1606 renovavit[1], quo impetrato posteriora peiora facta sunt prioribus. Multi fratres enim a superioribus ordinis vel a Cardinali protectore similia privilegia sibi procurarunt, ut capitulum generale Pontificem remedii adhibendi gratia adire deberet. Igitur anno 1639 iura omnium patrum privilegiatorum sublata sunt, quatenus non in ipsis constitutionibus ordinis erant fundata. Concessum tamen est, ut singulae provinciae familiae ultramontanae binos patres provinciae haberent, videlicet „patrem digniorem" et quemcumque exministrum provincialem, qui ministro regnanti immediate praecessisset: familia vero cismontana iuxta decreta a Gregorio XV anno 1622 edita solis ministris officio functis in capitulo immediate sequenti ius suffragandi contulit[2]. Postea anno 1640 Urbanus VIII ius suffragandi omnium definitorum perpetuorum eatenus restrinxit, quatenus provinciis permisit, ut omissis his cum solo definitorio actuali negotia sua expedirent[3]. Sed familia ultramontana hoc iure non est usa exceptis Discalceatis, qui nullum patrem perpetuum admittere volebant[4].

Clemens X anno 1672 iterum contra privilegia personalia tempore intermedio concessa procedere debuit[5], et Benedictus XIII anno 1724, ut abusus radicitus evelleret, omnes definitores perpetuos a toto ordine et a singulis provinciis sine ulla exceptione abstulit[6]. Sed anno 1727 pro Recollectis hoc edictum eatenus mitigatum est, quatenus ipsi licentiam acceperunt retinendi duos patres provinciae, quos hucusque habuerant, ita tamen, ut neuter perpetuum ius suffragandi acciperet[7]. Capitulum generale anni 1729, quaestione hac discussa, decrevit, ut a Pontifice renovatio priorum privilegiorum precibus peteretur, quibus paulo post mortem Benedicti XIII eius successor Clemens XII annuit[8]. Privilegiis, quae in statutis contenta erant *(privilegia realia)*, renovatis, etiam cetera privilegia, quae a curia conferri consueverant *(privilegia personalia)*, iterum increbruerunt, contra quae capitulum generale anni 1740 protestatum est, quo accidit, ut a Benedicto XIV iterum auferrentur, saltem quatenus eis ius suffragandi erat annexum[9]. Exinde contentio desiit, excepto capitulo generali anni 1856, in quo quidam timide conati sunt efficere, ut omnia privilegia personalia cuiusque generis abolerentur[10].

---

[1] W XXIII 516. Gub. III 597. [2] Gub. I 465. [3] Chron. II 16 19.
[4] BD II 29 252. [5] Chron. III 1, 150. [6] Chron. III 2, 37.
[7] Ibid. 93. [8] Ibid. 133.
[9] *V. Haute* 294. Chron. III 2, 265.
[10] Capitulum generale anni 1856, 36 43.

Cum hac captatione privilegiorum cohaeret *subrogatio* vel *suppletio votorum* in capitulis, quae tunc temporis maioris facta est momenti ac ante fuit (§ 36). Secundum decreta capituli generalis anni 1518 loco ministri provincialis vel custodis non comparentis ille frater subrogandus erat, qui summa dignitate ordinis gaudebat, quacum ius suffragandi non erat coniunctum, videlicet imprimis commissarius generalis, deinde procurator etc.[1] Mox etiam in capitulis provincialibus similis modus introductus est, qui tamen iam anno 1559 iterum est abolitus[2]. Cum vero postea commissarii, procuratores et definitores generales vi officii sui vocales fierent, subrogatio conversa est in medium comparandi ius suffragii partium suarum studiosis, quapropter saepius interdictum est absentibus alios substituere, idque definitive anno 1723[3]. Excipiuntur solae sessiones definitoriales, in quibus loco absentis definitoris alius frater subrogandus est, quia valor decretorum ab ipsis editorum dependet a pleno numero membrorum (§ 85).

Introductio *interstitiorum* observandorum inter susceptionem certorum officiorum ordinis contra studia aristocratica in ordine directa esse videtur. Quia enim munera ordinis omnia per certum solummodo tempus geri poterant, timendum erat, ne fratres ambitiosi munere suo functi aliam sibi compararent praelaturam. Contra hunc abusum numerosae leges sunt latae, in quibus et tales erant, quae minime possent probari; ita e. g. decretum, ut secretarius generalis vel procurator per sex, immo per sexdecim annos intersistere deberent, priusquam officium generalatus suscipere possent. Demum Papa anno 1733 hanc rem uniformiter disposuit, bene decidendo, ut *ascendendo* a muneribus inferioribus ad superiora vacatio non esset necessaria, sed tantum transeundo ab officiis maioribus ad minora vel ad aequalia[4].

Has iniucundas conditiones rerum, quae cum privilegiis cohaerebant, idemtidem adductas esse imprimis culpa est fratrum ambitiosorum. Sed Pontifices ipsi confitentur, etiam congregationes Romanas praecipue *Cardinales protectores* talia desideria nimis facile exaudisse. Quia ergo protectores potestate sua non semper in bonum ordinis usi sunt, sub Clemente VIII dubitatum est, num hoc institutum non totaliter esset abolendum. Urbanus VIII propriam congregationem constituere cogitavit, cui protectoratus omnium ordinum committe-

---

[1] Gub. III 241. [2] Ibid. 323 347.
[3] Chron. III 2, 8. [4] Ibid. 186.

retur, quapropter ordo Franciscanorum ab anno 1624 usque ad annum 1633 protectore caruit. Etiam postea saepius accidit, ut quidam protectores ambitum suae potestatis transgredientes omissis superioribus ordinis gravia decernerent. Igitur Innocentius XII anno 1693 et Cemens XI anno 1715 coacti sunt contra tales iniurias procedere [1]. Hae tamen erant exceptiones, nam maior pars protectorum munus suum cum amore et prudentia administravit, quorum loco, si ipsi impediti erant, vicarii, qui vel *vice-protectores,* vel *pro-protectores,* vel *con-protectores* appellabantur, officio fungebantur. Usque ad annum 1580 etiam Conventuales et Capuccini protectore totius ordinis usi sunt, exinde vero alium accipiebant. In protectorum, qui ex anno 1517 ordini praeerant, numero praesertim nominandi sunt: *Quiñones, S. Carolus Borromaeus, Lambruschini* et *Laurentius Corsini,* qui postea factus est Clemens XII. *Pius VI* ab anno 1782 usque ad annum 1785 ipse protectoratum suscepit, quem imitati sunt *Leo XIII* ab anno 1892 et *Pius X* ab anno 1903.

§ 85. Minister generalis eiusque adiutores immediati [2].

Non obstantibus machinationibus Pauli Pisotti lex fundamentalis permansit, ut minister generalis ab omnibus vocalibus capituli generalis *eligeretur.* Cuicumque pars absolute maior suffragata erat, ille eo ipso legitimus minister generalis erat, quin aliqua confirmatione indigeret, quamquam haec interdum extraordinariis de causis petebatur [3]. Casu quo capitulum generale quacumque de causa celebrari non poterat, Papa ipse ministrum generalem instituebat, idque aliquoties votis absentium exquisitis.

Cum plures ministri generales saeculi XVII ad Episcopatus evecti gubernium ordinis retinere conarentur, anno 1676 post forte factum Ximenis (Jimenes) Samaniego (§ 65) decretum est, ut unusquisque electus statim iureiurando obligaretur, ne toto tempore muneris sui Episcopatum consequeretur neve acciperet, quo iureiurando praestito demum caput ordinis habendus esset. Quia vero ordo Pontificem praeceptis obligare non poterat ideoque nec impedire, quominus ministrum fortasse a iureiurando dispensaret, ulterius decretum est, ut minister generalis, statim ac dispensationem acciperet, depositus haberetur, quare hoc facto sub poena excommunicationis nemini fra-

---

[1] Chron. III 1, 347 550. [2] Gub. I 38. *Patrem* 99.
[3] Gub. III 276.

trum liceret ei amplius oboedire[1]. Similia quoad vicarium et commissarium generalem postea sunt disposita.

Duratio muneris ministri generalis, quae vi bullae unionis spatium sex annorum complectebatur, anno 1571 a Pio V ad octo annos extensa, sed iam anno 1587 a Sixto V iterum ad sex annos restricta est[2]. Ita, exceptionibus omissis, res permanserunt, usquedum Pius IX anno 1862 rationibus bene perpensis decerneret, ut minister generalis ad duodecim annos eligeretur. Bene accidit, ut haec ordinatio retineretur adversus contradictiones, quae adhuc in capitulo generali anni 1889 se manifestarunt[3].

Potestas ministri generalis etiam in altera historiae ordinis periodo limites, quibus ab anno 1239 circumscripta erat, non transgressa est. Immo studium eandem adhuc magis restringendi ita manifestum est, ut omnis verborum pompa, quae occasione data de ordinaria et summa potestate ministri generalis explicabatur, factum celare non possit, quod arrogantibus his verbis expressum est: „Capitulum generale habet auctoritatem simpliciter et absolute super Ministrum generalem, qui ipsi Capitulo est inferior et subditus, *ut asserunt doctores.*“[4] Horum demonstrandorum gratia allegatum est capitulum generale eligere et deponere posse ministrum generalem, qua de causa eum etiam omnem accipere potestatem a capitulo. Haec conclusio iam in se ipsa erat falsa et casu, quo minister generalis ab ipso Pontifice nominabatur, demonstratio penitus in se ruebat. Sed his non obstantibus theoria inveterata retenta est, iuxta quam minister generalis eatenus tantum libere poterat agere, quatenus capitulo generali placebat, quo factum est, ut ei in summa solum *ius inspectionis* remaneret, quod in propria persona vel mediantibus suis *visitatoribus (commissariis)* excercere poterat. Sed etiam ius mittendi visitatores vario modo restrictum est; interdum enim capitulum generale vel ipsum visitatores instituebat, vel ordinabat, ut tantummodo in casu verae necessitatis adhiberentur, vel numerum personarum ad hoc officium eligendarum valde restringebat[5]. Ita res eo adductae sunt, ut minister generalis anno 1622 ius visitationis etiam mediantibus vicariis libere electis exsequendum a Pontifice peteret, utpote quia absque hoc iure industriam utilem explicare non posset[6]. Demum

---

[1] Gub. IV 218. [2] Gub. I 53.

[3] Bullae et Decreta 104. Capitulum generale anni 1889, 50.

[4] *Montalvus,* Glossa fundamentalis II 426.

[5] W XX 23; XXI 391. Gub. III 275 330 519. BD III 192; IV 536; V 555.

[6] W XXV 684.

legislatio ordinis recentior plenum ius inspectionis ministri generalis iterum agnoscit. Non raro Papa ministro generali tamquam *commissario Apostolico* primariam plenamque sui officii potestatem iterum reddidit, quam qua minister generalis propter legislationem ordinis contrariam non amplius exercere poterat (§ 73).

Inter *honores*, qui ministro generali competebant, commemorandus est titulus „ministri generalis *totius* ordinis fratrum Minorum", quo vinculum ideale unitatis exsistentis inter omnes ordinis partes exprimebatur. Ceterae propagines ordinis saepius frustra conati sunt tollere hunc titulum [1], quem adhuc Leo XIII in bulla „Felicitate quadam" confirmavit. Reges Hispaniae ministrum generalem dignitate decorarunt, quae vocatur *Grande d'España*, id quod non absque contradictione ordinis factum est [2]. Huc forsitan referenda est ordinatio, quae anno 1729 edita est, ministro generali convenire relinquere titulos inutiles et contentum esse nomine ministri generalis, cui summum adiungere posset titulum lectoris iubilati [3], quo quippe omnes paene ministri gavisi sint. Ministro generali officio functo iam durante saeculo XVI praecedentia immediate post caput ordinis concessa est simul cum iure suffragandi in omnibus capitulis totius ordinis et propriae provinciae, idque etiamsi per breve tantum tempus officio praefuisset [4].

Bono non erat ordini, quod minister generalis firmam residentiam non habebat; videlicet minister generalis e familia cismontana desumptus in conventu *Aracoelitano* residere consueverat, cum minister generalis familiae ultramontanae paene semper *Matriti* moraretur, quo interdum accidit, ut toto tempore regiminis nunquam Romam veniret [5]. Eadem de causa factum est, ut *archivum ordinis* partim Romae asservaretur, partim Matriti, quod necessario inconvenientias adduxit.

Etiam in altera historiae ordinis epocha minister generalis *duos socios* ex utraque familia desumptos tamquam comites et adiutores in expediendis negotiis accepit [6]. Durante saeculo XVI hi nomen *secretariorum* acceperunt, quod stabile permansit. Ipsi a ministro generali libere eligebantur, sed a capitulo mandatum acceperunt accurate perlegendi et subscribendi omnes litteras, quas minister generalis ad familiam, pro qua constituti erant, mittebat [7]. Anno 1670

---

[1] Gub. I 95. [2] W XVI 324.
[3] BD IV 523. [4] Gub. III 295 323 390. Chron. III 1, 164.
[5] Chron. IV 450. [6] W XVI 273 324. [7] Gub. I 445.

tertius frater eis adiunctus est, *secretarius linguarum,* qui tamen iam sex annis post iterum est sublatus. Interea auctoritas secretariorum ita creverat, ut patres provinciae declarati sint, et anno 1676 ius suffragandi in capitulis generalibus acceperint. Quia ordo continuo auctus est, etiam numerus secretariorum multiplicari debuit. Anno 1757 quattuor instituti sunt, bini pro utraque familia, idque singuli pro Observantibus solis et singuli pro congregationibus reformatis insimul. Etiam commissario generali duo secretarii concedebantur, unus ex Observantibus et alter ex Reformatis[1]. Postquam saeculo XIX Hispani auctoritati ministri generalis se subtraxerunt, ipse duobus tantum secretariis usus est, quibus anno 1869 *secretarius pro missionibus* adiunctus est[2]. Unione anni 1897 etiam secretariae *unus* solus praefectus est, *secretarius generalis,* cui vicarius pro missionibus et plures scriptores adiutores subsunt[3]. Praeter iura antiqua secretarii hodie adhuc valet ordinatio anno 1639 edita secretarium generalem in regimine illum ministrum generalem, cui a servitiis fuisset, non immediate posse subsequi. Hoc enim aliquoties acciderat, quare legibus impediendum esse videbatur, ne iterum eveniret.

Pius V anno 1571 ministro generali duos *discretos* addidit, eosque probabiliter loco secretariorum. Papa disposuerat, ut ambo in capitulis generalibus a familia, cuius negotia suscepturi essent, tamquam immediati consiliarii ministri generalis eligerentur, omnium capitulorum vocales essent, et gradu omnes fratres ordinis praecederent exceptis ex-ministris generalibus. Attamen Gregorius XIII anno 1573 haec omnia iterum abolevit[4]. Ut ordinationes Pii V melius intelligantur, praetereundum non est *definitores generales*[5] tunc temporis nondum fuisse consilium stabile ministri generalis. Iam quidem in capitulo anni 1517 non amplius omnes fratres, qui ius potestatemque habebant, definitoriatu functi sunt, sed ex utraque familia sena membra capituli tamquam definitores instituti sunt. In capitulo sequenti anno 1518 Cardinalis praeses ipse duodecim definitores cum totidem adiunctis nominavit[6]. Haec mox consuetudo facta est, quamquam in quibusdam capitulis definitores non eligebantur et familia ultramontana adhuc anno 1532 ad normam usus veteris omnes ministros provinciales et custodes tamquam definitores

---

[1] Chron. IV 248. [2] Bullae et Decreta 100. [3] CC. GG. art. 529.
[4] Gub. I 44.
[5] Catalogum eorum iuxta provincias dispositum vide Chron. III 2, App. XXXVII.
[6] W XVI 49 69.

admittebat[1]. Sed quia ius eligendi vicarium generalem, quo fortasse opus erat, definitoribus demandatum erat, etiam haec familia iam anno 1535 iterum proprios definitores elegit[2]. Vocales tamen ipsis altiorem gradum adiudicare minime volebant. Ita capitulum anni 1523 praecepit, ne quis definitor praecedentiam haberet neve in mensa communi neve in choro neve alibi. Eadem capitulum anni 1547 repetiit allegando revera omnia capituli membra definitores esse atque fratres sub hoc nomine electos solummodo munere actorum causarum durante capitulo fungi et postea officio electorum vicarii generalis, si ipso fortasse opus esset[3].

Iam ex hac ordinatione patet munus definitorum generalium non amplius simul cum capitulo exspirasse, sed stabile permansisse, quod dilucide apparet ex statutis Vallisoleti anno 1593 editis[4], in quibus ordinatur, ut utraque familia seiunctim senos definitores eligat, quotiescumque capitulum celebret. Munus definitorum generalium, qui ex familia ministri generalis desumpti erant, per sex annos duravit, munus ceterorum initio per tres et ab anno 1676 item per sex annos[5]. Non licuit eundem iterum eligere definitorem generalem. Electi erant definitores perpetui propriae provinciae cum praecedentia ante ex-ministros provinciales[6]. Inter facultates, quibus gaudebant, enumeratur ius dandi consilium ministro generali in gravioribus negotiis, praecipue quoad institutionem procuratoris ordinis et ceterorum officialium curiae generalitiae; item ius eligendi vicarium generalem. Momentum industriae eorum adhuc in capitulo generali situm erat, in quo vel iuxta familias separati in duobus *definitoriis,* vel desiderante ministro generali in uno definitorio generali congregati officium suum administrabant. Ne differentia inter novum et veterem modum celebrandi capitula nimia fieret, adhuc duo *discretoria* constituebantur, quorum membris, quae minister generalis nominabat, de disciplina regulari in communi conferendum erat. Praeter hos etiam proprii actores causarum aderant. Sed decreta utriusque commissionis definitorio generali substerni debebant, coram quibus et syndicatio ministri generalis et provincialium agenda erat. Magna igitur pars potestatis, quam antea totum capitulum generale exercuerat, ad definitores generales transierat, qui, uti aiebant, „primarii in ordine iudices“ facti erant. Solummodo unica res defuit:

---

[1] W XVI 118 226. Gub. III 276. [2] Gub. III 283. W XVI 341.
[3] Gub. III 252 293. [4] Ibid. 493. [5] Gub. IV 217.
[6] Sed cf. BD III 161.

ipsi in capitulis generalibus suffragia ferre non poterant, nisi forte actu ministri provinciales vel custodes erant. Quia vero in propriis provinciis vocales erant, immo vicarium generalem eligere poterant, inconsequens et indignum esse putabatur eosdem ab electionibus in capitulo generali excludere. Itaque anno 1639 ipsis durante tempore officii sui ius electionis in capitulo generali concessum est[1].

Numerus et *nationalitas* definitorum generalium multis mutationibus erant obnoxia. Ab anno 1593 collegium sex definitorum cismontanorum constabat ex duobus Neapolitanis, ex tribus membris ceterarum provinciarum Italiae et ex uno membro provinciarum ultramontanarum. Respectu familiae ultramontanae anno 1621 ordinatum est, ut duo definitores generales pro Hispania et America instituerentur, duo pro Gallia, unus pro Belgio et Anglia et unus pro Germania[2]. Anno 1670 utrique familiae adhuc quaterni definitores concessi sunt[3], quo factum est, ut totum definitorium ex viginti membris coalesceret omissis procuratoribus, commissariis generalibus et ex-ministris generalibus. Modus adiudicandi singulos definitores singulis nationibus et congregationibus reformatis multarum causa fuit difficultatum, quamquam in summa legibus erat definitus[4]. In utraque familia quaterni definitores congregationibus reformatis annumerari consueverant, ceteri Observantibus; in familia ultramontana decimus definitor e numero *Tertiariorum regularium* desumi consueverat, quia hi ministro generali suberant et capituli generalis participes esse volebant.

Anno 1816 Americanis adhuc duo definitores generales concessi sunt[5], sed propter subversiones politicas hoc institutum non diu permansit. Anno 1856 numerus definitorum ita diminutus est, ut tantummodo decem relinquerentur, qui absque ulla differentia ex utraque familia desumendi, ideoque ab omnibus vocalibus insimul eligendi erant[6]. Anno 1862 decretum est, ut iterum duodecim eligerentur, quorum (quod maioris est momenti) sex semper Romae residerent, ut ministrum generalem efficaciter adiuvare possent. Septem annis post hoc officium ad omnes definitores generales est extensum[7]. Mirum est spatio plurium saeculorum opus fuisse, usquedum ab omnibus agnosceretur officium in se tam perspicuum esse

---

[1] Gub. IV 44. [2] Gub. III 495 665. [3] Gub. I 441.

[4] BD IV 529. Gub. I 441. *Kerckhove,* Commentarii in Generalia Statuta, Coloniae 1709, 520.

[5] Bullae et Decreta 71. [6] Ibid. 91. [7] Ibid. 93 95.

statuendum. Iam anno 1694 et 1729 similia quidem praecepta exierant, sed sine permanenti successu[1]. Etiam statuta unionis anno 1897 factae duodenarium numerum definitorum generalium retinent, praecipientia, ut pro singulis circumscriptionibus singuli definitores eligerentur. Duratio muneris eorum, cui ab anno 1862 usque ad annum 1890 duodecim anni assignati erant[2], iterum ad sexennium restricta est.

Substitutio, i. e. usus assumendi vicarium loco alicuius definitoris casu absentis, hodie quoad definitorium generale (non quoad definitorium provinciale) totaliter omissa est aeque ac *subrogatio,* i. e. consuetudo recipiendi patrem digniorem loco definitoris perpetuo ab officio decedentis. Hoc in casu enim hodie novus definitor ab ipso definitorio eligendus est[3].

Iam diximus officium definitorum generalium hac praecipue de causa stabile esse effectum, quia ipsis negotium eligendi *vicarium generalem* demandatum erat. Tam vicarius quam minister generalis caput ordinis in stricto verbi sensu erat, quapropter titulo *vicarii generalis totius ordinis fratrum Minorum* decoratus est. Ante separationem anni 1517 eius officium raro spatium unius anni excessit, quia, cum a Pontifice instituebatur, mandatum accipiebat convocandi quam primum capitulum generale. Ab anno 1517, cum munus ministri generalis ad sexennium restrictum esset, ante cuius exitum capitulum non erat celebrandum, haec res penitus mutata est. Iam ab initio leges hunc casum respicientes exstitisse videntur, quamquam certae notitiae omnino desunt; cum enim anno 1520 Lichettus esset mortuus, „pauci illi ordinis Patres, ad quos hoc negotium spectabat", Romam convenerunt ibique praesente Pontifice Paulum a Soncino vicarium generalem elegerunt „iuxta Generales Constitutiones"[4]. Perturbationes sub Francisco de Angelis (Quiñones) et Paulo Pisotti (§§ 61 et 62) factae effecerunt, ut anno 1553 statutis Salmanticensibus novae ordinationes insererentur[5], iuxta quas vicarius generalis eligendus erat a ministro provinciae et a definitoribus generalibus familiae, intra quarum terminos minister generalis mortuus erat. Vicarius ex ea familia erat desumendus, cuius membrum minister generalis fuerat. Constitutiones Vallisoletanae anno 1593 editae[6] omissa familia, intra cuius terminos minister generalis mor-

---

[1] Chron. III 1, 367; III 2, 114. [2] Bullae et Decreta 104 106.
[3] *Kerckhove* 521. CC. GG. art. 524 604 sq. [4] W XVI 105.
[5] Gub. III 325. [6] Ibid. 489.

tuus erat, definitores generales familiae, ex qua minister generalis desumptus erat, electores vicarii designant. Porro decernunt, ut, si minister generalis durante primo officii sui triennio moriatur, vicarius statim vocales familiae suae ad capitulum convocet, in quo novus minister generalis eligatur, quod tamen nunquam in praxim deductum est. Antonius a Trejo, vicarius anno 1613 electus, ultra quattuor annos regnavit, et ab anno 1674 vicarius generalis constanter paulo post electionem a Pontifice minister generalis renuntiatus est, ut sexennium sui praedecessoris perficeret.

Inter leges in sequentibus capitulis de eligendo vicario generali latas maximi momenti sunt ordinationes anni 1651 [1]. Pro familia cismontana consuetus eligendi modus in summa retentus est, cum pro familia ultramontana penitus mutaretur. Ibi enim vicarius generalis eligendus erat a patribus ordinis et a definitoribus generalibus illius nationis, cuius membrum minister generalis vita functus fuerat; electio ipsa in conventu eiusdem nationis perficienda erat. Praeter vocales nominatos etiam ministri et custodes sex provinciarum loco electionis vicinarum admittebantur; ceteri definitores generales neque citandi erant, neque, si comparebant, repellendi. Finis huius ordinationis manifestus erat: Hispani videlicet in capitulo quidem generali maior vocalium pars erant, sed non in definitorio, quapropter his machinationibus praevalentiam sibi comparare studuerunt. Hac lege lata fieri non potuit, ut ceterae nationes vicarium generalem e suo gremio desumptum acciperent, utpote quia minister generalis defunctus semper Hispanus erat. Haec ratio agendi ordinem non parum exacerbavit, quare mirum non est, si adhuc anno 1690 deliberatum est, num decreta Nicolai IV renovanda essent, iuxta quae vicarius generalis a Pontifice esset designandus [2].

Cum generalatus non morte, sed *resignatione* vel *promotione ministri* vacabat, propriae leges valebant, quae saepius sunt mutatae [3].

Praeter hos *vicarios generales in stricto verbi sensu* ab anno 1517 etiam multi *alii fratres eodem titulo insigniti* inveniuntur, de quibus historiae peritus solummodo dolens referre potest. Ipsi namque omnes plus minusve eo fine constituti erant, ut partem ordinis iurisdictioni ministri generalis subtraherent, qua de causa unitatem ordinis in periculum vocabant. Huc pertinent vicarii generales *Discalceatorum*, *Reformatorum* et *Recollectorum Gallorum* (§§ 67 69 71).

---

[1] Gub. IV 132. *Kerckhove* 544. [2] Chron. III 1, 325.
[3] Gub. III 491. Chron. III 1, 465. *Kerckhove* 547.

Eadem valent de vicario generali anno 1804 instante curia Hispana introducto, cuius loco ab anno 1838 usque ad annum 1904 commissarius Apostolicus instituebatur (§§ 75 78).

Interdum quoque illi fratres vicarii generales appellabantur, quibus ministri vel commissarii generales facultates, prout sibi expedire videbatur, committebant, ut sui absentis vices gererent. Capitulum vero anni 1651 proposuit, ut hi *commissarii delegati generales* vocarentur [1]. Nostris temporibus ille definitor generalis, cui minister generalis Roma proficiscens vices suas committit, nomine *delegati generalis* insignitur [2].

§ 86. De commissario generali et nationali.

Dolendum est, quod occasione, quae data erat unione anni 1517, non ambae familiae Observantium simul unitae sunt; Leo X enim expresse definivit, ut ordo bipartitus permaneret. Septimo quoque anno alternis vicibus altera familia ministrum generalem acciperet, altera *commissarium generalem familiae,* qui a vocalibus suae familiae singulis trienniis eligendus esset. Quoad facultates commissarii in edicto Pontificis haec continentur: „Cui Minister generalis vices suas committat, prout Capitulo generali expedire videbitur.“ [3] Proinde commissarius generalis delegatus dumtaxat ministri generalis erat; sed brevi universus paene ordo putavit eundem potestate ordinaria suae familiae praeesse, etiamsi minister generalis quaedam iura sibi posset reservare [4]. Huic cogitationi privilegia conveniebant, quae ipsi anno 1565 concessa sunt, secundum quae tamquam „Minister ministrorum provincialium“ vocalis in capitulo generali et definitor perpetuus suae familiae et provinciae factus est atque titulum Reverendissimi accepit [5]. Pro vacatione commissariatus ordinationes analogae ac pro vacatione generalatus valebant, excepto, quod ab anno 1656 commissarii vicarius non amplius vicarius generalis, sed *vice-commissarius generalis* appellabatur. Minister generalis etiam sine electionibus hunc vicarium instituere poterat, qui tamen hoc in casu in proxima congregatione generali iure suffragandi carebat. Sed haec conditio non valebat, cum commissarius generalis vel eius vicarius a Pontifice ipso nominabatur, quod saepius factum est. Ab anno 1676, quo congregatio generalis quarto quoque anno celebranda abolita est,

---

[1] Gub. I 283. [2] CC. GG. art. 510.
[3] W XVI 45. [4] *Kerckhove* 524. Gub. I 278.
[5] Gub. III 353 390.

commissarius generalis a solis definitoribus suae familiae eligebatur, nisi forte in eundem annum capitulum generale indictum erat[1].

Paulo postquam Reformati provincias sui iuris constituerunt, id studuerunt, ut commissarius generalis alternis vicibus ex eorum gremio desumeretur, quod anno 1664 impetrarunt. Sed primus commissarius Reformatus non obstante alterna optione, quae praescripta erat, anno 1667 obtinuit, ut iterum eligeretur[2], quo factum est, ut anno sequenti tam Observantes quam Reformati proprium vice-commissarium acciperent. Anno 1674 Reformatis proprius commissarius generalis concessus est, quamquam minister generalis ad familiam cismontanam pertinebat. Postea, anno 1688, Innocentius XI renovando praecepta de alterna optione pacem inter utramque partem facere conatus est; sed iam anno 1706 iterum duos vice-commissarios invenimus, idque diutius. Multi subditi hac conditione rerum tam male contenti erant, ut Papa sub poena excommunicationis praecipere deberet, ut his vice-commissariis oboedientia praestaretur[3].

Commissarius generalis in stricto sensu bullae unionis solus commissarius cismontanus erat, nam in familia ultramontana eius potestas non mediocriter restricta est *commissariis nationalibus*[4]. Hispani primi anno 1521 commissarium nationalem acceperunt adversus contradictionem Lusitanorum, qui huic instituto non consentiebant[5]. Deinde in capitulo anni 1526 Quiñones, minister generalis, proposuit, ut imposterum loco commissarii generalis commissarii nationales dumtaxat instituerentur pro natione Hispanica, Gallica et Germanica. Sed vocales inter se non convenerunt, quales facultates his commissariis essent adiudicandae; Hispani enim et Galli easdem quam maxime restringere volebant, cum Germani eis totam plenitudinem potestatis concedendam esse putarent, dummodo ministro generali subessent. Ideo evolutio instituti commissariorum nationalium diversas institit vias, quin finis eiusdem primarius, ut scilicet supervacaneum redderetur commissarium generalem instituere, attingeretur. Iam enim anno 1529 iterum commissarius generalis familiae ultramontanae electus est, et a medio saeculo XVI paene sola natio Hispana hoc officium sibi vindicavit. Ex his patet, quare *commissarius nationalis Hispanus* tam exigui factus sit momenti, ut exceptis primis saeculi XVI decenniis non amplius commemoretur. Sufficiebat enim commissarius generalis, cui omnes provinciae in paeninsula Pyrenaica sitae suberant,

---

[1] *Kerckhove* 525. [2] *V. Haute* 239.
[3] Chron. III 1, 286 510. Gub. I 267. [4] Gub. I 303. [5] Ibid. 311.

etiam provinciae Discalceatorum, quae anno 1729 eius auctoritati cedere debebant[1].

Attamen provinciae Hispanae trans maria sitae mox proprios acceperunt commissarios. Anno 1572 minister generalis instante rege Hispaniae *commissarium Indiarum in curia catholica residentem*[2] instituit, qui Matriti residebat et tamquam vicarius ministri generalis omnes causas ad fratres Americanos spectantes decidebat. Sed iam anno 1583 eius potestas ex delegata facta est ordinaria et anno 1587 ipse commissarius ius suffragandi in omnibus capitulis generalibus et praecedentiam immediate post commissarium generalem accepit. Eius institutio hoc modo perficiebatur: Minister generalis regi quosdam fratres praesentabat, e quibus rex commissarium eligebat, cui minister generalis huius muneris partes committebat. Ineunte saeculo XVII rex solus omisso ministro generali hos officiales constituere coepit, usquedum ministro generali Samaniego demum anno 1681 contingeret, ut haec enormia aboleret et veterem instituendi modum iterum introduceret. Victum commissario eiusque adiutoribus curia Hispana suppeditabat, absque cuius consensu non licebat fratres in Americam mittere. Fratres inde reversos commissarius visitare debebat vel eius vicarius, *vice-commissarius,* qui Hispali residebat; sed huius officium anno 1612 iterum sublatum est[3]. Commissarius ipse super omnes fratres in America exsistentes eadem gaudebat potestate, quam minister generalis habebat, a quo ipse facultates suas acceperat. Quidam vero commissarii ne his quidem contenti iura sua ultra modum augere studebant, cupientes a ministro generali independentes fieri[4].

Iam antequam hi commissarii regii exsisterent, minister generalis ipse *commissarios generales in Indiis residentes* pro America instituerat[5]. Primus eorum anno 1541 nominatus et super omnes fratres in America degentes constitutus erat. Mox vero patuit unum commissarium propter amplitudinem provinciarum non sufficere, quare anno 1559 duo sunt instituti, alter pro ditione Mexicana i. e. pro America media, alter pro ditione Peruana i. e. pro America meridionali. Immo ab anno 1587 usque ad annum 1621 duo commissarii pro America meridionali nominabantur, qui durante sexennio officii sui omnes pro-

---

[1] BD IV 535. [2] Gub. I 286. [3] Gub. III 607.

[4] Gub. I 69. *Vincit vera unitas: Fray Julian Chumillas* . . . actual Comisario general de las Provincias de las Indias . . . en la controversia que le ha excitado la dignidad de Ministro general . . . sobre el uso y exercicio de la jurisdicción y autoridad del oficio del Com. Gen. de Indias [ca 1692].

[5] Gub. I 291.

vincias sibi subditas visitarent et officio laudabiliter functi ex-ministri provinciales suae provinciae haberentur. Ius eosdem instituendi minister generalis ipse sibi reservavit, quamquam commissarii curiae Matritensis id sibi comparare studebant.

Praeterea necessarium esse apparuit etiam pro India orientali proprium commissarium constituere, cui titulus *commissarii generalis Indiae orientalis* concedebatur, quique eisdem iuribus gaudebat ac commissarii Americani. Hic initio in Lusitania residens subditos suos litteris gubernabat, sed iam ab anno 1593 in India orientali commorari debebat. Negotia in curia Hispana expedienda — nam Lusitania usque ad annum 1640 cum Hispania eiusdem regis persona unita erat — minister provinciae Portugalliae gerebat. Sed iam anno 1682 officium commissarii Indiae orientalis sublatum est, probabiliter quia Discalceati eundem agnoscere recusabant, qua de causa iam anno 1671 etiam *vice-commissarius* a commissario Mexicano in insulas *Philippinas* delegatus, remotus erat[1].

Postquam Lusitania anno 1640 ab Hispania descivit, odium utriusque nationis in alterutram ita crevit, ut minister vel commissarius generalis Hispanus in Lusitania industriam efficacem explicare vix posset, quapropter Lusitani proprium *commissarium generalem Lusitaniae* acceperunt[2], cui etiam facultates in colonias Lusitanas committebantur. Huic tamen proprii subditi gravissimas parabant difficultates, quo factum est, ut curia Pontificia pacis faciendae causa saepius intercedere cogeretur. Postea anno 1658 Alexander VII pro Lusitania eiusque coloniis *vicarium generalem* facultatibus Apostolicis instructum instituebat, qui tamen valida protestatione ministri generalis interposita titulo *commissarii generalis* et iuribus ceterorum commissariorum nationalium contentus esse debebat. Post annos circiter decem hic commissarius iterum sublatus est, quia pace inter Hispaniam et Lusitaniam facta supervacaneus erat. Studia a Lusitanis postea eo suscepta, ut denuo proprium commissarium acciperent, non obstante adiutorio regis constantia Sedis Apostolicae ad irritum cadebant.

Eadem de causa ac fratres Lusitani eiusdem gentis fratres in Brasilia degentes magno labore adepti sunt, ut anno 1663 *commissarius generalis Brasiliae*[3] nominaretur. Quia vero ibidem initio una tantum provincia exsistebat, hic magni momenti non est factus, moxque eius

---

[1] BD II 547 551 667. [2] Gub. I 322.
[3] Ibid. 331.

officium iterum desiit. Cum anno 1675 altera provincia erecta esset in Brasilia, decretum est, ut duae provinciae invicem visitarent.

Multas contentiones institutio *commissarii nationalis Galliae* excitavit[1], quem fratres Galli primo elegerunt anno 1526 restringentes simul eius facultates ad illas causas, in quibus a provinciis ipsis invocaretur. Saeculo sequenti hic commissarius nationalis vix commemoratur[2]. Sed circa annum 1625 novae contentiones sunt ortae, quia Galli moleste ferebant se semper in electionibus ministri et commissarii generalis negligi. Contigit tamen Bernardino de Sena, ut fratres iterum placaret, exceptis *Recollectis Galliae*, qui adiuvante suo rege commissarium proprium accipere studuerunt, qui primo a Pontifice instituendus esset, deinde quarto quoque anno a Recollectis eligendus. Adversus contradictionem haud dubiam ex parte ordinis anno 1637 finem suum eatenus assecuti sunt, quatenus Papa pro omnibus fratribus Gallis *vicarium generalem* instituebat, qui etiam nomen *commissarii Apostolici* gerebat et a ministro generali non dependebat. Quia vero hic vicarius ex Recollectis desumptus erat, ceterae provinciae in Gallia exsistentes tam male erant contentae[3], ut Papa iam anno 1642 hoc officium iterum auferre deberet. Deinde anno 1670 omnes provinciae Galliae tam Observantium quam Recollectorum declarabant, se paratas esse agnoscere commissarium generalem familiae ultramontanae[4]. Sed iam anno 1675 rex Galliae postulavit, ut propter bellum cum Hispania ortum pro Minoritis Gallis commissarius generalis ex Recollectis desumeretur. Cumque minister generalis huic desiderio non obsecundaret, rex prohibuit, quominus sui subditi capitulum generale anni 1676 adirent et ministrum generalem ibi electum agnoscerent (§ 65). Hoc facto in provinciis Galliae maxima viguit perturbatio, usquedum minister generalis desiderio regis satisfaceret, quo tamen Observantes Galliae ita irati erant, ut novus commissarius paucis annis post iterum auferretur. Cum vero aliqui fratres dolo pleni consilia struerent, ut hoc institutum iterum introduceretur, capitulum generale anni 1685 fortiter restitit[5]. Inde Observantes Galli theoretice saltem auctoritatem commissarii

---

[1] Gub. I 305. [2] Cf. Gub. III 327.

[3] Lettres patentes de Sa Majesté en exécution du second bref declaratif de la volonté de S. Saincteté sur la charge du Vicaire Général de l'Ordre de S. François en France (1640).

[4] Gub. IV 200.

[5] Chron. III 1, 249.

generalis familiae ultramontanae agnovisse videntur, cum Recollecti immediate ministro generali subessent[1].

Maximi momenti omnium commissariorum nationalium *commissarius generalis nationis Germano-Belgicae* factus est[2]. Haec natio tenacitate sibi propria ab anno 1526 usque ad rebellionem Gallicam hoc institutum ita retinuit, ut a principio erat intentum, videlicet iurisdictione commissarii generalis familiae ultramontanae penitus remota. Durante reformatione ecclesiastica, quae parti ordinis Germanae grave attulit damnum, sane non semper possibile erat, commissarium generalem more solito instituere, nihilominus aliquod genus commissariorum fratres semper sibi comparabant. Ipse commissarius primum quarto quoque anno a vocalibus capitulorum eligebatur, deinde ex anno 1594 a ministro generali instituebatur, denique circa medium saeculi XVII usus invaluit proponendi ministro generali quosdam fratres, e quibus ipse commissarium desumeret[3]. Respectu potestatis ei concessae in summa decretum anni 1526 retentum est: „Commissario generali omnes in omnibus, quae non sunt contra animam et regulam nostram, sicut vero et indubitato Praelato ac Superiori oboedire teneantur, iuxta facultatem a Reverendissimo Patre Ministro generali sibi concessam"; quibus ex verbis quidam potestatem ordinariam deducendam esse putabant, quidam vero potestatem delegatam. Intra nationem commissarius titulo Reverendissimi gaudebat atque iure suffragandi in capitulis et congregationibus omnium provinciarum. Etiam *capitula nationalia convocabat,* quae, quamquam statuta facere non poterant, tamen, concedente ministro generali ordinarie celebrata, non parum conferebant ad bonam conditionem rerum, quae in summa his in provinciis vigebat. Igitur minister generalis, praedictis rebus optime contentus, hanc nationem pupillam oculorum suorum appellabat, quippe quae ei difficultates minimas omnium pararet.

Etiam in familia cismontana per modum exceptionis commissarium nationalem invenimus, qui pro ultramarinis provinciis Austriae, Hungariae et Poloniae constitutus erat et nomen *commissarii generalis Germaniae superioris* gerebat[4], quorum primus anno 1582 nominatus esse videtur. Cum vero ipse paucis decenniis post Bavariam a pro-

---

[1] Chron. III 2, 344. *V. Haute,* Misc. XI 391.

[2] Gub. I 314. Reg. GB I—V. *Kerckhove* 526.

[3] Chron. III 2, 124. *V. Haute* l. c. IV 987.

[4] Gub. I 317. Cf. *P. Herzog,* Cosmographia austriaco-franciscana I, Coloniae 1740, 73. *Greiderer* I 286 292.

vincia Argentinensi et a natione Germano-Belgica avelleret, Bavari timentes, ne per eius industriam ulteriora paterentur detrimenta, conquesti sunt de eius titulo iniusto, imponentes simul proprio commissario titulum *commissarii Germaniae superioris et Belgii.* Ceterum commissarius generalis supradictus ne suis quidem provinciis placebat, praesertim quia generaliter erat alienigena, quem constituere conceptui commissarii nationalis contradicere videbatur. Praeterea hae provinciae conquestae sunt commissarium saepe esse Observantem, quamquam maior pars provinciarum huius nationis ad Reformatos pertineret. Cum igitur hae querelae ad Imperatorem essent delatae, ipse anno 1651 ministrum generalem adiit, ut hi abusus tolerentur, quod tamen per paucos solummodo annos profuit. Nam paulo postquam *Ioannes Molina* qua confessarius Imperatricis Viennam (Wien) venit, ipse se commissarium generalem Germaniae superioris nominandum curavit, quamquam Hispanus erat. Cumque omnium voluntates ab eo essent alienae, anno 1667 breve Pontificium impetravit, quo in suo officio confirmatus est. Patet talem commissarium, etsi canonice institutum, auctoritatem non potuisse habere. Ita dux Bavariae directe prohibuit eum hanc provinciam adire. Quibus facultatibus commissarius Germaniae superioris gavisus sit, non liquet, certum saltem est easdem neque copia neque duratione facultates commissarii nationis Germano-Belgicae adaequasse. Immo verisimile est commissarium, de quo tractamus, nunquam salutare quid produxisse, cuius tamen facti provinciae ibidem exsistentes non sunt arguendae, sed commissarii generales cismontani, qui durante saeculo XVI et XVII provincias ultramarinas sibi subditas nunquam visitarunt [1].

§ 87. Officiales in curia Romana.

Post unionem anni 1517 ordo ambos procuratores iam introductos retinuit decernens anno 1518, ut fratri ex familia ministri generalis desumpto titulus *procuratoris generalis ordinis* competeret, cum altera familia *commissarium in Curia* acciperet [2]. Uterque negotia suae familiae independenter ab altero expediens immediate ministro generali subditus erat. Ita res permanserunt usque ad saeculum XIX, quo simul cum distinctione familiarum commissarius in curia disparuit.

Procuratores diu a ministro generali *instituebantur* consentientibus definitoribus respectivae familiae; ab anno 1694 minister generalis

[1] Gub. I 322. [2] W XVI 72.

in capitulo fratres sibi acceptos proposuit, e quibus deinde vocales familiae procuratorem per ballotationem eligebant[1]. Postquam partes ordinis reformatae proprios procuratores acceperunt, procurator generalis et commissarius in curia a solis Observantibus et a Recollectis nationis Germano-Belgicae eligebantur[2], qui modus eligendi ambos procuratores principales usque ad unionem anni 1897 permansit. Inde per schedulas ad duodecim annos eligitur[3]. Initio munus procuratoris tantummodo per tres annos duravit; ab anno 1694 per sex et ab anno 1862 usque ad annum 1890 per duodecim annos[4]. Officio tempore inter duo capitula intermedio vacante, minister generalis solus de consilio definitorum novum procuratorem nominare poterat[5]. Quod procurator tempore suae absentiae interdum propria auctoritate *vice-procuratorem* vel *vice-commissarium* instituebat, ex parte ordinis violatio iuris habitum est[6]. Anno 1733 libertas ministri generalis a capitulo eatenus restricta est, quatenus vicarium procuratoris ex tribus fratribus in singulis capitulis praedestinatis eligere debebat[7], quod tamen non semper exsecutioni demandatum est.

Procuratorum erat gerere negotia in curia Pontificia expedienda idque exclusis agentibus saecularibus; causas ad totum ordinem pertinentes absque mandato ministri generalis suscipere non poterant. Edicta Pontificia ad totum ordinem spectantia typis mandare et provinciis transmittere debebant[8]. Praeterea negotium magni momenti erat insistere beatificationibus, quod ab anno 1676 procuratori generali soli tamquam vicario totius ordinis demandatum est[9]. Sed iam a medio saeculo XVIII proprios *postulatores canonizationum*[10] invenimus, qui exinde semper exstitisse videntur. Attamen, cum antea singuli fratres singulas causas agerent, nunc post unionem anni 1897 unus solus postulator adest, qui a ministro generali singulis sexenniis instituitur[11].

Quia procuratores munus tam grave gerebant, mature praescriptum est, ut ipsi e numero ex-ministrorum provincialium desumerentur[12], quod tamen postea non est observatum. Ab anno 1517 etiam ad deliberationes capitulorum generalium admittebantur, sed sine iure

---

[1] Gub. III 487. Chron. III 1, 367.
[2] Chron. IV 443. [3] CC. GG. art. 512.
[4] Chron. III 1, 354. Bullae et Decreta 104 106. [5] *V. Haute* 247.
[6] Gub. I 392. [7] Chron. III 2, 185. Capitulum generale anni 1895, 65.
[8] Gub. III 286 362 498. Cf. Chron. III 1, 192.
[9] Gub. I 404. [10] Chron. III 2, 435. [11] CC. GG. art. 537.
[12] Gub. I 388. Chron. III 1, 111.

suffragandi, quod demum a Gregorio XIII acceperunt. Paulo post definitores perpetui propriae provinciae facti sunt cum praecedentia ante definitores generales[1]. Denique anno 1862 decretum est, ut etiam officio functi vocales perpetui capitulorum generalium essent[2].

Omnes hae ordinationes de duratione muneris et de privilegiis procuratoris sensim sine sensu ad *procuratores congregationum reformatarum* extensae sunt, ita tamen, ut procurator generalis semper praecedentiam prae ceteris haberet[3]. — Procuratores semper ex Observantibus desumebantur, quapropter machinationibus a Reformatis independentiae causa susceptis resistebant; idcirco hi et Discalceati quoquo modo proprios procuratores accipere studuerunt, qui suam causam defenderent. Munus *procuratoris generalis Reformatorum*[4] initio guardianus conventus S. Francisci a Ripa gerebat, usquedum minister generalis anno 1600 mandante Pontifice fratri in eodem conventu degenti hoc officium conferret. Ab anno 1621 usque ad annum 1628 idem a Cardinali protectore instituebatur (§ 69), sed Urbanus VIII ministro generali iterum hoc ius contulit. Paulo tamen post Barberini, Cardinalis protector (1673—1678), consentientibus Reformatis facultates suorum praedecessorum sibi iterum comparare novit. Demum ex anno 1694 procurator hic a vocalibus Reformatorum in capitulo generali scrutinio eligebatur ad sexennium; si vero accidebat, ut tempore intermedio eius officium vacaret, nominandus erat a Pontifice ipso[5]. Hoc modo omnis influxus ministri generalis in negotium institutionis exclusus erat.

Maiores adhuc difficultates *procurator generalis Discalceatorum et Recollectorum*[6] invenit. Anno 1621 Discalceati procuratorem acceperant, qui tamen locum suum non diu potuit obtinere (§ 67). Versus finem eiusdem saeculi Recollecti Galliae primi studuerunt accipere simul cum Discalceatis proprium procuratorem. Revera agenti Romano eorum contigit, ut Discalceatos ad hanc sententiam perduceret; sed Recollecti nationis Germano-Belgicae minime consenserunt. Cum vero et capitulum generale anni 1700 eis resisteret, Pontificem adierunt, qui eis anno 1703 multis difficultatibus superatis obsecundavit, instituens procuratorem Discalceatorum et Recollectorum. Hic titulus non plane aptus erat, quia etiam tunc natio Germano-Belgica hunc procuratorem reiciens negotia sua agenti suo

---

[1] Gub. I 398. [2] Bullae et Decreta 92.
[3] Gub. I 402. [4] Ibid. 417. [5] Chron. III 1, 354.
[6] *V. Haute* 254. BD III 127. *Othon* IV 270.

expedienda committebat. Neque causas huius facti reticuit, sed aperte edixit, se agnoscendo novum procuratorem Discalceatorum et Recollectorum nihil aliud assecuturam esse, quam neglectum et in contentiones confoederatorum implicatum iri[1]. Eodem modo oppositio inter Recollectos Gallos et Germano-Belgicos apparuit, cum ageretur causa communis secretarii generalis pro Discalceatis et Recollectis instituendi. Hunc enim natio Germano-Belgica prohibuit, quominus sua negotia expediret, adiens ceteros secretarios generales, prout eis egebat, usquedum anno 1757 proprium acciperet secretarium[2].

Procurator Discalceatorum et Recollectorum non in hospitio S. Isidori (§ 67) habitabat, sed in conventu Aracoelitano. Quia vero ibi non ita comiter haberetur, anno 1730 iuxta ecclesiam *SS. quadraginta Martyrum* (Santi Quaranta; S. Paschalis Baylon) residentia erecta est, in qua habitaret, quaeque Discalceatis Hispanis perpetuo adiudicata et protectioni regis tradita est[3].

Praeter hos procuratores in sensu proprio saepius etiam *agentes* vel *sollicitatores* Romae inveniebantur, qui vel certi negotii, e. g. processus canonizationis perficiendi causa missi erant, vel stabiliter ibi habitabant, ut negotia suae nationis vel congregationis expedirent. Ita circa annum 1646 ad breve tempus agens Lusitanus Romae habitabat, qui sibi titulum procuratoris imposuerat[4]. Ab anno 1633 officium *agentium nationis Franciae et Germano-Belgicae* stabile est effectum, postquam capitulum generale Toletanum ea conditione consensit, ut agentes procuratori vel commissario curiae subditi manerent et a ministro generali instituerentur. Ratio huius eventus erat consueta: ambae videlicet nationes in electionibus procuratorum praeteriri et in expediendis suis negotiis negligi consueverant. Postquam hi agentes pedem fixerunt, aeque ac agentes Reformatorum et Discalceatorum independentes fieri et titulum procuratoris accipere studuerunt. Hac de causa multae difficultates sunt ortae; quae denique prudentia Waddingi cum approbatione omnium, quorum intererat, concorditer transactae sunt[5]. Agens Galliae sensim sine sensu valorem suum amisit, cum procurator Discalceatorum et Recollectorum institutus esset, sed agens Germano-Belgicus suam independentiam relativam sibi conservavit, praesertim cum minister generalis ius

---

[1] *V. Haute,* Misc. IX 47. Cf. Chron. III 2, 447.
[2] Reg. GB III 260. [3] Chron. III 2, 211. *Othon* IV 308.
[4] Gub. I 425. [5] Ibid. 421.

eundem instituendi commissario nationali commisisset[1]. Ipse agens ab anno 1648 continuo in conventu Aracoelitano residebat, atque merito protestatus est, cum anno 1757 ad residentiam SS. quadraginta Martyrum transire iuberetur[2].

Durantibus tempestatibus rebellionis Gallicae tam procurator Discalceatorum quam agens nationis Germano-Belgicae perisse videntur. Anno 1856 pauci Discalceati, qui adhuc supererant, et Recollecti nationis Germano-Belgicae primo communem sibi procuratorem elegerunt, quamquam legitimum huius facti fundamentum non aderat, sed postea demum anno 1889 positum est[3]. Sed iam octo annis post hic procurator simul cum procuratore Reformatorum *uni* procuratori generali locum cessit, cui simul cum suis adiutoribus negotia totius ordinis sunt expedienda.

§ 88. De capitulo et congregatione generali.

Nomine capituli generalis antiquitus congregatio ministrorum provincialium et totidem custodum designata est, qui ad deliberanda ordinis negotia et ad ministrum generalem, quo fortasse opus erat, eligendum convenerant. Leo X anno 1517 ordinavit, ut hoc capitulum, quod etiam *capitulum generalissimum* appellabatur, septimo quoque anno celebraretur, cum post primum triennium utraque familia separatum haberet capitulum[4]. Huic capitulo intermedio immerito etiam nomen capituli generalis impositum est, mox vero nomen *congregationis generalis* vel *capituli intermedii* accepit. Sed iam anno 1526 congregatio generalis pro familia ministri generalis abolita est, quia supervacanea esset, quod anno 1676 etiam accidit in familia commissarii generalis, qui inde a solis definitoribus generalibus eligebatur[5].

Pisotti, minister generalis, partim egoismo ductus anno 1529 adiuvante Pontifice capitulum generale in sensu stricto abolere conatus est et definire, ut minister generalis septimo quoque anno alternis vicibus ab altera familia eligeretur, cum alteram familiam compromisso electionum participem esse lege fingeretur. Non obstante contradictione priori familiae ultramontanae capitulum generale anni 1529 hunc compromissum approbavit, quem sibi a Pontifice confirmandum procuravit[6]; sperabat enim fore, ut hoc modo saltem in electionibus

---

[1] *Kerckkove* 517. [2] Reg. GB III 252. [3] Bullae et Decreta 102.
[4] W XVI 45. [5] Ibid. 228. Gub. IV 217.
[6] W XVI 254 271 287. Gub. III 283.

familiae cismontanae praevalentia Hispanorum auferretur. Cum vero Pisotti videret, multos fratres hac ordinatione minime esse contentos, anno 1530 breve sibi comparavit, quod praecepit, ut utraque familia seorsa quarto quoque anno capitulum generale celebraret, cui minister generalis praesideret. Neque vero hoc institutum omnibus bene visum est, quare iam anno 1595 iterum est abolitum, non autem a Pontifice sed a capitulo generali. Ideoque Waddingus[1] valorem ordinationis anni 1529 defendere poterat ex causis iuridicis, quibus graves adiunxit considerationes practicas: pauciores fratres multo melius posse consilia inire quam magnam multitudinem, quae conditiones rerum non satis perspiceret; eos praeterea melius posse eligere, quia maior pars fratrum peregrinorum personas eligendorum non cognosceret. Hae exceptiones mirae non videntur consideranti saepe 300 circiter vocales ad capitulum convenisse, quo fiebat, ut conventus in urbe capitulari exsistentes non sufficerent ad suscipiendos omnes fratres. Sed ordo quasi instinctu cognovit capitula generalia quam maxime conferre ad unitatem ordinis, qua de causa sine detrimento omitti non possent. Non electio ministri generalis sola exigit, ut fratres provincias repraesentantes conveniant, sed multo magis deliberatio communis loquendi audiendique commercium, quod sensum familiaritatis excitat. Numerus vocalium certe modum excessit, sed huic malo remedium potuit adhiberi diminutione provinciarum vel dimissione custodum, quod postea factum est; minime vero erat necessarium pulchram S. Francisci ideam relinquere. Quod nihilominus non solum tempore Waddingi, sed etiam postea saepius consilium capitulorum generalium abolendorum initum est, ultimo est repetendum ex praevalentia Hispanorum in capitulis, quae sane praesentiam ceterarum nationum paene superfluam reddebat. Haec *Cherubinus a Nardo,* commissarius generalis, palam edixit[2], cum postularet, ut iuxta ordinationem anni 1530 quarto quoque anno in utraque familia capitulum generale seorsus celebraretur, in quo alternis vicibus minister et commissarius generalis eligerentur. Ita solummodo fieri posse, ut saltem in familia cismontana frater ad Hispanos non pertinens eligeretur. Idem consilium anno 1830 ab Hispanis reassumptum est, cum ceterae nationes ad capitulum Complutense non comparuissent. Gregorius XVI instante rege Hispaniae anno 1832 definivit, ut exinde septimo quoque anno duo capitula generalia, alterum in Hispania, alterum in Italia simul celebrarentur (§ 75). Quod exsecutio huius

[1] W XVI 275. [2] Archivum prov. Bavariae.

decreti rebellione Hispanica impedita est, bono erat ordini. Capitula generalia post hoc temporis momentum celebrata vere capitula in sensu S. Francisci habenda sunt, etsi Hispani a ministro generali direrapti non comparebant. Minima enim erant ordinis pars, quae unitatem ad summum theoretice, non vero practice in periculum poterat vocare.

Anno 1862, cum tempus generalatus gerendi prorogaretur, simul decretum est, ut capitulum generale decimo tertio quoque anno celebraretur et tempore intermedio, primo videlicet sexennio peracto *congregatio generalis*[1]. Quia vero congregatio generalis eodem modo totum ordinem repraesentat ac capitulum, quia praeterea interdum accidit, ut ministrum generalem eligat, etiam haec ipsa iuxta regulam et historice considerata eodem modo capitulis generalibus est annumeranda ac capitula temporis anteacti, a quibus non differt. Sed diversitas *nominis* permansit et in novas constitutiones generales transiit.

Quoad *anni tempus*, in quo capitulum erat celebrandum, praecepta regulae, paucis exceptionibus omissis, in usu manebant. In *vigilia Pentecostes* ordinarie minister generalis eligebatur, cum ceteri labores capituli ultimis temporibus iam a festo Ascensionis Domini susciperentur. Duratio capituli ad multitudinem laborum relata est. Anno 1587 exceptio accidit, ut capitulum ultra spatium trium mensium duraret[2]. Ad hoc 4000 circiter fratres citati erant, qui praedicationibus et disputationibus solemnitatem augerent.

Etiam respectu *loci* antiqua consuetudo diu retenta est, iuxta quam locus capituli subsequentis in capitulo immediate praecedenti destinandus erat. Quia vero saepe necessitas mutationis evenit, sensim sine sensu desiit. A fine saeculi XVI ministri generales Hispani capitula fere sine exceptione in Hispania celebrare consueverant, Itali vero in Italia. Deinde anno 1804 decretum est, ut capitulum generale semper in Hispania haberetur, si minister generalis ex Hispanis esset desumendus[3], quod tamen semel tantum accidit, anno 1830.

Vocales capituli *de iure* initio huius epochae aeque ac ab antiquitus soli ministri et custodes erant. Anno 1518 discreti provinciarum a capitulo exclusi sunt, quorum loco sensim sine sensu commissarii generales, procuratores et definitores generales, immo ab anno 1606 etiam guardianus magni conventus Parisiensis[4] ius suffragandi

[1] Bullae et Decreta 105. [2] Gub. I 240.
[3] Bullae et Decreta 65. [4] Gub. I 340.

privilegio adepti sunt. Ministri et custodes non solum de iure, sed etiam ex officio comparere debebant, quapropter saepius sub interminatione poenarum contra eos processum est, qui hoc officium negligebant, quia consideratis rerum conditionibus superfluum esse ducebant ad capitulum venire[1]. Si vero iustae causae absentiam excusantes aderant, *pro-ministri* loco eorum ad capitulum comparere poterant, immo et *pro-custodes,* qui tamen ab anno 1670 exclusi sunt[2]. Pro-ministri, qui etiam *commissarii provinciales* appellabantur, a definitoribus provinciarum eligebantur et initio fere a solis provinciis ultramarinis mittebantur[3]. Raro *pro-guardianum* tamquam vicarium guardiani Parisiensis invenimus[4].

A pro-ministris essentialiter differunt *ministri titulares,* qui solorum suffragiorum causa in capitulis generalibus instituebantur pro illis provinciis, quae iniuria temporum perierant. Post diuturniores contentiones haec ratio agendi, quae omni fundamento carebat, relicta est[5], probabiliter durante adhuc saeculo XVII. E contrario praesides minorum administrationum, quae nondum dignitatem provinciarum adeptae erant, ad capitulum generale admitti consueverant aeque ac administratores provinciarum, quos minister generalis quacumque de causa sub titulo *commissariorum generalium provinciarum* instituerat.

Compositio capituli generalis anno 1762 essentialiter mutata est *perfecta exclusione custodum*[6], cui ordinationi ei, quorum intererat, vehementer contradixerunt proponentes regulam, quae expressis verbis praecipit, ut custodes ad capitulum generale venirent. Hi tamen praetermiserunt institutum custodum non mansisse, prout tempore S. Francisci exstiterat, si excipimus quattuor provincias confoederatas Galliae[7]. Frater, qui in ceteris provinciis nomen custodis gerebat, successor erat discreti capituli generalis, qui in singulis capitulis provincialibus capitulo generali immediate antecedentibus eligebatur eo fine, ut ibidem simul cum ministro provinciam repraesentaret. Sicut autem munus definitorum sensim sine sensu stabile effectum est, ita etiam officium custodis, idque adhuc saeculo XVI. Ipse tamquam membrum definitorii admittebatur et, quotiescumque definitores eligendi erant, etiam ipse eligebatur[8]. Consideratis his

[1] Gub. IV 124. Chron. III 1, 136. [2] Gub. IV 202.
[3] Gub. III 323; IV 7 36 47 123. W XXI 180. [4] Chron. III 2, 234.
[5] Gub. IV 44. Chron. II 52. Reg. GB I 149 152 200 219.
[6] Chron. IV 451 481. [7] *Othon* III 15.
[8] Gub. III 424 323 503 590.

omnibus non erat violatio regulae excludere custodes a capitulo generali, quod necessario factum est, ut numerus vocalium aequo maior diminueretur. Remansit tamen custodi in hodiernum usque diem ius exclusivum vices ministri provincialis in capitulis generalibus gerendi; immo habilitas ad haec proprietas essentialis custodis est, qua deficiente ipso facto inhabilis est iudicandus et alius loco eiusdem eligendus[1]. Ordinationibus anni 1762 etiam pro-ministros sublatos esse ex dictis iam patet.

Conatus restituendi custodes in sensu pristino anno 1856 merito repudiatus est[2]. Adhuc igitur solae *custodiae gubernii* (regiminis) exsistunt, quae aliquo modo cum vicariis pristinis (§ 30) comparari possunt. Praeses harum custodiarum verus est superior, quare semper ad capitula generalia admissus est. Eius definitores, qui nomen *discretorum custodialium* gerunt, aeque ac custos ipse in *capitulo custodiali* eliguntur.

Praeses capituli vel congregationis generalis naturaliter minister vel vicarius generalis erat, quibus deficientibus commissarius generalis vel pater dignior ordinis praesidium suscipiebat, non vero minister provinciae capitularis, quod antea saepe factum est[3]. Exceptio erat, quod anno 1523 capitulum generale ipsum praesidentem sibi elegit[4]. Sed iam saeculo XVI accidit et postea consuetudo facta est, quod Papa Cardinalem vel nuntium vel alium dignitate ecclesiastica insignem praesidem capituli nominabat. Aliqui Pontifices etiam in hac epocha ipsi praesidium suscipiebant, velut Innocentius XIII (1723), Benedictus XIV (1750) et Pius IX (1856).

Ratio negotiorum in capitulo generali *gerendorum* in summa eadem permansit, excepta syndicatione ministri generalis, quae magis magisque ad puram formam tribuentem ministro laudes demutata est; utpote quia ipse non amplius eligi posset, indecorum esse videbatur laboribus eius finem amarum parare. Participatio omnium membrorum capituli sensim sine sensu restricta est ad electiones et ad *constitutiones generales* conficiendas, in quarum gratiam capitulum saepe Pontificem approbationis causa adiit, primo, ut earum exsecutio magis urgeretur, postea, quia circiter a fine saeculi XVIII valor iuridicus legum ordinis ab approbatione Sedis Apostolicae dependebat[5]. De cetero momentum capitulorum generalium definitorium generale erat vel *consilia*, quae, prout eis opus erat, constituebantur. A saeculo XVIII

---

[1] CC. GG. art. 592. [2] Capitulum generale anni 1856, 11.
[3] Gub. IV 123. [4] W XVI 145.
[5] Bullae et Decreta 68. CC. GG. art. 437 734.

institutum stabile *auditorum causarum* et *revisorum* vel *examinatorum scripturarum* est introductum[1]. Saeculo XVII generale exsistebat consilium, videlicet *discretorium capituli generalis,* in quod membra ex omnibus nationibus et congregationibus desumpti cooptanda erant, quodque summam deliberationum suarum definitorio generali substernere debebat[2]. Mox tamen definitores generales, procuratores etc. tamquam membra stabilia ad discretorium recepti sunt, quo factum est, ut haec commissio et definitorium unum corpus efficerent[3]. Ceteri vocales ad solos examinatores vel auditores admittebantur.

Ultimis saeculis *procuratores* vel *provisores capituli generalis* nominabantur, qui praeparationes ad capitulum externas expedirent, quique interdum ius suffragandi accipiebant[4]. Principes saeculares saepius cum invicem aemulati sunt sumptus capituli eiusque protectionem externam suscipere, quo suscepto titulum *patronorum specialium* capituli generalis accipiebant, qui in quibusdam familiis hereditarius factus est[5]. Neque Sedes Apostolica participantibus capituli privilegia ecclesiastica, praesertim *indulgentias* copiosas concedere desiit[6]. Abusus tamen erat, quod fratres saepe ex participatione capituli privilegia flagitabant et proh dolor! etiam accipiebant[7].

§ 89. De ministro et capitulo provinciali.

Restrictione *durationis officii* ministri provincialis in prima epocha non universaliter recepta, bulla unionis denuo praescripsit, ut ministri provinciales ad triennium eligerentur. Sed familia saltem ultramontana iam anno 1547 frustra conatum suscepit prorogandi hoc munus ad sexennium. Etiam quadriennium a Pio V anno 1571 introductum iam anno 1587 a Sixto V iterum ad triennium est diminutum[8], quod ordo non amplius mutavit. Attamen hoc tempus non erat mathematice metiendum, sed a capitulo ad capitulum, quod satis patet, quapropter mox desiit usus ineptus, quo ministri provinciales et guardiani finitis tribus annis ad fastos mathematice computatis resignare debebant et ad summum tamquam praesides usque ad proximum capitulum suum poterant retinere locum[9]. Duratione muneris ministrorum provincialium accurate definita sensim sine

[1] Chron. III 2, 428; IV 211. [2] Chron. III 1, 313 373.
[3] BD IV 529. [4] *V. Haute* 223. Capitulum generale anni 1862, 6.
[5] Gub. I 342; IV 285. *V. Haute,* Misc. XII 190.
[6] Chron. III 2, 113 438. [7] Exempli gratia Chron. II 55.
[8] Gub. I 53; III 291. [9] *Kerckhove* 499 502. Gub. IV 163.

sensu resignatio in capitulo generali exhibenda omissa est aeque ac ius deponendi, quod subditi in capitulis provincialibus sibi vindicaverant[1]. Provincialatu primo triennii anno vacante novus minister erat eligendus, alias loco eiusdem a definitoribus *vicarius provincialis* eligebatur.

Maioris adhuc momenti quam determinatio temporis officii, quod dispensatione prorogari poterat, erat *delectus personae* ministri provincialis. Capitulum Vallisoletanum anni 1593 mirum in modum non electoribus, sed ministro generali supplicat, ut huic negotio invigilet, apponendo „nihil magis ordini pereunti esse necessarium"[2]. Si ei contingeret undique bonos pastores instituere, eum gloriari posse, quod ordinem renovasset. Quia vero proprietates boni ministri provincialis legibus non bene poterant definiri, vocales saltem id exigendum esse duxerunt, ut candidatus ex eis desumeretur, qui lectores, guardiani, praedicatores fuissent vel simile munus administrassent, ut negotiorum gerendorum esset habilis[3]. Nova legislatio haec externa omittens merito ipsi personae eligendae maximum pondus affert[4]. Causis extraordinariis permotus Pius V anno 1568 decrevit, ut per totam Italiam ministri provinciarum fratres extranei constituerentur idque a capitulo generali (§ 62). Sed iam anno 1618 vetus probatusque usus reassumptus est, iuxta quem candidati provincialatus ex gremio provinciae propriae erant desumendi[5]. In provinciis, quae partes disparatas terminis suis concludebant, fratres saepius postularunt, ut minister provincialis alternis vicibus e diversis regionibus vel nationibus desumeretur; immo guardiano praestantiori regionis, quae se neglectam esse putabat, interdum titulus *vice-provincialis* adiudicatus est[6].

Iura ministri provincialis in summa non sunt diminuta, excepto iure recipiendi novitios, quod restrictum est *examinatoribus candidatorum* a Sixto V introductis et iure suffragandi fratrum professorum in domo novitiatus degentium[7]. Praeterea in certis casibus eius potestas modificata est conditione mutata *definitorum provincialium,* qui iam ante definitores generales perpetui consiliarii et coniudices[8] ministri provincialis facti sunt. Difficile est dictu, quando evolutio huius instituti sit perfecta. Iam constitutiones Salmanticenses

---

[1] Gub. III 324 329. [2] Gub. I 451.
[3] *Kerckhove* 498. Cf. Chron. IV 92. [4] CC. GG. art. 409.
[5] W XX 171; XXV 291. Gub. III 355. [6] W XX 177.
[7] *Kerckhove* 26 48. [8] Gub. IV 132.

praecipiunt, ut minister provincialis definitores suos adhibeat, si extra tempus capituli guardianus sit constituendus[1]. Sed in familia ultramontana saltem pro natione Germano-Belgica adhuc anno 1633 ordinatum est, ut octo diebus post capitulum provinciale „ipso facto maneret Definitorium omnino dissolutum et sine ulla auctoritate capitulari“[2]. Nihilominus etiam in hac parte ordinis definitores in proximo capitulo electi in certis casibus erant consulendi, quamquam studium praevalebat servandi libertatem ministri. Ita res adhuc erant obscurae; sed iure interveniendi etiam extra tempus capituli theoretice concesso, necesse erat, ut definitores sensim sine sensu stabile consilium ministri provincialis fierent, qui eosdem in casibus a lege definitis praetermittere non poterat.

Praeter quattuor definitores in capitulo provinciali electos, quibus custos tamquam primus inter pares adiunctus est, *perpetua membra* definitorii illi fratres provinciae erant, qui in officio secretariorum, definitorum, procuratorum etc. in curia generalitia morati erant. Hi omnes *definitorium* vel *discretorium provinciae* constituebant, cum nomine *discretorii capituli provincialis* omnia membra capituli intelligerentur[3]. Praeterea in quibusdam provinciis etiam *definitores quinti* inveniebantur, . . . immo interdum 12 vel 16 commemorantur[4], qui tamen solis honoribus definitorum gavisi esse videntur.

Momentum operae definitorum provincialium erat tempus *capitulorum provincialium*, quae triennali termino ministerii introducto in maiori parte ordinis quarto quoque anno celebrari coeperunt, cum antea ordinarie singulis annis cogerentur. In Italia vero adhuc saeculo XVI per aliquod tempus singulis annis capitulum provinciale convocabatur, in quo minister provincialis etiam resignare debebat[5]. Licebat tempore inter duo capitula intermedio *capitulum intermedium* celebrare, in quo vocales de negotiis provinciae deliberare et definitores, non vero alium ministrum eligere poterant[6]. Anno 1587 haec capitula intermedia penitus sunt ablata, quorum loco congregatio definitorii introducta est, quae *congregatio provincialis* appellatur. Ipsa semel vel bis tempore inter duo capitula intermedio celebrari et omnia negotia provinciae expedire potest excepta mutatione statu-

---

[1] Gub. III 327 329. [2] *Kerckhove* 481.

[3] Statuta generalia . . . Nationalia Fr. Min. Recollect. Galliae . . ., Parisiis 1641, 43.

[4] Gub. III 291 356 503; IV 143 261. Chron. IV 457 460.

[5] Gub. III 350.

[6] W XX 22. Gub. III 329 348.

torum provincialium. Mature iam ministris provincialibus officium impositum est visitandi provinciam ante quamcumqe congregationem[1].

Quoad *vocales* capituli provincialis familia ultramontana anno 1520 decrevit, ut praeter consuetos discretos conventuum etiam guardiani omnes tamquam vocales admitterentur. Sed etiam anno sequenti capitulum generale hoc decretum iterum eatenus modificavit, quatenus quoad admissionem guardianorum usus provinciarum observandi essent[2]. Attamen anno 1553 ius suffragandi guardianorum a toto ordine approbatum esse videtur[3]. Anno 1590 etiam capitulum provinciale exclusis fratribus, qui non erant vocales, corpus pure legislativum est factum[4]. Mandante Pio V praeter guardianos et discretos conventuum etiam lectores theologiae quadriennales ad capitulum erant admittendi, quae tamen ordinatio a Gregorio XIII mox iterum est abolita[5], quo facto illi, qui scientias repraesentabant, tam a deliberationibus quam a suffragiis erant exclusi. Sola familia ultramontana, saltem natio Germano-Belgica initio omnes lectores iubilatos tamquam vocales admittebat[6]. Definitoribus perpetuis anno 1724 sublatis etiam in hac ordinis parte lectores exclusi sunt[7], cum ceteris vocalibus eodem anno exclusis contingeret, ut paulo post iterum vicarios ad capitulum provinciale delegare possent.

Iure suffragandi guardianorum statuto supervacaneum esse videbatur, alios vicarios conventuum admittere, quapropter capitula id studuerunt, ut discretos capitulorum provincialium penitus tollerent. Causae sufficientes aderant, experientia enim constabat, electiones discretorum pacem conventuum non augere. Igitur capitulum generale Romanum anni 1600 primum decrevit, ut *discreti auferrentur*[8] in illis provinciis, quae saltem decem conventus haberent. Sed hoc facto tot protestationes ortae sunt, ut hoc decretum non obstante approbatione Pontificis iam anno sequenti revocaretur. Cum capitula annorum 1618 et 1621 idem assequi conarentur, vicariis conventuum, inter quos Laici maximo gaudebant influxu, idemtidem contigit, ut breve acciperent, quo ordinationes capitulorum invalidae declarabantur[9]. Ita contentio, quae ordinem summopere concitavit, continuata est, usquedum Alexander VII decretis capitulorum plene assentiens anno 1658 discretos in perpetuum definitive tolleret.

---

[1] Gub. III 368 501 687. [2] Ibid. 245 248. [3] Ibid. 328 366. [4] Ibid. 390. [5] Gub. I 44. [6] *Kerckhove* 604. [7] Cf. Chron. III 2, 233. [8] Gub. I 459; IV 116.

[9] La validité des chapitres provinciaux de l'ordre de S. François celebrêz sans Discretz et speciallement de celuy des Peres Recollectz de Guyenne, tenu à Bordeaux . . . l'an 1632. S. l., s. a.

§ 90. De guardianis et conventibus.

Differentia inter domus maiores et minores etiam in altera historiae ordinis epocha valebat. Domibus minoribus, quae non duodecim saltem fratres capiebant, non guardianus, sed *vicarius* praeficiendus erat, qui etiam nomen *praesidis* vel *superioris* audiebat[1]. Territorium conventibus probabiliter industriae ordinariae et mendicationis causa annexum saepius *guardiania* appellatur[2]. Praestantissimi conventus ordinis aeque ac antea ex parte saltem ab iurisdictione ministri provincialis exempti et ministro vel commissario generali subditi sunt. His circa annum 1680 annumerati sunt: conventus Hierosolymitanus, Constantinopolitanus, Aracoelitanus, studium magnum Parisiense et quidam conventus regii Matritenses et Neapolitani[3]. Guardianus montis Sion tamquam „custos Terrae Sanctae" ab antiquitus vocalis capitulorum generalium erat aeque ac guardianus Parisiensis, in cuius electione peculiares ordinationes erant observandae[4].

Quod attinet *institutionem guardianorum*, familia cismontana usum eosdem in capitulis provincialibus instituendi retinuit, quamquam adhuc annis 1553 et 1590 conventus prohiberi debebant, ne guardianos instituerent vel deponerent[5]. In familia vero ultramontana vel saltem in magna eiusdem parte ius eligendi conventuum durante saeculo XVI lex permansit usque ad annum 1606, quo etiam in hac familia praeceptum est, ut guardiani in capitulo provinciali nominarentur, casibus extraordinariis exceptis, in quibus superiores maiores electionem guardiani extra tempus capituli conventibus committere possunt[6]. Sed haec quoque concessio mox sublata esse videtur, quo factum est, ut guardiani semper a solis definitoribus eligerentur, quod proponente ministro provinciali per ballotationem facere consueverant, quamquam temporibus anteactis non ubique idem eligendi modus valebat[7]. Interdum quoque praesertim in Germania tempore reformationis ecclesiasticae *guardianos titulares* invenimus, qui pro illis conventibus instituti erant, qui iniuria temporum interierant. Hi ad capitulum provinciale comparere, ibique electionibus et deliberationibus interesse poterant, quibus peractis eorum potestas exspirabat[8].

---

[1] Gub. I 456; III 669. [2] Gub. III 670. BD IV 468.
[3] Tabula geographica totius Ord. Min., Monachii 1680, 45. W XVI 277.
[4] Gub. III 601. [5] Ibid. 331 376. [6] Ibid. 286 599 669. W XX 276.
[7] Cf. BD III 89. [8] Gub. I 317.

Inconstantissimae erant ordinationes de *duratione muneris* guardianorum. Abhinc ad tempus vitae quidem non amplius sunt instituti, ceterum vero magnae apparent differentiae. Ab anno 1559 severe praeceptum est, ut idem non ultra triennium in eodem conventu guardianus permaneret[1]. Nihil tamen obstitit, quin tempore intermedio in omnibus capitulis et congregationibus deponerentur, alias vero processus canonicus instituendus erat. Triennio in munere peracto ad annum intersistere debebant, priusquam denuo eligerentur[2], quam ordinationem congregationes reformatae non raro ad annuam muneris gestionem extendebant. Sed tam pro interstitiis quam pro duratione muneris leges saepe dispensationibus mitigari debebant, quia damnum esse putabatur removere viros habiles ab officiis, in quibus se aptos praestiterant.

Quoad *proprietates* eligendorum ordo veteres constitutiones retinuit inculcando praesertim necessarium esse, ut guardiani sicut ceteri superiores in omnibus vitae communi interessent. In quibusdam regionibus renovata sunt vetera studia Observantium Italorum admittendi etiam *laicos* ad officia ordinis, praesertim ad guardianatum. Hac concessione permoti praecipue laici Recollectorum Galliae anno 1624 vocem activam et passivam respectu dignitatum ordinis flagitare ausi sunt[3]. Congregatio, cui hanc causam proposuerunt, eos ad proximum capitulum generale anno 1625 celebrandum remisit, quod eorum postulationes absolute reiecit. His non obstantibus adhuc bis congregationem vexarunt, usquedum Urbanus VIII anno 1630 praeciperet, ut renitentes punirentur, nisi perpetuum servarent silentium. Sed Daniel de Dongo, vicarius generalis, circa annum 1650 in Italia regimen laicorum denuo introducere conatus est, saltem in congregatione Reformatorum, qui id maxime studuerunt. Attamen et hic conatus contradicente ordine ad irritum cecidit.

Laici haec agendo id studuisse videntur, ut pro discretis capitulorum provincialium anno 1600 sublatis compensationem acciperent, utpote quia in eorum electionibus laici saepissime decisivum tulerant votum. Postquam conventus iura maximi momenti, videlicet facultates eligendi guardianos et discretos capitulorum, amiserunt, *capitulum locale* valorem suum perdidit, quapropter solum capitulum culparum ab antiquitus consuetum permansit. Illis tantummodo collegiis

---

[1] Gub. III 349. [2] Ibid. 249 669; IV 157.

[3] Gub. I 457 506. Sentence définitive de la S. Congrégation . . ., par laquelle est imposé silence perpétuel aux Frères Laics Recollects de France pour ne jamais demander ou pretendre droit de voix passive és elections. S. a. s. l. (ca 1625).

missionum, quae nulli provinciae sunt coniuncta, *capitula guardianalia* celebrare licet, in quibus guardiani eiusque consiliarii, *discreti locales,* eliguntur.

Etiam in ceteris conventibus guardiano sensim sine sensu *discretorium* adiunctum est, cuius membra ipse sibi non libere poterat eligere. Adhuc anno 1621 modus institutionis eorundem consuetudinibus provinciarum concessum est[1], postea tamen ordinatum est, ut in capitulo provinciali vel congregatione definitorum eligerentur. Numerus eorundem lege non erat destinatus, sed a magnitudine singulorum conventuum dependebat. Saepe saepius guardianis inculcari debuit consilium vel consensum discretorii petendum esse in omnibus negotiis gravioribus, quae in statutis continerentur[2].

Primus discretus, qui simul vices guardiani gerebat, erat *vicarius conventus,* cui in domibus maioribus etiam *vicarius chori* adiungebatur. Conventus minores, qui duodecim fratres non capiebant, vicarium non accipiebant, sed discreti senioris erat guardiano absente negotia suscipere[3]. Multis in locis adhuc circa annum 1700 vicarii ab ipso guardiano instituebantur, paulo tamen post hoc quoque negotium definitorio reservatum esse videtur[4]. Hoc facto auctoritas vicariorum valde crevit, quippe quia abhinc officiales lege praedestinati erant, qui vices guardiani suscipiebant, quotiescumque hic extra conventum morabatur, etiam tempore capituli vel mortuo guardiano, saltem quamdiu minister provincialis non aliter providerat. Hoc in casu antea a visitatore et discretis proprius praeses erat eligendus, qui conventum durante capitulo provinciali gubernaret[5].

Caput IV.

Ordinis influxus et industria.

A. Missio in sinu ecclesiae. Pugna contra haereses reformatorum.

§ 91. Ordinis relatio ad Protestantismum in communi.

Occasio proxima originis Protestantismi erat praedicatio indulgentiae illis concessae, qui media ad aedificandam basilicam S. Petri suppeditabant. Praeter alios etiam Franciscani praedicatores huius

---

[1] Gub. III 667. *Kerckhove* 469.
[2] *V. Haute,* Misc. IX 3. CC. GG. art. 492.
[3] Gub. III 506. [4] Chron. III 1, 473. [5] Gub. III 670.

indulgentiae constituti sunt, quamquam hoc munus ordinem in communi minime delectabat. Iam saeculo XV exeunte *Ioannes a Breitenbach,* Observans et professor universitatis Lipsiensis (Leipzig), contra indulgentiam ex causa simili concessam surrexerat; brevi ante originem reformationis Franciscanus quidam Parthenopoli (Magdeburg) publice contra Tetzel praedicaverat, et guardianus conventus Moguntini (Mainz), qui simul cum Albrechto de Brandenburg, Archiepiscopo, commissarius principalis omnium, quae ad hanc indulgentiam spectabant, constitutus erat, prudenter huic mandato se subtrahere noverat[1]. Demum anno 1525 Quiñones, minister generalis, a Pontifice impetravit, ut Minoritae ab officio praedicandi indulgentias cum oblationibus pecuniariis coniunctas liberarentur[2].

Idem Quiñones initio ad rixas Lutheranas ita se habuit, ut multi aequalium suorum, qui optimi erant catholici, quique modum agendi audacis huius viri tamquam originem reformationis ecclesiasticae diu desideratae gaudenter approbarunt, quippe quia ostentatione veritatum antiquarum christianismi et arcta coniunctione cum Christo et cum sacra scriptura decepti sunt. His consensit confessarius Caroli V *Ioannes Glapion*[3], Franciscanus ex Germania inferiori, qui censuit ecclesiam bonos fructus excerpere posse ex scriptis *Lutheri,* qui, dummodo certos articulos revocaret, optime ad ecclesiam reformandam posset adhiberi. Illi tamen fratres, qui loco, ubi hae perturbationes religiosae agebantur, vicini erant, indolem Lutheranismi melius perspexerunt. Conventus *Iueterbogensis* prope Wittenberg duce *Bernardo Dappen* iam tempore verno anni 1519 fortiter contra novatores se gessit, qui hac occasione primum Lutherani appellati esse videntur[4]. Scriba libelli, quem hic praecipue intendimus, „Vere timeo", ait, „quod anguis lateat in herba", ostendens non amplius de re reformationis agi, sed iam plenam separationem a Pontifice, abolitionem confessionis etc. evocatam esse. „Contra huiusmodi errores pestiferos publicis concionibus clamitare non cessamus, parum tamen aut nihil proficimus." Fratres enim tamquam seductores et

---

[1] *F. W. Woker,* Geschichte der norddeutschen Franziskanermissionen, Freiburg i. Br. 1880, 29 34.

[2] W XVI 206.

[3] *S. Dirks,* Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance en Belgique et dans les Pays-Bas, Anvers 1885, 41. *Janssen,* Geschichte des deutschen Volkes II[12] 153.

[4] Articuli per fratres Minores de Observantia propositi reverendissimo episcopo Brandenburgensi contra Lutheranos . . . *Fr. Bernhardus Dappen,* Ord. Min. [1519].

exstinctores evangelii delusi sunt! Albrechtus, Cardinalis et Episcopus Brandenburgensis, quem auxilii petendi gratia adierunt, penitus ineptum se praebuit, immo, cum paulo post minister provincialis ipse pro fratribus suis facultatem peteret praedicandi libere contra Lutherum, ipse id fieri recusavit[1]. Ita fortissimi defensores rei catholicae vi impediti sunt, quominus in ipsa officina totius actionis operam suam explicarent. Cumque oculi Episcopi aperirentur, malum non amplius erat sanandum.

Lichettus, minister generalis, ab intio haud dubie contra Protestantismum se gessit. Cum enim anno 1520 in Germaniam venisset, ut prov. S. Io. Baptistae, quae ad Observantes transierat, reformaret, praecepit, ut scripta Lutheri ubique comburerentur et in singulis domibus boni praedicatores constituerentur, qui haeresi obsisterent[2]. Anno sequenti capitulum generale Carpiense (Carpi) deprecationes pro servanda fide catholica praescripsit, simul fratribus inculcans, „ut divini verbi gladio et sacrae theologiae telo (haeresi) usque ad sanguinem resistatur“ [3]. Mandante eodem capitulo Observantes Saxones duce *Andrea Grone*[4], zelosissimo propugnatore, principem electorem Saxoniae instantissime adierunt, ut doctrinam Lutheri reprimeret, quin tamen successum haberent. Denique capitulum generale anni 1523 inquisitores pro conventibus in Germania sitis instituit, ut a haeresi, quatenus fieri potuit, incolumes servarentur[5].

Quomodo ergo fratres his ordinationibus ab ordine datis responderunt? Quicumque iuste vult iudicare, imprimis Observantes a Conventualibus stricte discernere debet, id quod multis in casibus facile quidem non est, quia populus utrique parti ordinis nomina Minoritarum, Franciscanorum, Nudipedum et Fratrum griseorum promiscue imponebat. Accedit, quod hucusque sortes multorum conventuum non satis cognoscuntur, ut possibile sit ferre iudicium certum et universale. Attamen consideratis documentis adhuc notis dicendum esse videtur *Conventuales* in multis locis partes parum honestas egisse et multos apostatas[6] produxisse, quae proh dolor! etiam de *monasteriis Clarissarum* ipsis subiectis valent. Paulo melius Conventuales

---

[1] *Woker* 32 129. [2] W XVI 104. [3] Gub. III 247.

[4] *L. Lemmens,* Niedersächsische Franziskanerklöster 42 nota 3.

[5] W XVI 146.

[6] Notissimi eorum sunt: Antonius Weins in Bonn, Balthasar Maler et Sebastianus Mayer in Bern, Sebastianus Hofmeister in Zürich, Ioannes Schmid (Rotfuchs) in Rottenburg a. T., Petrus Pfeiffer vocatus Komberger in Frankfurt a. O., Marcellus Bernsheimer in Hagenau.

(Martinistae) prov. Saxoniae S. Io. Baptistae se gesserunt, qui etiam *Ioannitae* vocabantur, quique anno 1518 oboedientiae ministri generalis se submiserant, sed non amplius opportuno tempore reformari poterant, saltem non modo Observantiae congruo. Ex his quoque integrae communitates a fide defecerunt multis fratribus singulis, qui apostatarunt, omissis [1]. Attamen reticendum non est etiam multas domus Conventualium haeresi fortiter restitisse et multos Conventuales tam verbo quam scripto haud dubie religionem catholicam defendisse. In his nominandi sunt imprimis audax ille *Thomas Murner* [2] († 1537), Argentinensis (Straßburg), *Patroclus Boickmann* [3] ex provincia Coloniae, *Gervinus Haverland* in urbe Soest [4] et *Camers* (Giovanni Ricuzzi Vellini ex urbe Camerino), theologus Viennensis (Wien) [5].

Igitur, si affirmatio ordinem Minoritarum reformatione indiguisse, idque non solum in paupertate, sed etiam in tota disciplina regulari, adhuc demonstratione eguit, eam saeculum XVI praecipue pro Germania horribili modo attulit. Fratres vero reformati, Observantes, tunc temporis honorem ordinis Minoritarum in Germania et alibi servaverunt, idealia sua vetera exemplo, verbo et scripto instar leonum defendentes. Quod nos hucusque noverimus, certum est nullam societatem religiosam usque ad finem concilii Tridentini tot tantosque propugnatores fidei catholicae produxisse ac Minoritas Observantes solos [6]. Heroes in pugna occisi contumeliis non afficiantur! Merito enim protestantur contra accusationem saepe universaliter prolatam ordines relaxatione disciplinae reformationi ecclesiasticae materiam ministrasse, nam quatenus Observantes tanguntur, contrarium ex testimoniis haud dubiis constat. *Franciscus Hanisch*, apostata, adhuc diu, postquam a fide defecit: „Notum est“, ait, „hos monachos per multos annos non solum Vratislaviae (Breslau), sed etiam in aliis civitatibus et terris magni aestimatos et omnium

---

[1] Famosissimi eorum sunt: Io. Briesmann ex Cottbus, Conradus Fröhlich in Braunschweig, Conradus Lüdecke in Hildesheim, Stephanus Kempen in Hamburg. Io. Löwe in Hof, Ioachim Schnabel in Breslau.

[2] *Eubel,* Geschichte der oberdeutschen Minoritenprovinz 68. *Janssen* II [12] 123; VI [12] 212.

[3] Sbar. SS. 574.

[4] *Eubel,* Geschichte der kölnischen Minoritenprovinz, Köln 1906, 183.

[5] *G. E. Friess,* Geschichte der österreichischen Minoritenprovinz: Archiv für österr Gesch. LXIV 1, 161.

[6] Cf. *N. Paulus,* Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther: Erläuterungen und Ergänzungen zu Janssens Geschichte IV.

clericorum piissimos habitos esse.“ Diploma Lignitii (Liegnitz) tempore reformationis conscriptum eos „equites Christi“ appellat traditque etiam protestantes eos, cum e civitate pellerentur, conquestos esse, quia decus totius Silesiae fuissent, neminem offendissent, sed multos ad servitium Dei perduxissent[1]. In Germania superiori infelix ille *Conradus Pellikanus,* qui magnam partem ordinis viderat, novem annis post apostasiam suam scripsit: „Nulla profecto me hora invitum vixisse in minoritico ordine, quandoquidem a puero persuasum habui, Deo placere institutum illud vivendi, *in quo nollem hodie quoque non me vixisse* et nutritum in iuventute certe *cum viris Deum timentibus et honestis et in odio omnis iniquitatis, ut in papistico regno nullum hodie credam ordinem fuisse meliorem.*“ [2] Alius Observans apostata, *Eberlinus a Günzburg,* novatores praemonet, ut caveant religiosos praesertim Observantes, qui omnium sint periculosissimi: „Hi sunt Nudipedes vel Franciscani, non illi leves non reformati, sed reformati, severi Observantes, sancti patres, qui in omnes terras, in omnes civitates, immo in omnes vicos et domus christianitatis irrumpunt, hominibus optime se praesentant, cordibus populi se ingerunt praedicando, consulendo et confessiones audiendo.... Ipsi verbis, operibus et desideriis caste conversantur — maioritatem dico, nam si inter centum unus aliter ageret, mirum non esset —; si quis eorum peccat, graviter punitur, ut sit aliis exemplum.“ [3] Ita facile intelligimus Observantes summa vi novatoribus obsistere potuisse, ita ut *Lutherus* suos asseclas hortaretur, ut arma sua principaliter contra Franciscanos verterent[4]. Putavit enim eos sibi esse infestissimos, idque, prout patebit, non immerito.

Igitur Paulus III anno 1537 hoc iudicium de fratribus poterat ferre: „Fratres Ord. Min. de Observ. ... pro catholicae fidei tuitione plurimum laborarunt et in dies laborare non cessant multosque a Lutherana perfidia sua exemplari vita salubrique doctrina, prout intelleximus, revocarunt et revocant.“ [5] Haec sane non de universis Observantibus dici possunt, nam etiam inter hos apostatae inveniebantur, quorum praeter Eberlinum et Pellikanum famosissimi erant: Franciscus Lambertus Avenionensis, Fridericus Myconius de Lichten-

---

[1] *J. Soffner,* Der Minorit Michael Hillebrant, Breslau 1885, 11. Testimonium pro ditione Lüneburg vide apud *Lemmens,* Niedersächsische Franziskanerklöster 41.

[2] *N. Paulus,* Kaspar Schatzgeyer 61 nota 2.

[3] *P. Minges,* Geschichte der Franziskaner in Bayern 63.

[4] *Paulus* 139.

[5] W XVI 443.

fels et Burkardus Waldis in Riga. In summa modo vix 20 Observantes[1] nominari possunt, qui durantibus primis sex decenniis saeculi XVI intra limites linguae Germanicae ab ordine et a fide defecerunt. Quia vero haec pars historiae reformationis non satis est perscrutata, dubium non est, quin plures fuerint. Attamen ut 100 fuerint, quid est si comparantur ad 2000 Observantium, qui tunc temporis in provinciis Germaniae superioris, Saxoniae et Coloniae inveniebantur? Quid est, si comparantur ad ceteros clericos et monachos, quorum milia facti sunt apostatae?

Contra hos apostatas ordo 500 fratres afferre potest, qui ab anno 1520 usque ad annum 1620 sanguinem suum pro fide fuderunt[2]; item *rationem agendi ipsarum communitatum Observantium,* quarum *nulla,* quantum hucusque novimus, *sponte sese dissolvit, ut ad haereticos transiret*[3]. Eadem valent de *monasteriis Clarissarum* ipsis subiectis, quae, velut monasterium Norimbergense (Nürnberg) sub exemplari abbatissa *Charitas Pirkheimer*[4], heroica testimonia suae fidei reliquerunt. Sed in urbibus, quae reformationem receperant, monachis et monialibus, qui a fide et ordine deficere recusabant, „minus misericordiae est exhibitum, quam in inferno“[5]. Absque misericordia habitatores claustrorum expulsi, vel, si felicissime accidit, omnino prohibiti sunt publice operari et nova membra recipere, quo statuto necessario paulatim extingebantur. In his angustiis fratres domus suas interdum sponte relinquere, quam in otio perire praetulerunt, quod mirum non est, nihilominus autem vituperari debet[6], quia hoc facto ordinarie omnia iura in suum conventum concesserunt. Accedit, quod propter libellos contra religiones conscriptos et a novatoribus in populum distributos etiam catholicos monachorum taedere in-

---

[1] Henricus a Kettenbach in Ulm, Io. Guttenberg in Heilbronn, Io. Fritsch (Fritzhans) in Magdeburg, Franciscus (Raphael) Hanisch in Breslau, Io. Schwan, Io. Luthard et Sebastianus Münster in Basel; num Io. Kreiß in Basel, Io. Hafenbrack in Ulm et Fleck in Leipzig, qui circa annum 1520 Lutheranismum redolerunt revera facti sint apostatae, non novimus. Num sequentes Observantes an Conventuales fuerint, dubium est: Aegidius Mechler in Erfurt, Casparus Cottermann in Goslar, Iacobus a Schoenebeck in Wittstock, Burkardus Leykham ex Neustadt et Henricus Spelt.

[2] *Witte* (S. Francisci Genealogia 4 sq) 460 nominatim adducit.

[3] Haec valent de illis tantummodo conventibus, qui iam *ante originem reformationis* Observantium fuerunt. Cf. W XV 344.

[4] *F. Binder,* Charitas Pirkheimer[2], Freiburg 1878.

[5] *Janssen* II[12] 362.

[6] AF II 570.

cipiebat, quapropter eleemosynae et vocationes ad vitam religiosam defecerunt. Quia igitur fratres non habebant unde viverent et novi collaboratores non successerunt, multos conventus relinquere debebant. Ita totus ordo Franciscanorum in sola Germania et Austria 300 circiter domus amisit [1]. Fratres exules partim in conventus reliquos se receperunt, partim in saeculo manserunt, ut mutato habitu dispersis catholicis subvenirent vel parcum sibi compararent victum. In summa eorum sortes tristissimae fuerunt, quae chronista provinciae Saxoniae his verbis depingit: „Fratribus vel occisis, incarceratis, violenter eiectis, fame et siti enecatis vel penuria rerum necessariarum abeuntibus vel paulatim exstinctis, nullis succedentibus." [2]

Tempore *antireformationis,* quae a fine concilii Tridentini incepit, res, etsi paulatim, ad meliorem statum evectae sunt. Interea veteres pugnatores magnam ad partem interierant, sed eis successerunt novae auxiliares ecclesiae, praesertim Iesuitae et Capuccini, qui optime de spiritu catholico renascente et de conversione errantium meriti sunt. Attamen et ordines veteres strenue eis allaboraverunt, praecipue Observantes, qui tunc temporis ubique locorum multos conventus novos accipiebant, ut detrimenta saeculi XVI abunde compensata sint. Sed opera horum virorum post concilium Tridentinum longe facilior erat ac antea, nam, imprimis dubitatio in quaestionibus theologicis erat finita, deinde — quod maximi est momenti — potestas saecularis propugnatores catholicos ubique protexit eorumque studiis successum comparavit, idque, si erat necessarium, etiam vi adhibita. Longe aliter res in principio reformationis se habuerant; in plurimis namque urbibus et ditionibus potestas saecularis contra defensores ecclesiae veteris viribus processerat omnibus. Nisi hi omnes vires suas intendissent, etiam principes inter utramque partem fluctuantes probabilissime ad adversarios transiissent, quo facto antireformationi non amplius fuisset locus. Quod Germania et Austria non totaliter Protestantibus cessit, non solis antireformatoribus debetur, sed multo magis propugnatoribus fortibus omnium castrorum catholicorum, qui in primis decenniis saeculi XVI procellae innovationis religiosae obsistere ausi sunt, quique immerito in oblivionem venerunt.

---

[1] *F. Huber,* Dreyfache Cronickh von dem dreyfachen Orden S. Francisci . . . in Ober- und Nider-Teutschland, München 1686, passim.

[2] *Woker* 37.

§ 92. Quidam propugnatores rei catholicae in Germania septentrionali.

Postquam fratres provinciae Saxoniae, antequam Lutherus a Roma plenarie descivisset, in pugnam processerunt, mox ubique inter eos et novatores certatum est. In urbe Leipzig *Augustinus ab Alfeld*[1] († 1532) anno 1520, vel paulo ante, defensionem fidei catholicae suscepit, quo in negotio eum totus conventus adiuvit. Cumque anno 1539 dux Saxoniae hanc civitatem Lutheranismo traderet, Minoritae tantam explicarunt resistentiam, ut princeps stricte prohibere cogeretur, quominus domus civium adirent, ut ipsos ad constantiam in „fide Papali“ hortarentur[2]. Tunc temporis dux fratrum erat *Casparus Sasgerus*[3] (Sager), guardianus conventus Lipsiensis, qui ante minister provinciae Saxoniae fuerat, quique praedicationibus suis et scriptis iamdudum notus erat. Attamen contra vim externam non est resistentia et fratres anno 1543 e civitate pulsi sunt. Iam anno 1525 civitatem *Zwickau* reliquerant, qua occasione consul (maire) secundarius intercedere debuit, ne lapidarentur a Lutheranis. Eodem tempore in regionibus regni moderni Saxoniae *Franciscus Seiler*[4], guardianus montis S. Annae (Annaberg), et *Iacobus Suedoricus*[5] (Schwederich), professor in universitate Dresdensi, fidem catholicam scriptis suis defenderunt.

In Thuringia conventus *Vinariensis* (Weimar) adiuvante Augustino ab Alfeld omnem contulit operam, ut haeresim arceret, sed sine successu, quapropter fratres anno 1532 processionaliter urbem reliquerunt in via hymnum Te Deum cantantes, quamquam nesciebant, ubi aspera hieme sub noctem hospitium invenirent[6]. In regione civitatis vicinae *Erfurt Conradus Clingius* (Kling † 1556)[7] rei catholicae eximie profuit. Hic vir, qui anno 1520 magister theologiae et anno 1529 concionator ecclesiae cathedralis factus est, curam catholicorum Erfordensium suscepit, quorum conditio ad tempus erat tristissima. Quamquam verbo et scripto multos fluctuantes in fide confirmavit et multos apostatas ad ecclesiam reduxit, tamen Quirogae, inquisitori Hispanico, opportunum esse videbatur omnia eiusdem scripta absque conditione in indicem referre. Praeter Clingium etiam *Casparus*

---

[1] *L. Lemmens,* Augustin von Alfeld, Freiburg i. Br. 1899.

[2] *Woker* 33. [3] Ibid. 38. Der Katholik 1892, I 558.

[4] *Lemmens,* Augustin von Alfeld 21.

[5] Sbar. SS. 377. Allgem. deutsche Biographie XXXIII 325.

[6] *Woker* 34. [7] Der Katholik 1894, I 146.

Meckenlör[1], guardianus conventus Arnstadiani (Arnstadt) ab Erfurt non longe distantis, pluribus scriptis fidem catholicam defendit.

In urbe *Magdeburg* conventus Minoritarum praesidium rei catholicae erat, quo factum est, ut vulgus Lutheranum in fratres praedicantes lapides iaceret et conventum obsideret. Cum vero fratres demum violentiae non amplius resistere possent, anno 1542 bini et bini rosarium recitantes urbem reliquerunt[2]. Etiam in civitate *Brandenburg* Franciscani „obstinatos“ se praebentes post diuturnas disputationes fidem novam recipere recusarunt; similia facta sunt in urbe *Hallensi a. S.*, ubi conventus anno 1546 a militibus et civibus expugnatus est. Guardianus huius conventus erat *Ioannes Datoris*, ex-minister provincialis, qui laudatur, quod indefesse contra haeresim pugnavit[3].

Etiam fratres in ditione *Brunsuigana* (Braunschweig) exsistentes reformationi omnibus obstiterunt viribus. In civitate *Celle Matthias Teufel*, guardianus, anno 1524 cum praedicantibus Lutheranis disputans apostasiam multorum represserat, qua efficacia factum est, ut quattuor annis post totus conventus supprimeretur[4]. In urbe Braunschweig ab anno 1520 doctus ille *Eberhardus Runge* de epistola ad Romanos contra expositionem Lutheranam praedicavit. Alius praedicator, *Ioannes* nomine, adhuc per aliquos annos impedivit, ne populus a fide deficeret, usquedum anno 1528 omnes fratres praedicare et paulo post etiam in urbe commorari vetiti sint[5]. Simili fato cesserunt Franciscani in *Gandersheim*, quorum guardianus *Henning Ricke* novatoribus prompta audacia restiterat[6]. In *Göttingen* fratres omnibus promissionibus urbis fortiter restiterunt, quae cum videret, se nihil proficere, primum *Andream Grone*, concionatorem conventus, in exilium pepulit, deinde paulo post *Christophorum Mengershausen*, guardianum, denique anno 1533 fratres universos. Magistratus curam pro fratribus senioribus suscipiendam proposuit, cui ipsi responderunt: „Nos omnes, iuvenes et senes, superiores et subditi auxilio Divino freti ab invicem non discedemus.“[7] In ditione Brunsuigana etiam *Franciscus Polygranus*[8] operatus esse videtur, qui ab anno 1524 scriptis suis populum catholicum in fide confirmare studuit. Cum Henricus, dux Brunsuiganus post cladem foederis Smalcaldici (Schmalkalden) anno 1547 ducatum suum recuperasset, veterem religionem restituere co-

---

[1] Ibid. 1893, II 218. [2] *Woker* 35. [3] Ibid. 36 38. [4] Ibid. 32.
[5] Ibid. 356. *Lemmens*, Niedersächsische Franziskanerklöster 57.
[6] *Woker* 365. [7] *Lemmens* 63. [8] Ibid. 44.

natus est, quo in negotio praesertim *Henricum Helmesium*[1] (Helms) Minoritam adhibuit. Hic vir tamquam concionator ecclesiae cathedralis Coloniensis et scriptor operum polemicorum clarissimus, qui provincia Saxoniae in periculis versanti subvenerat, saepius ibidem minister provincialis factus est. In Brunsuigam citatus praedicando urbes Wolfenbüttel, Gandersheim et Halberstadt perlustrabat, ubi fratres mediis nequissimis urgebantur, ut a fide deficerent.

In Slesvigo-Holsatia (Schleswig-Holstein) doctus ille *Ludovicus Naamann*[2] († 1574) subtilissimus defensor et illustrissimus advocatus fidei catholicae erat. Conventu Flensburgensi anno 1530 sublato ipse se contulit ad conventum urbis Schwerin, cuius guardianus *Thomas Regius*[3] verbo et scriptis catholicos defendit.

In urbe Thorn Borussiae occidentalis, quae tunc temporis pars regni Poloniae erat, *Bernardinus Gebron* assecutus est, ut libri haeretici publice comburerentur. Idem ipse studiis magistri equitum Teutonicorum apostatae, quantum fieri potuit, obstitit[4]. In Silesia moderna, cuius Observantes tunc temporis iure saltem ad provinciam Bohemiae pertinebant, egregius propugnator rei catholicae inventus est *Michael Hillebrant* ex Schweidnitz[5]. Eius confratres in Silesia optime se gesserunt; integritate vitae suae tantum sibi influxum in populum comparaverunt, ut ubique expellendi essent, priusquam reformatio posset introduci. Praecipue in Liegnitz industria *Antonii a Breslau* valde laudatur, nam maior pars populi fidem catholicam firmiter retinuit, quamdiu ipsi praedicare licebat, neque Protestantismus potuit perfici, priusquam Antonius cum suis confratribus anno 1524 e civitate esset pulsus[6]. Anno 1531 in civitate Großglogau *Eusebius ex Neumarkt* dioeceseos Vratislavensis (Breslau) mortuus est, qui tamquam „haereticorum debellator“ celebratur[7].

Provincia Coloniae Observantium, quae anno 1529 magnam partem conventuum suorum provinciae Germaniae inferioris concedere debuit, aeque ac provincia Saxoniae multos bellatores fortes produxit, qui operam suam praecipue Moguntiae et Coloniae impenderunt, quippe quae inter urbes ad Rhenum sitas maximi essent momenti. Moguntiae

---

[1] *Woker* 38 75 368. Sbar. SS. 337.

[2] Der Katholik 1901, II 327.

[3] Interdum vocatur Henricus Regius. Cf. W SS. 166. *Woker* 38.

[4] *[Guggenbichler,] Gaudentius*, Beiträge zur Kirchengeschichte des 16. und 17. Jahrhunderts, Bozen 1880, 18.

[5] *J. Soffner*, Michael Hillebrant aus Schweidnitz, Breslau 1885.

[6] Ibid. 9. [7] *Greiderer* I 857.

Ioannes Ferus[1] (Wild, † 1554), Suevus, ab anno 1528 usque ad mortem praedicavit, idque durantibus ultimis 15 annis tamquam concionator ecclesiae cathedralis. Huic viro „unico Germaniae ac singulari ornamento" Moguntia non postremo debet, quod catholica permansit. Cum anno 1552 haec urbs ab Albrechto marchione Brunsuigano Protestante occuparetur, Ferus solus omnium clericorum non aufugit; cumque a principe interpellaretur, ut habitum suum deponeret, optime respondit: „Gratiosissime Domine! haec vestis, qua ultra 30 annos vestitus sum, nunquam in minimo me offendit; quare igitur eam nunc deponam?" In numero multorum scriptorum, quae edidit, maximi momenti habetur collectio concionum, quae postilla vocatur, quaeque innumeris paene vicibus edita, in multas linguas Europaeas versa et adhuc saeculo XIX homiliis patrum collata est. Archiepiscopus Moguntinus clericis suis mandavit, ut eandem sibi compararent, synodus in loco Mühldorf anno 1533 congregata eius usum clero Bavaro commendavit et in multis regionibus conciones ex postilla Feri decerptae habebantur. His non obstantibus primum in indicem Lusitanum, deinde in Hispanum relata est, a quo probabiliter errore in indicem Romanum transiit. Inter praedicatores, qui Fero Moguntiae successerunt, *Franciscus Kravendon* († 1572 idem ac Ioannes Gravendunk) commemorari meretur, qui etiam ad aedificationem populi postillam edidit[2].

Etiam *Coloniae* Observantes vicini conventus Brühlensis saepe inter concionatores ecclesiae cathedralis assumpti sunt, quorum clarissimus *Nicolaus Ferber ex Herborn* in Nassovia[3] (Nassau, † 1535) fuisse videtur, qui, priusquam Coloniam veniret, „tamquam unicus defensor ecclesiae in Hassia (Hessen)"[4] Philippum lantgravium, ab apostasia reprimere studuit, quare cum suis confratribus ex Marburg expulsus est. Inde discessit in metropolim Rhenanam, ubi ab anno 1527 influxum decisivum in propulsationem Protestantismi exercuit. Fama operum eius fines Germaniae excessit, quo factum est, ut eum Episcopi Daniae anno 1530 adiutorem in pugna contra innovationem fidei advocarent. Ibi *Confutationem lutheranismi Danici,* „opus maximum et optimum, quod Dania catholica tempore reformationis produxit", brevi conscripsit[5].

---

[1] *N. Paulus,* Johann Wild, Köln 1893. [2] W SS. 121. Sbar. SS. 259.

[3] *L. Schmitt,* Der Kölner Theologe Nik. Stagefyr und der Franziskaner Nik. Herborn, Freiburg 1896.

[4] Der Katholik 1891, I 454.

[5] *Schmitt* 5. Hoc opus impressum est Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1902.

Antonius Broickwy (Bruich) ex Königstein[1] († 1541), praedecessor Nicolai Ferber in officio concionatoris ecclesiae cathedralis Coloniensis, qui plura scripta ad instructionem catholicorum edidit, etiam optimis praedicatoribus saeculi XVI annumerandus est. Eodem tempore Coloniae duo Observantes laborarunt, quorum personae saepe confunduntur, videlicet *Ioannes Hallerus,* Corbachius, (Heller ex Korbach) qui etiam in Siegen et Düsseldorf cum praedicantibus disputavit[2], et *Ioannes a Deventer,* minister provinciae Coloniae et defensor rei catholicae Monasterii (Münster) in Guestfalia[3]. Tempore, quo Hermannus de Wied, Archiepiscopus, Protestantismum in suam dioecesim introducere cogitavit, *Stephanus Zevenär* provincialatum praedictae provinciae susceperat, qui, ut exitium, quatenus fieri potuit, averteret, *Servatium a Noetberg* († 1567), optimum controversistam suae provinciae, ad urbem Brühl citavit, ubi Archiepiscopus saepe morabatur. Ibi Servatius contra Butzer et Melanchthonem tanto zelo operatus est, ut studia reformationis introducendae ad irritum caderent[4]. Praeterea in eisdem locis commemorari merentur *Hermannus a Confluentia*[5] (Koblenz † ca 1554), *Christianus Honsius*[6] (ab Honnef?) et *Simon Croëse*[7] († ca 1545), qui in ducatu Iülich novatoribus obstitit.

Numerosos propugnatores provinciae *Germania inferioris* alibi tractabimus. Duos tamen hic iam commemorabimus, qui iam ante divisionem provinciae Coloniae magna operati sunt, videlicet *Matthiam Weynssen*[8] ex Dordrecht († 1547) et *Franciscum Titelmans*[9] ex Hasselt († 1537), qui, postquam plurima opera conscripsit, in Italiam secessit, ibique Capuccinis se adiunxit.

Summum quoque zelum provinciae Germaniae septentrionalis post concilium Tridentinum, *tempore antireformationis* vel restaurationis catholicae ostenderunt. Notanda sunt, quae in chronicis illius temporis saepe reperimus, videlicet, etiam haereticos multis in locis tunc Franciscanis amorem et reverentiam exhibuisse. Fanatismo quippe priori exstincto vetus amor populi ad filios S. Francisci iterum revixit. De laboribus antireformatoriis provinciae Coloniae authentica documenta usque ad nostra tempora pervenerunt, ex quibus patet fratres ibi exsistentes multas civitates et vicos, velut Alzey, Kaiserslautern,

---

[1] *Dirks* 47. Sbar. SS. 72. [2] KL V² 1751. *Schmitt* 166.
[3] KL VI² 1650. *Dirks* 46. Sbar. SS. 407 432.
[4] *Gaudentius* 296. [5] Der Katholik 1892, I 552.
[6] W SS. 89. *Janssen* IV¹² 454. [7] *Gaudentius* 18.
[8] *Dirks* 34. [9] Ibid. 49.

Wolfstein, Kreuznach, Naumburg, Stromberg etc.[1], religioni catholicae vel partim vel totaliter iterum recuperasse. De dispersis fratribus colligendis, de ordinata vita communi introducenda et de fide propaganda *Ioannes Haye*[2] optime meritus est, qui anno 1581 commissarius Apostolicus provinciarum Coloniae et Germaniae inferioris factus est, quo in munere Gebhardo Truchseß, apostatae Archiepiscopo Coloniae, liberrime obstitit. Maioris adhuc momenti erat *Nicolaus Vigerius*[3] (Wiggers † 1628), qui iam, cum esset sacerdos saecularis, per viginti annos catholicos per Hollandiam dispersos visitaverat et consolatus erat. Postquam *Seminarium Hollandicum* ad bonos pastores animarum educandos Coloniae fundaverat, in hac provincia ordinem ingressus est, cuius disciplinam perturbationibus ecclesiasticis collapsam restauravit. Cumque haeresis Coloniae circa 1610 iterum invalesceret, egregiis praedicationibus suis eandem iterum repressit. Ad provincialatum assumptus missiones in Suecia, Norwegia et Frisia fundavit, praesertim vero in Hollandia, cuius incolae gloriantur, quod ipse „Apostolus patriae suae et fidei columma“ fuit[4]. Vigerium imitatus est *Ioseph Bergaigne,* eius successor in provincialatu, qui anno 1647 mortuus est tamquam Archiepiscopus Cambracensis (Cambrai) et legatus Hispaniae in actionibus de pace Guestfalica. Etiam *Bernardinus Wetweis* († 1668) magnum numerum haereticorum iterum ad ecclesiam reduxit[5].

Idem Bergaigne in officio commissarii generalis Germaniae provincias Saxoniae et Thuringiae, quae interierant, denuo constituit. Conventui *Halberstadtensi,* qui solus omnium in his regionibus reliquus erat, mox multae domus novae accesserunt, quae factae sunt totidem firmamenta missionum late patentium atque laboriosarum, quas fratres susceperunt in Franconia, Württemberga, in ducatibus Saxoniae, in Brunsuiga, Frisia orientali et in ditionibus, quae vocantur Bergisch-Märkisch-Ravensburgisch[6]. Integra loca illarum regionum, velut Warendorf, Rheine, Wipperfürth, provincia Vechta in Oldenburgo, Limburg etc. conservationem vel restitutionem fidei

---

[1] *[P. Marchant,]* Lucerna fidei per Fratres Minores regularis ac strictioris Observantiae in Palatinatu et nonnullis provinciis Germaniae accensa, Gandavi s. a. [1651]. *Gaudentius* 294. *P. Schlager:* Pastor bonus XV (1903) 367.

[2] W XXI 531. *Gaudentius* 297.

[3] Histor.-polit. Bl. CXXXVI (1905) 717 803.

[4] Ibid. 813. *Gaudentius* 298. [5] *Gaudentius* 300 302 319.

[6] Ibid. 313. *Woker* 159 412 547 619. *Marcellinus a Civ.* et *Theoph. Domenichelli,* Epistolae Missionariorum O. S. Francisci ex Frisia et Hollandia, Quaracchi 1888.

catholicae operae pacificae horum missionariorum debent[1]. Multos catholicos inter Protestantes dispersos mutata veste confirmarunt et consolati sunt, idque saepe sub maximis periculis et laboribus, qua occasione non pauci vitam suam amiserunt[2].

§ 93. Quidam propugnatores rei catholicae in Germania meridionali et in Austria.

In provincia Observantium Germaniae superioris *Casparus Schatzgeyer*[3] (Sasgerus, † 1527) absque dubio praestantissimus adversarius Lutheri erat, qui tam in officio ministri provincialis, quam in officio guardiani Monacensis ab anno 1522 indefesse contra reformatores scripsit et praedicavit, quique moriens adhuc calamum contra novatores strinxit. Non sine causa affirmatum est Casparo Schatzgeyer et aliis Franciscanis Monacensibus magnam ad partem deberi, quod gubernium Bavaricum ab initio strenue pro ecclesia catholica intercessit[4]. Certum est eos tunc temporis non exiguo influxu in curiam Bavaricam gavisos esse; Schatzgeyer anno 1524 membrum illius commissionis factus est, quae mandante gubernio puritati fidei invigilabat. Cumque anno 1543 omnia eius opera ederentur, duces Bavari omnes praelatos, collegia ecclesiastica et sacerdotes curatos hortati sunt, ut eadem sibi compararent, idque, si necessarium esset, pecunia ex fundationibus ecclesiasticis desumpta.

Eodem tempore *Ioannes Apobolymaeus* (Findling)[5], successor Caspari Schatzgeyer in cathedra theologica Ingolstadiensi, calamum ad defensionem fidei veteris arripuit, quem paulo post secuti sunt *Ioannes Horn*[6], concionator Monachii et *Mauritius Rasch*[7], praedicator in Ingolstadt, Lenzfried et Kelheim. Maioris adhuc momenti *Wolfgangus Schmilkofer*[8] († 1585) qui primum in urbe Landshut, deinde Monachii in officio ministri provincialis, guardiani et praedicatoris labores Apostolicos exercuit, cuiusque opera chronista his verbis laudat: „Nemo Lutheranismo gliscenti tam fortiter restitit, ac P. Wolfgangus, quem aliquando Bavaria laudibus extollet.“[9] Cum hic guar-

---

[1] *Woker* 53 59 61. *Huber,* Dreyfache Cronickh 703 755 1021.

[2] *Gaudentius* 328.

[3] *N. Paulus,* Kaspar Schatzgeyer, Freiburg i. Br. 1898.

[4] *Minges,* Geschichte der Franziskaner in Bayern 73.

[5] Der Katholik 1892, I 550; 1900, II 90. [6] *Minges* 96.

[7] Ibid. Der Katholik 1892, I 545. [8] Ibid. 559; 1896, II 573.

[9] *Huber* l. c. 559.

dianus conventus Monacensis esset, ibi *Ioannes Nas*[1] († 1590) inter novitios laicos receptus est, qui pugnator acerrimus verboque potentissimus futurus erat, non solum in scriptis sed etiam in praedicationibus suis. In urbe Straubing anno 1566 id effecit, ut magistratus et cives insimul haeresim relinquentes iterum fidem catholicam reciperent. Postquam plura officia ordinis gessit, primum concionator ecclesiae cathedralis Brixiensis (Brixen), deinde concionator aulicus in Innsbruck, denique anno 1580 Episcopus auxiliarius in dioecesi Brixiensi factus est.

Cum igitur conventibus provinciae Germaniae superioris in Bavaria sitis propter rationem agendi gubernii nihil esset timendum, ceteris conventibus eiusdem provinciae triste fatum mansit. In urbe *Nürnberg* „Protestantes eo praecipue exacerbati sunt, quod in numero clericorum urbis monachi paene soli adversarii novae fidei erant et quod, ut primum occasio erat, ostendebant, se putasse se esse vocatos, ut instar aggeris impetui Lutheranismi obsisterent.“[2] Praesertim *Ioannes Winzler*[3] ex Horb († 1554), concionator ecclesiae Minoritarum et lector theologiae in ipsis excelluit, quapropter iam anno 1522 urbem relinquere debuit. Eidem fato cessit *Ieremias Mielich*[4], praedicti successor, qui opus suum Apostolicum in urbe Landshut continuavit. Cum vero in disputatione in Nürnberg religionis gratia anno 1525 instituta *Michael Frieß*[5], guardianus, advocatus catholicorum exstitisset, Franciscani omnino prohibiti sunt publice operari. Ipsi tamen nullis persecutionibus cesserunt, usquedum anno 1562 ultimus eorum moreretur.

In civitate vicina *Bamberg* Observantes firmissima columna catholicae religionis erant, in quibus praesertim *Ioannes Link*[6], praedicator excellit, qui per viginti annos scribendo et praedicando pro fide certavit. Etiam *Leonardus Graff*[7], guardianus istius conventus, laudibus celebratur.

Anno 1556 fratres urbem *Amberg* propter fidem catholicam relinquere debuerunt[8]; item conventus in Suevia exsistentes supressi sunt, non obstante, quod Minoritae eosdem heroice defenderent. In civitate *Ulm* fratres post apostasiam Eberlini et Henrici a Kettenbach *Ioannem Winzler* praedicatorem instituerunt, cumque hic anno 1526

---

[1] *J. B. Schöpf,* Joh. Nasus, Bozen 1880. *Minges* 91. *Janssen* V[12] 363.

[2] *Roth,* citatus apud *Minges* 69.

[3] Der Katholik 1892, I 561. *Paulus,* Schatzgeyer 134.

[4] Der Katholik 1892, I 555. [5] *Minges* 70.

[6] Der Katholik 1892, I 555. [7] *Minges* 69. [8] Ibid. 68.

e civitate pulsus esset, *Vitus Kalteisen* et *Ioannes Ulrich* eum successerunt[1]. Nihil tamen profuit resistere; nam anno 1531 omnes Franciscani hanc urbem relinquere debuerunt. Iam antea Winzler indefessus in *Kempten* per duos annos cum discrimine vitae novatores oppugnaverat, usquedum anno 1525 orta seditione rusticorum fugere deberet[2]. Haec erat quarta ditio in periculo apostasiae versans, quam fortis ille pugnator omnibus viribus defendere conatus est, nam *Basileae* quoque contra Pellikanum eiusque asseclas exstiterat. Ibi iam doctus ille *Daniel Agricola*[3] verbo et scripto contra novatores processerat, quia vero magistratus huius civitatis rei catholicae infensissimus erat, fratres ecclesiae fideles ibidem permanere non poterant. Brevi Winzler Basilea discedere coactus est, aeque ac eius confrater *Gregorius Heilmann*[4], qui inde in Alsatiam (Elsaß) profectus est. Hic idem fuisse videtur ac frater *Kilianus Heilmann*[5] († 1559), qui in Oppenheim Lutheranismo tam valide restitit, ut sub interminatione poenae capitalis praedicare prohibitus sit. Etiam in ceteris urbibus, in quibus Observantes conventus possidebant, fratres ecclesiam defendendo extrema ausi sunt, velut in *Freiburg i. Br.*, in *Ruffach, Heilbronn, Weißenburg in Alsatia* et in *Kreuznach* etc.[6]

Etiam tempore *antireformationis* residui Observantes provinciae Germaniae superioris, postquam multos conventus acceperunt, unde haeresi efficaciter obsisterent[7], magnam explicarunt industriam. Imprimis commemorari merentur: *Ioannes Franciscus Kemminger* († 1606), qui adiuvante duce Bavariae seminarium fundavit, in quo boni praedicatores controversiarum erudirentur; *Marquardus Leo* († 1617), qui de eis, quae in Palatinatu superiori (Oberpfalz), praesertim in civitate Amberg gessit, valde laudatur, et *Martinus Naegele* († 1617), qui urbem Kelheim praedicationibus suis a Lutheranismo servavit[8].

Provinciae in *Austria* exsistentes ineunte tempore reformationis iam valde debilitatae erant partim Hussitis, partim Turcis, qui multos conventus deleverant et fratres ibi habitantes trucidaverant vel expulerant[9]. His non obstantibus neque Observantes Austriaci impetum

---

[1] *Minges* 64. [2] Ibid. 71.

[3] Sbar. SS. 209. Der Katholik 1892, I 545.

[4] *Minges* 76. *B. Riggenbach,* Das Chronikon des Konrad Pellikan 87.

[5] *Greiderer,* Prov. Argentin. Ms. fol. 288 (in conventu Franciscanorum urbis Hall in Tiroli).

[6] *Paulus,* Schatzgeyer 57 140. Pastor bonus XV (1903) 368.

[7] *Minges* 79. *Gaudentius* 306. [8] *Minges* 96 sq.

[9] *Greiderer* I 442.

Protestantismi declinaverunt. Capitulum Viennae (Wien) anno 1522 congregatum 39 praedicatores controversiarum instituit, quorum munus primarium erat novatores ubique profligare. *Anselmus Viennensis*[1] († 1535), minister provincialis, non solum inquisitor fratrum factus est, ut studia Lutherana, quae forte oritura essent, statim supprimeret, sed etiam verbo et scripto ecclesiam catholicam defendit. Eadem valent de *Medardo a Kirchen*[2] († 1533), concionatore aulico Ferdinandi I; et de docto illo *Georgio ab Amberg*[3] († 1534). Eloquentia sua clarebant *Ambrosius a Rohrbach* († 1556), qui „malleus haereticorum" appellabatur, quidam pater *Hippolytus* et duo fratres, quibus studium debellandi haeresim coronam martyrii comparavit, videlicet: *Ioannes Hungarus* † 1548 in Rudolfswerth Carniolae (Krain) et *Thomas Iuvavus* (Salzburg) † 1548 in urbe Laibach[4]. Propter constantiam suam etiam conventus *Egenburgensis* laudatur, qui „tamquam locus amoenus inter vastas solitudines situs praesidium contra Protestantismum erat"[5].

Aeque ac in ceteras ditiones regni Poloniae Protestantismus etiam in *Galiziam*, quae hodie ad Austriam pertinet, penetrare conatus est. Sed *Udalricus a Gabolo* (Grabovo?) minister provincialis non solum fidei fratrum suorum invigilavit, sed etiam bonos praedicatores in locis ad fines regni sitis instituit, ut statim populo antidotum necessarium propinarent[6]. Krakoviae *Hieronymus a Lemberg* († ca 1536), concionator ecclesiae cathedralis inimicissimum novatorum se praestitit. Ipse totam sacram scripturam in linguam Polonicam vertit, ut influxum bibliorum Lutheranorum frangeret[7].

Non obstantibus omnibus laboribus in ipsa Austria Protestantismus *latens* tam late grassatus est, ut in altera parte saeculi XVI vix octava pars totius populi haberetur vere catholica. Hoc facto etiam conditio conventuum magis magisque tristis facta est[8], nam alii propter defectum fratrum relinqui debebant, in aliis vero severa disciplina sustineri non potuit. Haec tamen ad meliorem statum evecta sunt tempore restaurationis catholicae, cui multi Observantes egregie allaborarunt, innumera milia iterum cum ecclesia reconciliantes. Praestantissimi eorum sunt[9] *Seraphinus Müller* († 1639), *Ludovicus Pol-*

---

[1] Ibid. 444. Sbar. SS. 66. [2] *Herzog*, Cosmographia 99.

[3] *Greiderer* I 448. [4] Ibid. 444 sq.

[5] *Janssen* IV [12] 98. *B. Duhr*, Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I, Freiburg i. Br. 1907, 498. *Herzog* 387.

[6] W XVI 175. [7] W SS. 171. Sbar. SS. 347.

[8] *Janssen* IV [12] 98; VII [12] 398. [9] *Herzog* 133 149.

linger († 1640), *Udalricus Seiz* († 1642), et *Bonifatius Fröhlich* († 1645). In Tiroli praeter Ioannem Nas in reducendis errantibus fratres *Theobaldus Schwab* († 1635) et *Fructuosus Volz* zelosissimi erant[1].

Adhuc magis necessarius erat labor Apostolicus in *Bohemia,* quem Minoritae ibi habitantes magna cum assiduitate subierunt. Hic promptus fratrum animus eo praesertim magnas meretur laudes, quod provincia Bohemiae Hussitis, Protestantibus et continuis perturbationibus bellicis plurimum passa erat. Efficacissimi debellatores haeresis in hac ditione durante saeculo XVII erant: *Hieronymus Lanz, Antonius Pero, Gregorius Lomnitzky, Vitalis Hoffrichter, Ivo Nevrzly, Alexander Radinsky, Capistranus Devos, Adrianus Schindler* et *Marcus Reinoldt*[2]. In numero martyrum provinciae Bohemiae praecipue commemorari merentur *quattuordecim martyres Pragenses,* qui anno 1611 a catervis haereticis crudeliter trucidati sunt[3].

§ 94. Pugna contra haeresim in Gallia, Belgio et Hollandia.

Reges Galliae, qui Protestantibus Germanis favebant, ut potentiam Imperatoris deprimerent, haeresim in propria terra inexorabili severitate exstinxerunt, qui modus in haereticos consulendi partim timore non incerto erat causatus, ne catholici triumphante haeresi easdem paterentur persecutiones, quibus in Germania catholici vexati sunt, ubicumque Protestantismus praevalebat. Sed asseclae Calvini, qui ab anno 1560 Hugenotti (Huguenots) appellabantur, se subicere minime parati violenter sese defenderunt, quo factum est, ut in altera parte saeculi XVI octo bella religionis causa orirentur, in quibus ab utraque parte saevissima facinora sunt commissa. Hugenotti praecipue sacerdotibus et monachis in fide constantibus insidiati sunt, quibus ita crudelia parabant tormenta, ut vix tempore persecutionum christianis a Romanis paratarum acciderunt[4].

Paulo postquam Calvinismus in *Geneva* praevaluit, conventus Minoritarum et Clarissarum ibi exsistentes suppressi sunt. Soror *Ioanna de Iussie*[5] pulcherrimam descriptionem, quae proh dolor!

---

[1] *Greiderer* II 208. [2] Ibid. I 751. Gub. V 226.

[3] *Greiderer* I 747.

[4] W XX 101 148. *Othon* III 454. *F. Tasso,* Le historie de' successi de' nostri tempi . . . nelle quali si discrivono le passioni crudeli e morti acerbe, sofferte da molti Frati di S. Francesco, Venetia 1583. *H. Villeret,* Les Frères Mineurs de France en face du Protestantisme, Vanves près Paris 1902.

[5] *Marcell.* VII 1, 364 369 403.

adhuc non satis nota est, nobis reliquit, ex qua patet exules Genevanas heroismo sociis Norimbergensibus non inferiores fuisse. Attamen in Gallia, dum tempora atrocia durant, multi clerici et religiosi a fide defecerunt, partim ut mortem evaderent, partim ut vitam commodam agere possent. Etiam ex ordine Franciscanorum multi apostatarunt[1], quin tamen pateat, qui apostatarum Conventuales fuerint, qui Observantes et qui membra provinciarum confoederatarum, quae nunquam severae disciplinae Observantium se subdiderunt. His apostatis magnus numerus fratrum heroicorum ex adverso positus est, qui mortem apostasiae et vitae ignominia plenae praetulerunt. Horum ab anno 1560 usque ad annum 1580 circiter 200 nominatim enumerantur[2], qui paene omnes fuerunt Observantes. Revera autem multo plures fuerunt, quia versus 100 integri conventus cum habitatoribus suis exstincti sunt, quin nomina horum fratrum usque ad nos pervenerint. Difficile est aliquos horum martyrum nominatim adducere, quin ceteris fiat iniuria, quocirca eorum tantummodo aliquos nominabimus, qui simul tamquam egregii *praedicatores* haeresi occurrerent velut *Antonius Brunel,* † 1561 in Montpellier, *Guido Germain,* † 1562 in Châteauroux, *Guilelmus Servais,* † 1562 in Valognes, *Ioannes Thiery,* † 1562 in Mehun, *Nicolaus a Lotharingia,* † 1565 in Privas, *Petrus Gausset, Ioannes Brunie* et *Guilelmus Montague,* † 1568 in Vire, *Balthasar du Pré,* † 1568 in Nîmes, *Petrus Blanchard,* † 1570 in Exideuil, *Petrus Borgelier,* † 1571 in Rodez, *Iulianus Gubier,* † 1573 in Clois, *Claudius Gabriel Faber,* † 1575 in Lunel et *Ioannes Cosier,* † 1577 in Tarbes.

Hoc loco simul commemoremus illos fratres, qui tempore *rebellionis Gallicae* pro fide vitam sanguinemque fuderunt, quique ultra 180 membra totius ordinis erant[3]. Propria culpa etiam famosus ille *Eulogius Schneider*[4] victima rebellionis factus est, cuius tamen criminum ordo non est accusandus, quia Schneider iam anno 1786 ordinem dispensatione impetrata reliquerat, quo perfecto theologus rationalismi et dux rebellionis factus est, usquedum anno 1794 Parisiis decapitaretur.

Tempore perturbationum reformationis fratres in Gallia non solum concionibus et vita fidem defenderunt, sed etiam scriptis suis catho-

---

[1] W XIX 247. [2] *Patrem* 122. *Gaudentius* 110.

[3] *Patrem* 124. *Édouard d'Alençon,* Essai de Martyrologe de l'ordre des Frères Mineurs pendant la révolution française 1792—1800, Paris 1892. *Léopold de Chérancé,* Nos Martyrs 1789—1799, Paris 1908.

[4] *L. Ehrhard,* Eulogius Schneider, Straßburg 1894.

licos in fide confirmare et haereticos convertere studuerunt. Hoc loco imprimis commemorandi sunt: *Ambrosius Miletius*[1] (Voyageur? † 1578), *Ioannes Portesius*[2] († ca 1585), *Natalis Taillepied*[3] († 1589), *Christophorus a Capite Fontium* (Cheffontaines, † 1595), minister generalis, praecipue vero *Franciscus Feuardentius*[4] (Feuardent, † ca 1610) qui per 25 annos qua praedicator controversiarum totam Galliam peragravit, simulque plurima opera doctrina referta edidit.

In *Germaniam inferiorem* ideae protestanticae partim ex Germania, partim ex Gallia et partim ex Anglia penetraverant; denique Calvinistae (Gueux) praevaluerunt. Hi, ut ideas suas auribus populi instillarent, usi sunt odio eius contra imperium Hispanorum, qui praesertim tunc temporis inepte agentes seductoribus materiam subministrabant. Cum enim Hispani religionem catholicam haud dubie defenderent, duces totius actionis odium imperii externi in religionem catholicam verterunt. Igitur populus seductus praecipue contra ecclesias et claustra, contra sacerdotes et religiosos tanta crudelitate saeviit, ut calamus renuat haec facta describere, quare mirum non est, si etiam in Minoritis inveniebantur, qui tam horribilia tormenta refugientes a fide deficerent. Rari tamen erant comparati ad magnum numerum constantium confessorum, qui tunc temporis sub atrocibus tormentis vitam tradiderunt fidem SS. Eucharistiae et primatum Pontificii moriendo palam testantes. Martyres adhuc notos, qui in altera parte saeculi XVI in Germania inferiori occubuerunt, ultra 80 numeramus[5], quorum clarissimi sunt *Nicolaus Piekius (Piek) eiusque socii,* qui anno 1572 primum in urbe Gorkum, deinde in Brielle heroicum exemplum constantiae et patientiae reliquerunt[6]. Neque omittendi sunt *martyres de Alkmaar*[7] in Frisia occidentali, qui paucis hebdomadibus ante fratres Gorcomienses mortem non minus gloriosam appetierunt.

Cum denique Hispanos seditiososque caedium taedere coepisset, anno 1609 indutiae Antwerpienses sunt initae, de quarum successu

---

[1] W SS. 16. *Patrem* 125. [2] W SS. 222.

[3] W SS. 262. Sbar. SS. 548. [4] W SS. 115. Sbar. SS. 253.

[5] Nomina vide apud *Gaudentius* 195. *I. Boehner,* Delineatio historica Fratr. Min. Prov. Germaniae inferioris a Geusiis in odium fidei crudeliter occisorum, Antverpiae 1635.

[6] W XX 303. A. SS. Iul. II 754. *Florentinus Leydanus,* Historia novorum in Germaniae inferioris provincia constantissimorum martyrum Ord. S. Francisci ex observantia, Ingolstadii 1582. *G. E. Hesselius,* Historiae martyrum Gorcomiensium, Duaci 1603. *N. J. Laforet,* Les Martyrs de Gorcum, Louvain 1867.

[7] *H. Sedulius,* Historia seraphica, Antverpiae 1613, 661.

Ioannes Neyen († 1612), commissarius generalis nationis Germano-Belgicae, optime est meritus. Status meridionales ditioni Hispanorum subiecti permanserunt, cum status septentrionales (status generales) practice independentiam acciperent, quo facto nullo interpellante innovationes religiosas perficere potuerunt. Conditio catholicorum tristissima evasit, quia res periculosissima erat exercere ibidem curam animarum. Igitur Clemens VIII anno 1592 in conventu Observantium Tornacensi (Tournai) seminarium erexit, in quo boni missionarii pro his regionibus erudirentur [1]. Plura de hoc negotio non patent. Magnificam industriam Vigerii et fratrum provinciae Coloniae iam alibi commemoravimus (§ 92). Maior laboris pars fratribus provinciae Germaniae inferioris permansit, qui sensim sine sensu in omnibus locis maioris momenti missiones constituerunt, unde non raro cum discrimine vitae catholicos visitarunt atque confortarunt. Multis in locis cura animarum alio modo non potuit exerceri, nisi ab his missionariis ex ordinibus religiosis desumptis [2]. Eosdem in exercitio muneris sui certe non invidendi non raro a clericis saecularibus impeditos esse hoc loco obiter tantum tangamus [3].

Praestantissimi horum missionariorum erant: *Bartholomaeus a Middelburg* [4] († 1564) et *Cornelius Brauwer* [5] († 1581), qui per multos annos urbem Brügge ab haeresi incolumem servavit, eiusque collaborator indefessus *Franciscus Everaerts* [6] († 1587); deinde *Arnoldus de Witte* [7] († 1652), alter Vigerius, et *Antonius Vervey* [8] († 1656), qui praesertim in urbibus Amsterdam et Haarlem multos Calvinistas cum ecclesia reconciliavit; denique *Simon de Coninck* [9] († 1664), qui praecipue in Frisia magno gaudebat successu.

Ad hos viros Apostolicos multi *scriptores* accedunt, qui in Germania inferiori calamum contra haeresim strinxerunt, quorumque excellentiores sunt [10]: *Ioannes Royaerts* († 1547) numerosas edidit homilias, *Mathias Felisius* (Cats, † 1576) praesertim contra Calvinismum scripsit, *Arnoldus Alostanus* (Meerman, † 1578), unus fertilissimorum scriptorum controversiarum in Belgio durante saeculo XVI, *Nicolaus Tacitus Zegers* († 1559), qui textum sacrorum voluminum corrigere studuit, *Adam Sasboldus* (Sasbout, † 1553), clarus sacrae

---

[1] W XXIII 414. [2] *Sedulius* 115.
[3] *V. Haute* 185. *Marcellinus a Civ.* et *Theoph. Domenichelli*, Epistolae 358.
[4] *Dirks* 40. *Gaudentius* 64. [5] *Dirks* 104.
[6] Ibid. 112. [7] *Huber*, Dreyfache Cronickh 791.
[8] Ibid. 793. [9] *Dirks* 230.
[10] Plura vide apud *Dirks* l. c., ex quo desumpsimus nomina sequentia.

scripturae interpres; durante *saeculo XVII* floruerunt: *Henricus Sedulius* († 1621), qui praemature in oblivionem venit, *Balduinus Iunius* (de Jonghe, † 1634), praesertim vero *Matthias Hauzeur* († 1676), acerrimus Calvinistarum adversarius, clarus victor disputationis anno 1635 in urbe Limburg habitae; eius socius *Bartholomaeus d'Astroy* († 1681) minus quidem vehemens erat, sed non minori successu gaudebat.

§ 95. Pugna contra haeresim in insulis Britanniae et in Scandinavia.

Henricus VIII, Angliae rex, haud dubius erat amicus Observantium, e quorum numero confessarium sibi elegerat aeque ac regina ipsa [1]. Ex quo autem rex in animo habebat matrimonium cum Catharina, legitima sua uxore, invalidum declarare, amicitia haec dissoluta est. In hac difficillima conditione fratres documenta iustitiae incorruptibilis praestiterunt, quae summam meretur admirationem. Rex quidem sperabat fore, ut eos denique ad suam perduceret sententiam, non enim adiutorio horum virorum integritate vitae et doctrina insignium carere voluit. Idcirco Paulum Pisotti, ministrum generalem, adiit, ut ministrum provinciae Angliae deponeret, quippe qui haud ambigue reginae causam defenderet et suos subditos hortatus esset, ut scribendo et praedicando idem studerent. Huius loco fratrem Ioannem de la Haye, sibi amicum, qui in provincia Flandriae moraretur, in Angliam mitteret [2]. Minister generalis offensionem vitare cupiens respondit: Sibi ius deponendi ministros provinciales non competere, attamen fratrem desideratum se tamquam commissarium missurum esse.

Sed priusquam haec ordinatio exsecutioni mandaretur, alea iam erat iacta. Nam anno 1533 Clemens VII, Papa, matrimonium regis cum Catharina validum esse declaravit iussitque dissolvi societatem cum Anna Boleyn initam. Hoc facto rex imprimis *Ioannem Forest,* ministrum provincialem Observantium et confessarium reginae, in carcerem detrudendum curavit [3], ut eum de ratione agendi hucusque observata puniret et ceteros fratres deterreret. Attamen, quae rex speraverat, non acciderunt. *Peto,* guardianus de Greenwich, primus omnium publice contra novum matrimonium exstitit, inaudita libertate (probabiliter adhuc anno 1533) regem in ecclesia praesentem de iniuria commissa obiurgans et clericos, qui regem in suis studiis

---

[1] Historical sketch of the order in England, appendix ad Lives of the Saints and Blessed of the three orders of S. Francis IV, Taunton 1887, 302.

[2] W XVI 326. [3] Ibid. 365.

confirmabant, acerbe castigans. Cumque die dominica sequenti decanus rationem agendi regis etiam in ecclesia defenderet et in Peto absentem inveheret, frater *Elstow* partes sui confratris tanto zelo suscepit, ut a Henrico silentium tenere iuberetur. Die sequenti ambo fratres audaces ante tribunal consilii regii producti sunt. Iudici proponenti, ut ambo scelerati in flumen Themse deicerentur, Elstow hilariter repondit: „Ex aqua eodem tramite in coelum migrabimus, quo a terra.“ [1] His omnibus inimicitia inter regem et Observantes erat perfecta. Peto et Elstow in carcerem detrusi, vel, ut alii censent, in exilium pulsi sunt. Tempore verno anni 1534 *Hugo Rich,* guardianus Cantabrigiensis, et *Richardus Risbey,* guardianus de Richmond, suspensi et in quattuor partes dissecti sunt; mense Augusto eiusdem anni, priusquam gubernium ulli ex ceteris ordinibus oneri esset, omnes Observantes e conventibus suis expulsi et ultra 200 Londinii incarcerati sunt. At ne unus quidem puritatem conscientiae suae regis gratia maculavit [2]. Iudicium de fratribus captivis instante amico prorogatum est. Denique anno 1537, cum iam 22 squaloribus carceris morte succubuissent, alii libertati, alii in carceres longinquas traducti, alii morte puniti sunt, velut *Antonius Brorbey* (Brookby), *Thomas Cort* et *Thomas Belchiam* [3]. Die 22 Mai anni sequentis heroicus *Ioannes Forest* [4], qui iam 70 annorum erat, cum adhuc libello auctoritatem ecclesiae et Pontificis defendisset, ad ignem condemnatus occubuit.

Cum anno 1553 Maria regnare coepisset, pristina religio restituta est, quae res eo facilius fieri potuit, quod adhuc longe maior populi pars religioni catholicae adhaerebat. Ordines restituti sunt et primus omnium ordo Minoritarum Observantium, qui primi omnium erant expulsi [5]. Sed iam quinque annis post, Maria defuncta, Elisabeth, huius soror germana, systema patris sui reduxit, quo facto nova persecutio catholicorum orta est, eaque crudelior et diuturnior, quam sub Henrico VIII, in qua tamen clerus universus meliorem se gessit, ac

---

[1] *Angelus a S. Francisco,* Certamen seraphicum provinciae Angliae [2], Quaracchi 1885, 13.

[2] *[A. Parkinson,]* Collectanea Anglo-Minoritica or a collection of the Antiquities of the English Franciscans I, London 1726, 245. W XVI 366. *Th. Bourchier* (Historia de martyrio Fratr. Ord. Min. . . . in Anglia, Ingolstadii 1583) hoc factum ponit in annum 1536.

[3] W XVI 418. Collectanea I 238.

[4] Collectanea I 242. *(Hermans,)* Thaddaeus, Life of blessed Father John Forest, London 1888.

[5] Collectanea I 249.

antea. Quod attinet Franciscanos, scriptor annalium ordinis affirmat: „Nemo fuit ex Minoritis, qui in faciem novae Anglicanae Iezabelis forti animo non restiterit.“ [1] Itaque ipsi peculiari edicto extorres facti partim in Belgium, Germaniam inferiorem et Galliam profecti sunt, partim mutata veste in Anglia permanserunt vel idemtidem ad tempus illuc reversi sunt, ut catholicos, quatenus fieri potuit, adiuvarent [2]. In numero multorum missionariorum, qui sub Elisabeth vel tempore postero heroismum suum morte luebant, nominari merentur: *Godefridus Ionas* [3] († 1598), *Thomas Bullaker* (Frater Ioannes Baptista, † 1642), *Henricus Heath* (Fr. Paulus a S. Magdalena, † 1643), *Arthurus Bell* (Fr. Franciscus, † 1643), *Ioannes Woodcock* (Fr. Martinus a S. Felice, † 1646), et *Gualterus Coleman* (Fr. Christophorus a S. Clara, † 1645).

In *Scotia* persecutio catholicorum anno 1559 excitata est. Ex Observantibus ibi exsistentibus, qui propter eximiam vitae conversationem a populo magni aestimabantur, quidam, velut *Ioannes Patricius* et *Alexander Arbuchell* iamdudum debellatione haereticorum excelluerant, quare mirum non est, si novatores Minoritas egregie oderant. Mox igitur fratres, qui circiter 140 erant, in exilium pulsi sunt exceptis duobus vel tribus sacerdotibus, qui, ne patriam relinquere cogerentur, a fide defecerunt. Ceteri in continenti a diversis provinciis recepti sunt. In his etiam doctus ille *Ioannes de la Haye* erat, qui in officio ministri provinciae Coloniae constitutus ministro generali Gonzagae anno 1586 relationem authenticam [4] de his factis transmittere debuit. Dolendum est, quod provincia Scotiae tam gloriose procumbens hodiedum non est restituta.

Diuturniores erant passiones Franciscanorum in *Hibernia* [5]. Iam Henricus VIII innovationes suas Hibernis imponere studuerat, at frustra, quia totus populus fortiter his conatibus restitit. Elisabeth regnante crudelis et systematica illa oppressio infelicis huius populi orta est, quae ultra duo saecula durabat, cuiusque ingenuum quemque Anglum hodie merito pudet. Quod Hiberni non obstantibus omnibus his vexationibus catholici permanserunt, paene miraculi loco habendum est. Partim ipsi hanc fortunam heroismo Episcoporum et sacerdotum suorum

---

[1] W XIX 125. [2] Collectanea I 259.

[3] W XXIII 294. De sequentibus vide *Angelus a S. Francisco,* Certamen seraphicum, passim.

[4] W XIX 126.

[5] *C. P. Meehan*, The rise and fall of the Irish Franciscan Monasteries, Dublin 1877.

debent, qui continuo neglecto discrimine vitae indubio gregi suo subveniebant. Ordines possidentes, quorum bona proscripta sunt, sane non diu ibi permanere poterant, quare in continentem emigrarunt. Etiam Observantes in diversis ditionibus continentis firma adminicula sibi compararunt, in quibus non solum in scientiis egregia praestiterunt, sed etiam iuvenes suos ad bonos missionarios patriae instituerunt. Hoc modo provincia Hiberniae maximis sub difficultatibus per totum tempus persecutionis exsistentiam suam prorogavit. Fratres in Hibernia exsistentes apud bonos catholicos delituerunt participes eorum inopiae et miseriae. Mirum igitur non est, si populus Hibernus usque in hodiernum diem gratissimum servavit animum Franciscanis, qui turbulentissimis sub tempestatibus huic genti astiterunt eamque religiosis solatiis confortarunt, pro quo beneficio saepissime crudelem oppetierunt mortem. *Franciscus Harold,* Minorita Hibernus, qui adhuc in mediis persecutionibus vixit, circa annum 1660 confratribus suis hoc testimonium reddere potuit: „Reliquis regni religiosis absque invidia maiori labore, patientia et constantia catholici populi religiosis obsequiis insudant, et cum Paulo Apostolo sciunt abundare et penuriam pati.“ [1] Ex martyribus, quorum ab anno 1540 usque ad annum 1707 ultra 100 fuerunt[2], solummodo *Patritium O'Hely* († 1578), *Cornelium O'Dovany* († 1612), *Boëtium Egan* († 1650), Episcopos commemoremus. Notandum quoque est, in Episcopatu Hiberno ipso tempore vehementissimae persecutionis 18 filios S. Francisci fuisse[3].

Reformatio in *Dania* (Dacia) magis quam alibi opus principum erat, qui solummodo propriam utilitatem quaerebant; nam ecclesia catholica huius ditionis in summa a maioribus abusibus libera erat, quocirca populus ipse dolo tantum et vi fide sua frustrari poterat. Fridericus I, qui, cum anno 1524 regnare coepisset, sancte promiserat, se veterem religionem servaturum et protecturum esse, contra fecit. Excidio claustrorum, quod anno 1528 susceptum est, omnes domus religiosae cesserunt. Neque disputatio anno 1530 religionis gratia habita, in qua Nicolaus Herborn, acerbe Stagefyr vocatus, primarias egit partes (§ 92), res ad meliorem statum evexit, quia bona voluntas acquiescendi consiliis explicatis omnino deerat. Communitates religiosae in his persecutionibus modo se gesserunt admirando[4], etsi numerosi apostatae non defuerunt. Plura tamen de his,

---

[1] W I cxix. [2] Acta XXII 27. [3] *Gaudentius* 153.

[4] *H. Knudsen,* En gammel Krönike on Graabrödrenes Udjagelse af deres Klostre i Danemark, Kjöbnhavn 1851. Versio *Germanica* invenitur tamquam appendix

praesertim qui Conventuales fuerint, qui Observantes, adhuc ignoramus. Quidam conventus oppugnari debuerunt, priusquam fratres cederent. Non raro Minoritae crudelissime tractati sunt et peropportune illis accidit, si quasi nudi e conventibus eiciebantur.

Ad provinciam Daciae non solum domus Danicae, sed etiam conventus per Sueciam et Norwegiam dispersi pertinebant. Anno 1222 Minoritae ibidem pedem fixerant, multum in conversione huius populi tunc temporis adhuc partim pagani laboraverant magnamque popularitatem sibi comparaverant[1]. Versus finem saeculi XV etiam ibi Observantia introducta est, et anno 1517 iam 22 conventus Observantium[2] in hac provincia inveniebantur. De fato domorum religiosarum in extremo septentrione sitarum adhuc pauca novimus. Certum est, eas quasi eodem tempore ac in Dania deletas esse, postquam reformatio eisdem mediis auspicata est. Quamquam sacerdotes catholici sub interminatione poenae capitalis Scandinaviam ingredi prohibiti sunt, tamen Vigerius missionarios in Sueciam et Norwegiam misit[3], quorum sortes et successus adhuc ignota latent.

§ 96. Verbi divini praedicatio.

Durante saeculo XVI et XVII fratres maiorem virium suarum partem in pugnam contra haeresim conferre debebant, saltem in terris septentrionalibus Europae, quin tamen ceteros labores, quos in prima parte huius libri descripsimus, desererent. Speciali modo unum opus adducemus, *servitium pestiferorum,* de quo quidam chronista saeculi XVII[4] haec scribit. „De martyribus charitatis ex ordine Fratrum Minorum proprius mihi conscribendus esset liber. . . . In castris salutem animarum militum moribundorum sedulo curant; tempore pestis aliorumque morborum contagiosorum omne periculum mortis contemnunt, ut animas morientium lucrentur. Integrae civitates, vici et communitates testimonium reddunt authenticum, quantum boni Franciscani in Germania hominibus aegris, desperatis et morientibus praestiterint. . . . Haec omnia sponte suscipiunt. Nullius itineris, nullius laboris eos piget, omni tempore die noctuque parati sunt subire pericula. . . . Quot ego solus novi, qui amore Dei pro-

---

ad *Karup,* Geschichte der kathol. Kirche in Dänemark, Münster 1863. Versio *Gallica* invenitur tamquam appendix ad idem opus, Bruxelles 1861. Versio *Italica:* Cronaca delle missioni Francescane III (1862) 46 116.

[1] *Marcell.* VII 1, 224. [2] *Gonz.* 851.

[3] *Huber,* Dreyfache Cronickh 789. [4] Ibid. 883.

ximis inservientes morbis infecti sunt et mercedem martyrum charitatis acceperunt! In his verbum Salvatoris impletur: ‚Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.'" Hoc laudum carmen non esse fictum quid patet ex multis testimoniis iam hodie notis[1], quae adhuc compilatorem exspectant.

Labor maximi momenti missionis internae pariter cultus *praedicationis* simulque sedulitas in confessionibus excipiendis permansit, quare superioribus ordinis semper summae erat curae bonos praedicatores instituere et contra eos procedere, qui labori suo non erant pares. Capitulum Salmanticense anni 1553 abusibus adductum est, ut praeciperet, ut in proximis capitulis provincialibus omnes praedicatores de habilitate sua probarentur et illi, qui inhabiles invenirentur, absque misericordia deponerentur[2]. Acciderat enim, ut aliqui brevibus subreptitiis, quae dicebantur „Apostolica", officium praedicationis sibi comparaverint. Simul quoque defectus eruditionis necessariae, qui cum demutatione scientiarum in multis provinciis cohaerebat, ansa vituperii fuisse videtur. Idcirco praecepta de institutione praedicatorum idemtidem repetuntur, qua occasione semper inculcatur ministros provinciales non solos, sed tantum in capitulo vel congregatione provinciali praedicatores approbare posse[3].

Ut populus illarum regionum, in quibus conventus fratrum exsistebant, occasionem audiendi verbum Dei haberet, anno 1579 ordinatum est, ut in unoquoque conventu unus[4], in maioribus vero conventibus duo fratres habiles „concionatores conventuum"[5] instituerentur. Ceteris fratribus pro officio praedicationis approbatis — quorum anno 1700 18000 erant[6] — laboris campus a superioribus assignandus erat, neque eis licuit, eundem sibi ipsis quaerere[7]. Inter hos praestiterunt illi, qui ad „suggestus generales" vocati erant. Tales suggestus ecclesiae cathedrales habebantur et maiores ecclesiae ordinis in Italia, quibus minister generalis ipse praedicatores assignabat. Anno 1679 triginta suggestus generales numerabantur[8]. Si praedicatores ibidem instituti per certum tempus, circiter decem annos, officium suum laudabiliter gesserant, iuxta indolem illius aetatis quaedam privilegia acceperunt simul cum titulo *praedicatoris*

---

[1] *Herzog* 152. *Greiderer* I 752. *Gaudentius* 353. *Huber* 882. Pastor bonus XV 367 374. *H. Le Febure,* Histoire chronologique des Récollects, Paris 1677, 120.

[2] Gub. III 331.

[3] Chron. IV 449 498 515. [4] W XXI 179. [5] Gub. III 651.

[6] Giard. I 789. [7] Gub. III 577. [8] Gub. IV 245.

generalis vel *praedicatoris clarissimi*[1]. Specialia privilegia etiam concionatoribus aulicis concessa sunt, sed ius suffragii, quod accipere studuerunt, non impetrarunt[2]. Summus habebatur honor accipere titulum *praedicatoris Apostolici.* Quia vero fratres his privilegiis varie abusi sunt, capitulum anni 1521 eis has praerogativas iterum ademit[3]. Sed haec ordinatio ad summum usque ad finem eiusdem saeculi permansit, tunc enim etiam ceteri praedicatores privilegia acceperunt, a quibus hi excludi non poterant. Praedicatores Apostolici non sunt confundendi cum *praedicatoribus sacri Palatii,* quorum officium etiam Observantibus et Conventualibus demandatum est, usquedum a Benedicto XIV solis Capuccinis reservaretur.

De valore multorum praedicatorum ordinis, qui a saeculo XVI extraordinaria gavisi sunt fama, iudicare eosque generatim distribuere non possumus, quamdiu historia praedicationis Franciscanae singula tangens non exsistat. In hoc negotio omittendum non est sensum nationum differre, quo fit, ut aliquis in certa ditione egregius praedicator habeatur et magno successu gaudeat, quin a critico alterius nationis et temporis bene probetur. Cum igitur haec mensura historiae non conveniens vitanda sit, concedendum est fuisse etiam „magnos“ praedicatores, qui indoli corruptae sui temporis nimium gesserunt morem et verbum Dei non modo in omnia valenti protulerunt. Contra tales excessus ordo saepius protestatus est, idque postremo Aloysius Lauer minister generalis, qui subditis suis primum praedicationis Franciscanae principium in memoriam revocavit: „Praedicatio fieri debet ad utilitatem et aedificationem populi.“ [4]

Efficacissimos praedicatores in missionibus externis alibi enumerabimus, illos vero, qui in septentrionibus Europae haeresi obstiterunt, iam commemoravimus. Igitur hoc loco aliquos tantum adducemus, qui temporibus posterioribus floruerunt, quique cum debellatione haeresis non immediate cohaerent. *Franciscus Ampferle* († 1646) ultra 45 annos officium concionatoris ecclesiae cathedralis Frisingensis (Freising) tanto zelo gessit, ut Episcopus princeps huius dioeceseos sepulchro eius inscripserit: „Tanto tempore nec plebeiis nec doctorum virorum delicatis auribus umquam fastiditus.“ [5] Eodem fere tempore *Ioannes Capistranus Brinzing*[6] († 1687), cuius valida

[1] Chron. III 2, 229. [2] Gub. IV 418.
[3] Gub. III 248. [4] Acta XX 75.
[5] *Minges,* Geschichte der Franziskaner in Bayern 143.
[6] *J. Zingerle:* Zeitschrift für deutsche Philologie XXIV (1891) 44.

popularisque facultas eloquendi demum nostris temporibus intellecta est, concionatorem urbicum in civitate Bamberg egit.

In *Belgio* magni aestimatus est *Philippus Bosquier*[1] († 1636), qui tamen materiam formamque concionum suarum sensui corrupto auditorum suorum nimis accommodavit. Profundioris ingenii erat *Henricus Thyssen*[2] († 1844), ex provincia Rheni ortus, qui concionibus suis animos moventibus multos Deo reconciliavit.

In *Gallia* eloquentia ecclesiastica durante saeculo XVII culmen suum attigit. Quamquam in principibus huius artis non inveniantur Minoritae, tamen ordo multos produxit, qui magna auctoritate gavisi sunt multumque boni effecerunt. *Mauritius Hylaret*[3] per multos annos tanto cum successu Aureliani (Orléans) praedicavit, ut civitas grata lapidem memoriae eius nomini inscripserit. In concionatoribus aulicis claruerunt *Ioannes de la Haye* († 1661) et *Franciscus Faure*, † 1687 in munere Episcopi Aureliacensis[4]. Tam scriptis quam praedicationibus saeculo XVII bene meriti sunt *Michael Vivien*, auctor „Tertulliani praedicantis", *Franciscus Bonal*, cuius liber „Le chrétien du temps" ab anno 1655 saepe est pervolutus, et *Zacharias Laselve*.

In *Hispania* durante saeculo XVI praeter *S. Petrum de Alcantara* praecipue *Alphonsus de Castro* († 1558) eloquentia sua claruit, qui a multis celeberrimus praedicator Hispaniae illius epochae habetur[5]. Huic comparatus obscuratur *Ioannes de Cartagena*[6] († 1617), qui concionibus dogmaticis praestitit. In *Lusitania Philippus Diez*[7] († 1601) praedicatoribus adiumenta exhibuit, quae multum sunt adhibita; *Didacus a Stella*[8] (Estella, † 1575) de theoria artis homileticae bene meritus est.

Italia usque ad nostra tempora magnorum praedicatorum fertilissima fuit. Saeculo XVI *Franciscus Panigarola*[9], † 1594 in Episcopatu Astesano (Asti), omnes superavit. Parisiis et in plurimis civitatibus Italiae numerosos auditores suos ita devincire et ad nutum suum dirigere noverat, ut „Demostenes christianus" vel „Chrysostomus Italus" appellaretur. Multos habuit discipulos, qui tamen carentes eloquentia magistri solummodo subtilem eius linguam imitati sunt et magnum malum produxerunt. Ab his defectibus durante

---

[1] *Dirks* 177.

[2] *C. Wirz*, Leben des im Rufe der Heiligkeit verstorbenen P. Heinrich Thyssen, Dülmen 1902.

[3] W SS. 256. [4] *Patrem* 132. Ibidem tractatur etiam de sequentibus.

[5] W XIX 102. [6] W XXV 276. [7] W XXIV 29.

[8] W SS. 102. [9] Ibid. 128. Sbar. SS. 276.

saeculo XVII *Paulus a Sulmona* et *Bartholomaeus a Saluthio*[1] indemnes se servaverunt; item magni sanctique praedicatores saeculi XVIII *Thomas a Cora* († 1739) et *Leonardus a Portu Maurizio* († 1751), qui per 44 annos totam Italiam peragrans populum ad poenitentiam vocabat. Hunc eodem zelo imitatus est B. *Leopoldus a Gaichis*[2] († 1815). Etiam *Ildephonsus Bressanvido,* cuius conciones maximi aestimatae et in diversas linguas versae sunt, adhuc saeculo XVIII annumerandus est. Pariter saeculum XIX praedicatores produxit, quorum fama fines Italiae transgressa est. In eis, qui iam ex hac vita migrarunt, optime meritus est *Ludovicus Parmentieri a Casoria*[3] († 1885), qui etiam conditiones sociales ad meliorem statum evehere conatus est, fundando nosocomia et scholas, quo factum est, ut tota regio Neapolitana eum lugeret defunctum.

B. Missiones inter Saracenos et infideles.

§ 97. Quaedam generalia.

Ditiones in extrema oriente et occidente detectae missionibus vastum aperuerant campum, cui excolendo imprimis ordines veteres innumeros tradiderunt operarios, qui magno cum heroismo et succusu onus hoc subierunt. Accesserunt ab altera parte saeculi XVI multae societates novae, quarum non paucae, praesertim Iesuitae, studio et habilitate missionibus inservierunt. In plurimis terris membra diversarum societatum insimul laborabant, in descriptione vero missionum unaquaeque societas naturaliter tantummodo suos confratres commendabat, omissa, immo interdum deformata industria ceterorum missionariorum. Ita accidit, ut vix ulla pars historiae ecclesiasticae peius et iniustius tractaretur, quam historia missionum. Conspectus enim obiectivus missionum in aliqua terra susceptarum, tunc demum poterit depingi, cum historia missionum, quas singuli ordines ibidem peregerunt, conscripta erit, in quo tamen multa desunt. Praecipue ordo Franciscanorum, qui in missionibus ipsis nulla societate inferior fuit, descriptione paene ab omnibus superatus est, quo accidit, ut a multis etiam labores ipsi Minoritarum parvi penderentur.

---

[1] Gub. II 450.

[2] *Pacifico da Rimini,* Della vita e dell' eroiche virtù del P. Leopoldo da Gaiche, Foligno 1835. *Antoine-Marie de Vicence,* Vie du bienheureux Léopold des Gaiches, Vanves près Paris 1893.

[3] *A. Capecelatro,* La vita del P. Lodovico da Casoria, Napoli 1887.

Dolendum est, quod ne adhuc quidem fontes ad conscribendam solidam missionum historiam sufficiunt. Si Minoritae aeque ac ceteri missionarii singulis annis relationes de suis laboribus conscripsissent, historiarum scriptor de materia paene inexhausta disponere posset, cum revera contentus esse debeat communicationibus parum integris, quamquam hae quoque quandam imaginem de ingenti industria ordinis in missionibus explicata exhibent. Successus sane neque semper ubique labori impenso erat par. Ut hoc bene intelligatur, *impedimenta* sunt consideranda, quae a saeculo XVI laboribus missionariorum obstiterunt. Maximum damnum missionariis paene ubique illatum est *systematica oppressione* indigenarum. Aequum enim putabatur, quemadmodum et hodie non raro accidit, ditionem debiliorum simpliciter potentioribus vindicare et subiectos arbitrarie vel si perbene accidit, legibus ab expugnatoribus arbitrarie latis gubernari. Si hoc systema humano modo exsecutioni esset mandatum, ut indigenae in maiori cultura educarentur, excusari forsitan posset. Revera autem expugnatores more tyrannorum se gesserunt, indigenas ut servos tractantes, foedissima facinora committentes, innumeros trucidantes vel propria culpa patientes, ut demorerentur, quo factum est, ut integrae gentes perirent. Nemo nomen christianorum maiori affecit ignominia, quam expugnatores et mercatores saeculi XVI, XVII et XVIII. Eousque res perduxerunt, ut multae gentes Indianae nomen christiani et diaboli confunderent, eandemque expressionem pro utroque conceptu adhiberent, utpote quia eis videbatur, differentiam non adesse. Quidam putaverunt culpam horum facinorum regibus Hispaniae et Lusitaniae esse imponendum, ast immerito. Ut omittamus, quanta hi fecerint pro cultura et christianismo in his terris introducendo, indubia praesto sunt testimonia, quibus patet, eos praecepisse, ut indigenae cum mansuetudine tractarentur, eosque protectores pro ipsis instituisse. Haec praecepta sane non semper exsecutioni sunt mandata, idque culpa praefectorum. Maior autem pars culpae imponenda est militibus et mercatoribus Europaeis, qui nihil aliud quaerebant quam divitias, quas ut sibi compararent, nullum horruerunt medium. Hac in re Angli et Batavi adhuc peius se gesserunt, qui omni intentione sublimiori et omni studio religionis propagandae caruerunt.

Liquet igitur missiones his in circumstantiis grave passas esse damnum. Ideoque missionarii vocem levare non cessarunt postulantes, ut indigenae contra oppressores et latrones defenderentur. Primi propugnatores intrepidi Minoritae *Antonius a Martyribus* anno

1506 et *Alphonsus Espinar* anno 1511 fuisse videntur[1]. Novimus praeterea etiam Franciscanos temporum posterorum ad regem Hispaniae vel ad consilium administrorum pro America Hispalis (Sevilla) residentium multitudinem libellorum querulorum[2] detulisse, in quibus acerbe rationem agendi colonorum accusabant, cuius culpae proh dolor! etiam quidam clerici erant arguendi: „Haec conversio magis more Mahumetano perficitur, quam more christiano“, Franciscanus Ioannes Silva[3] anno 1621 ad regem scripsit. Initio Indiani cum gaudio missionarios receperant, paratos et dociles se monstraverant, ut missionarii eos laudibus cumularent. Quanto magis autem indigenae cognoscebant se etiam religione christiana suscepta duriter tractari, tanto magis se subduxerunt, odium contra ipsam religionem concipientes, qua professa non raro libertatem àmiserunt. Propterea missionarii saepe securitatis causa milites comites acceperunt, quod necessario a primo suspicium excitabat et successum debilitabat. His de causis Silva, quem commemoravimus, hunc modum agendi plane impugnavit postulans, ut missionarii soli ad praedicandum evangelium mitterentur, quia etiam Apostoli alio modo non praedicassent. Res praesertim in America eousque devenerunt, ut missionarii solummodo tunc magnos haberent successus, cum vel regiones longinquas adibant, in quas Europaei nondum pervenerant, vel Indianos in vicis (reductionibus) coadunabant, quos ipsi missionarii a gubernio civili satis independenter regebant. Attamen Europaei avaritia sua interdum eousque perducti sunt, ut vel reductiones opprimerent, exspoliarent et habitatores tamquam servos venderent, vel in regiones, quas occupaverant, missiones non admitterent, ne in immanitatibus suis impedirentur[4].

Alio quoque modo ratio politica missionibus detrimentum attulit, videlicet: reges Hispaniae et Lusitaniae quoad ditiones a se occupatas ius impetrarunt, admittendi tantummodo illos missionarios, qui sibi erant accepti. Ita sensim sine sensu lex est facta, quod hi reges solummodo *natos propriae nationis* mittebant; exceptio erat, si alios admittebant, quae saltem de ordine Franciscanorum valent. Verissimum quidem est fratres Hispanos et Lusitanos infinitum mis-

---

[1] *Franc. Diaz,* Relatio missionum occidentalium sub vexillis seraphici instituti peractarum, S. Congregationi de Propaganda Fide novissime praesentata, Romae 1700, 472 sq.

[2] Saggio n. 236 362 426 527 611 638 690 726.

[3] *Marcell.* VII 2, 153 155.

[4] W XVI 417.

sionibus bonum attulisse, attamen ipsi non sufficiebant missionibus in vastis his ditionibus agendis.

Accessit, quod missionarii ipsi non semper necessariam *concordiam et amorem* inter se servabant. Multae dissensiones inter diversas societates melius potuerunt componi, si operarii earundem in vinea Domini ab egoismo, invidia et zelotypia liberi fuissent. Hi abusus sane non sunt exaggerandi, attamen neque ita raro inveniuntur, ut historiae peritus eos in iudicio de quibusdam factis possit omittere. Praeterea successus in missionibus diminuti sunt et adhuc diminuuntur *diversitate confessionum missionariorum.* Quam difficile est paganos de veritate christianismi convincere, dum christianos ipsos in sectas divisos et inter se discordes vident!

Cum haec impedimenta in omnibus missionibus magis minusve sese manifestarent, quoad aliquas terras et societates peculiares aderant conditiones, quae non semper permittebant, ut missiones optato se evolverent modo. Quod attinet ordinem Franciscanum, etiam hac in re *divisio in diversas congregationes* causa effectuum fatalium fuit. Ubi enim Observantes inveniebantur, ibi congregationes reformatae deesse consueverant; Discalceati vero alios confratres in suis ditionibus laborare non sinebant; ideoque vires Reformatorum et Recollectorum paene totaliter frigescebant, quia in paucis tantummodo terris admittebantur. Non minoris erat detrimenti, quod *potestas ministri generalis* sensim sine sensu etiam quoad missiones *diminuebatur,* quo factum est, ut non amplius simplici mandato fratres e diversis provinciis desumere et illuc delegare posset, ubi eis opus erat. Provinciae vero non semper officium suum implebant, et, ut optimae fuerint voluntatis, de paucis tantummodo fratribus egregiis disponere poterant. Prius, i. e. ante ruinam coloniarum Hispanarum, multae provinciae in hac sententia acquiescere poterant sibi ipsis laborum campos praecludi, sed a saeculo XIX etiam haec causa desiit exsistere. Omnes enim provinciae abhinc ubique admittebantur et ministri generales non praetermiserunt saepe fervidas provocationes ad provincias dirigere et missionarios petere. Dolendum est, quod eorum preces non ubique sufficienter sunt exauditae. Quarundam enim provinciarum communem totius ordinis et regni Christi utilitatem conservari adeo non intererat, ut confratres suos in ditionibus longinquis simul cum fructu operum suorum perire mallent, quam minima resignare commoda propria, ut missiones sufficienter adiuvarent, quamvis historia doceat provincias in patria tanto magis floruisse, quanto plures operarios missionibus tradiderint. Forsitan

minus religiose illae provinciae agebant, quae permittebant, ut fratres scientia et moribus inepti in missiones proficiscerentur. Iam anno 1532 *Nicolaus Herborn* praeceperat, ut solummodo „fratres rari, integri, illustres" pro missionibus eligerentur, quibus simul prudentia dederat consilia [1]. Haec praecepta non observari ordo saepius conquestus est [2]. Similibus rationibus minister generalis anno 1646 adductus est, ut a congregatione de Propaganda fide, cui omnes missiones ad Hispaniam et Lusitaniam non pertinentes suberant, decretum impetraret, iuxta quod nemo fratrum absque testimonio habilitatis a ministro generali obtento in missiones proficisci posset [3]. Haec enim congregatio durantibus primis annis suae exsistentiae omnes fratres, qui missionibus nomen dare parati erant, admiserat, quamquam ordini persuasum erat eosdem penitus esse inhabiles.

Tam ut missionarii boni educarentur, quam ut negligentia provinciarum superaretur, ordo ineunte saeculo XVII propria collegia missionum erigere cogitavit [4]. Capitulum Toletanum anni 1633 praecepit, ut in Hispania, Italia, Gallia et in natione Germano-Belgica singula constituerentur collegia, in quibus missionarii futuri in linguis et controversiis fidei instituerentur [5], quod tamen decretum exsecutioni non mandatum esse videtur. Igitur anno 1686 ordinatum est, ut saltem in provinciis Hispanis et Americanis collegia missionum erigerentur, quae simul loco domorum recollectionis essent. Ius inspectionis in eadem ministro generali competeret, quod ipse mediantibus *commissariis missionum* exerceret, qui ubique fratres habiles conquirere et in haec collegia mittere possent [6]. Revera multa huius generis collegia sunt orta, praesertim in America, quae multum boni protulerunt. Etiam in Europa, praecipue in Hispania numerosae domus excolendis missionariis destinatae sunt, quin tamen semper pateat, utrum pro missionibus internis constitutae sint, an pro externis. Certum est ambo collegia Romana, *S. Petri in Montorio* anno 1668 et *S. Bartholomaei in insula* anno 1709 fundata esse, ut missionarios pro Terra Sancta et pro oriente educarent. Quia vero horum frequentia spes fefellit, minister generalis anno 1747 excommunicatione comminatus est omnibus, qui fratres iuvenes a missionibus arcerent [7]. Cum initio omnia collegia missionum iurisdictioni ministri

---

[1] W XVI 311. [2] W XX 62. Gub. III 696 700.
[3] Gub. I 75. [4] *Diaz* 558.
[5] Chron. I 696. [6] Chron. III 1, 261.
[7] Chron. III 1, 529; III 2, 387.

generalis subessent, Discalceati et Recollecti Galli anno 1727 postularunt, ut sua collegia solis ministris provincialibus subderentur, cui petitioni Papa consensit. Anno sequenti collegia Hispaniae malum hoc exemplum imitati sunt, sed iam anno 1746 petierunt, ut pristinum ius restitueretur, quia sub ministris provincialibus omni ex parte regressus fecissent [1].

Tempestates rebellionis collegia missionum omnino abstulerunt, quorum loco nostris temporibus novae domus erectae sunt [2]: In Hispania *Compostellae* anno 1862, in urbe *Chipiona* dioeceseos Hispalensis anno 1882, ambo pro missionibus Marochianis et Terrae Sanctae deinde in civitate *Aguilera* anno 1887 pro missionibus Peruanis et Cubae insulae. Romae novum collegium *S. Antonii* etiam erudiendis missionariis destinatum est et collegium Hibernicum *S. Isidori* educationem illorum fratrum suscepit, qui pro missionibus in Australia designantur.

Difficile est *numerum* missionariorum in his collegiis vel in missionibus ipsis educatorum, qui modo in convertendis ethnicis et Mahumetanis occupantur, accurate assignare, quippe quia non ubique missionarii accurate a fratribus inservientibus aliis finibus exacte distingui possunt. Nihilominus fratres actu in missionibus laborantes versus 1500 censendi sunt, qui numerus a nulla ceterarum societatum missionariorum exaequatur [3]. Materia statistica, qua tempora anteacta cum nostris comparare liceat, omnino quidem deest, dicendum tamen est non adesse causam, quare ordinem historiae missionum suarum pudeat. Nam etsi in decursu temporum vitia sunt commissa — quis enim a vitiis indemnem se servavit? —, etsi non omnes ita laboraverunt, prout religiosi Minoritae debuerunt, tamen audacter quaerere possumus, num *summa operum,* quae ordo in missionibus praestitit, ab aliqua ceterarum societatum superata sit.

In decursu sequentium tractatuum aliquo modo, quae diximus, demonstrare conabimur. Prius tamen hic breviter commemoremus missionarios novissimis his temporibus in diversis *sororibus missionariis* firmum invenisse adminiculum, quae praecipue de *missionariis Mariae Franciscanis* valent [4].

---

[1] Chron. III 2, 85 105 372.

[2] Acta XXV 56.

[3] Cf. Acta XXVII 184. *H. A. Krose,* Katholische Missionsstatistik, Freiburg 1908.

[4] *M. Fernandez,* Conspectus omnium missionum Ord. Fr. Min. anno 1904 ad 1905, Quaracchi 1905, 297.

§ 98. Missiones Americae mediae et Mexici.

Modus, quo Franciscani Americae detegendae participes fuerunt, non raro nimis exaggeratus est. Scimus tamen ex ore Christophori Columbi ipsius eum amico suo *Ioanni Pérez*[1], guardiano conventus de la Rabida prope portum Palos, multum debuisse. Neque adest ratio dubitandi de eis, quae quidam testis ocularis tradidit, videlicet Columbum cum suo filio iam anno 1484 in conventu de la Rabida hospitium et intelligentiam suorum consiliorum invenisse, tempore cum a plurimis derideretur. Certum quoque est Ioannem Pérez effecisse, ut futurus terrarum inventor denuo ad aures reginae admitteretur, quo factum est, ut demum, quae optaverat, impetraret. Denique doctum illum guardianum cum Columbo profecturo in portu civitatis Palos invenimus[2]. Cumque magnus ille terrarum inventor pauper et derelictus anno 1506 Vallisoleti proximus morti habitum Minoriticum postularet, Franciscani fuerunt, qui ipsius oculos clauserunt, eius animae exsequias celebrarunt, et probabilissime eius corpori primam sepulturam concesserunt[3].

Infirma autem est affirmatio *Bernardinum Monticastri a Tuderto*[4], Minoritam, iam primae expeditionis participem fuisse, verisimile enim est sacerdotes prima vice Columbum non esse comitatos. Nuntius de successu detectionis occasione capituli generalis Observantium ultramontanorum in loco Florenzac anno 1493 congregati in ordine percrebruit. Quantopere hic rumor „familiam S. Francisci in sanguine suo prodigam“[5] commoverit, optime patet ex verbis chronistae contemporanei, qui tradit, fratres „more elephantis ad sanguinis aspectum animati“ Maillard, vicarium generalem adisse petentes, ut eis liceret missiones in insulis detectis suscipere[6]. Attamen electio missionariorum *Bernardi Buyl* (Boil) erat, qui proponente rege Hispaniae a Pontifice vicarius Apostolicus nominatus erat, quique contra tenorem bullae nominationis non Minoritis, sed novo ordini Minimorum annumerandus

---

[1] *F. Dent*, Perez and Columbus, Roma 1903. *J. Coll*, Colón y la Rábida[2], Madrid 1892. *M. A. Lazzaroni*, Cristoforo Colombo, osservazioni critique sui punti più rilevanti e controversi della sua vita, Milano 1892.

[2] *Coll* 135.

[3] *R. Cocchia*, Cristoforo Colombo e le sue ceneri, Chieti 1892, 50 59. *Lazzaroni* II 220.

[4] MF V (1890) 191.

[5] *Henrion*, Allgemeine Geschichte der katholischen Missionen II 641.

[6] AF II 523.

est, a quo anno 1497 iterum ad Benedictinos rediit[1]. In missionariis, qui cum Bernardo Buyl anno 1493 socii alterius expeditionis Columbi erant, etiam aliqui Franciscani inveniebantur, velut duo fratres laici Belgae *Ioannes de la Deledeuille* (de la Duela, qui etiam Borgoñón vel il Bermejo h. e. rufus vocatur) et *Ioannes Cosin* (de Tisim)[2], ambo amici et comites clari illius protectoris Indianorum Las Casas, qui postea ordinem Dominicanorum ingressus est. Num plures Franciscani interfuerint, in medio relinquatur. Verisimillimum tamen est *Antonium de Marchena,* qui a multis idem esse putatur ac Ioannes Pérez[3], alterius expeditionis participem fuisse. Litterae adhuc asservantur, in quibus rex Hispaniae desiderat, ut hic Antonius ob magnam artis astronomicae peritiam Columbum comitaretur[4].

Missionibus ipsis Buyl non incubuisse videtur, quippe quod ob brevitatem temporis et omnimoda inscientia linguarum vix fieri posset; nam propter dissensiones inter eum et Columbum ortas ipse cum maiori parte missionariorum paucis mensibus post iterum revertit. In eis, qui remanserunt, etiam ambo Franciscani Belgae erant, qui, quatenus laicis licebat, linguam illius gentis discere et Indianos instruere studerunt. Deinde ab anno 1500 continuo novi missionarii in insulas *Antillas* mittebantur[5], ubi magno cum successu laborabant simul idemtidem novos collaboratores in magna animorum messe postulantes. „Necesse esse, ut omnes provinciae et custodiae totius ordinis aliquos fratres mitterent", haec missionarii anno 1500 ad vicarium generalem familiae ultramontanae miserunt[6]. Quia vero huius petitionis non satis ratio habita est, Ferdinandus, rex, capitulo generali Observantium Barcinonae anno 1508 coacto iterum instantissime res afflictas illarum regionum exposuit et Clemens VII anno 1526 Carolo V licentiam concessit mittendi in Americam 120 Franciscanos, 70 Dominicanos et 10 Hieronymitas, idque, si necesse esset, contra voluntatem superiorum ordinum praedictorum[7]. Denique in capitulo anni 1535 decretum est, ut singulae provinciae Hispanae singulis trienniis 2—3 missionarios in Americam mitterent iuxta ea, quae ordo Imperatori promisisset. Simul omnes provinciae, quae

---

[1] *F. Fita:* Boletín de la Real Academia de la Historia, Madrid 1891—1892, t. XIX—XX passim.

[2] AF II 523. *Coll* 271. Saggio n. 312.

[3] Cf. de his *Lazzaroni* I 94. *Coll* 131. [4] *Fita* XIX 193.

[5] W XV 247 413. *Coll* 272. *Diaz* 471 489.

[6] AF II 525.

[7] *Ehrle:* Stimmen aus Maria-Laach XLVI (1894) 390.

non ad Hispaniam pertinebant, quasi penitus exclusae sunt[1], quamquam et imposterum rari missionarii ceterarum nationum in America inveniebantur.

Cum circa annum 1501 numerus colonorum et neophytorum valde crevisset, consilia de erigenda hierarchia inita sunt. Primus Episcopus terrae novae *Garcia de Padilla,* Franciscanus, factus est, cui anno 1504 Episcopatus Bainúanus in insula Haiti assignatus est[2]. Quia vero haec decreta Pontificis intercedente rege Hipaniae exsecutioni non sunt mandata, idem Garcia anno 1511 ad novum Episcopatum insulae S. Dominici (S. Domingo) translatus est, quo facto Episcopus consecratus est et ordinationes pro sua dioecesi edidit, usquedum anno 1515 moreretur, quin tamen pateat, num ipse in Americam se contulerit[3]. Certum tamen est primum Episcopum continentis Americanae, *Ioannem de Quevedo* Minoritam, anno 1514 profectum esse in suam dioecesim, quae anno praecedenti in S. Maria del Antigua ad sinum Dariensem erecta erat[4]. Etiam in multis aliis dioecesibus Americae Minoritae primi Episcopi erant[5], quippe quia multis in locis primi erant missionarii.

Ex insulis Indiae occidentalis fratres anno 1519 simul cum egregio Cortez tamquam sacellani campestres in *Mexicum* (Novam Hispaniam) venerunt[6]. Civitate capitali anno 1521 occupata felix ille expugnator a rege Hispaniae missionarios petiit; bonis tamen sacerdotibus et castis opus esse, qui decimas non postularent; quapropter Observantes Franciscanos maxime esse idoneos[7]. Igitur Carolus V ministrum generalem adiit, qui statim novam missionem litteris encyclicis ordini magnopere commendavit. Interea iam anno 1522 Imperator ipse tres fratres Belgas in Mexicum miserat, videlicet *Ioannem de Tecto* (Couvreur), qui primum fuerat professor universitatis Parisiensis, deinde guardianus Gandavensis (Gent), *Ioannem de Ayora* (van der Auwera) et Petrum de Mura, laicum, qui *Petrus Gandavensis* vocari consuevit[8]. Hic praesertim durantibus 40 annis, quibus in Mexico laborabat, populum ita sibi devincire noverat, ut alter Archiepiscopus huius terrae dicere consuevisset: „Non ego sum Archiepiscopus,

---

[1] W XVI 396. [2] *Fita* XX 587. [3] Ibid. 604. [4] Ibid. 602.

[5] *R. G. Muiños,* Primicias religiosas de América, Santiago 1894, 179.

[6] *G. Mendieta,* Historia eclesiástica Indiana, ed. *J. G. Icazbalceta,* México 1870. *Marcell.* VI 523.

[7] W XVI 138 264.

[8] *P. Marchant,* Fundamenta duodecim Ord. Fr. Min. II, Bruxellis 1657, 115. *Dirks* 97.

sed Petrus Gandavensis, laicus.“ Contra invitationem Pontificis, Imperatoris et ministri generalis sacerdotio initiari recusans contentus erat pueros in legendo et scribendo, in musica et in opificiis instruere, innumeras ecclesias et scholas aedificare et indigenas ad receptionem SS. Sacramentorum praeparare. Solummodo, si sacerdos non aderat, ipse praedicabat magno cum gaudio alumnorum suorum, qui eius beneficia suavissimo amore rependebant. Diu adhuc, postquam mortuus est (1562), eius memoria permansit et paene in unoquoque vicu effigies huius amabilis fratris inveniebatur, qui miseros oppressos tanto affectu complexus erat [1].

Iam ante hos fratres Belgas *Ioannes Glapion,* confessarius Imperatoris, et *Quiñones* Mexicum petere cogitaverant, quapropter a Pontifice necessarias sibi impetraverant facultates [2]. Quia vero Glapion mox mortuus et Quiñones minister generalis factus est, hae exsecutioni non potuerunt mandari. Tum vero Quiñones electos fratres ex provincia S. Gabrielis duce *Martino a Valencia* [3] († 1534) emisit, qui anno 1524 Mexicum appulerunt. Hi, qui non raro „Apostoli Hispaniae novae“ vocantur, austerrimam ducentes vitam tanto zelo in missionibus operati sunt, ut extraordinario successu gauderent. Initio sane difficultatibus laborabant, quas nobis vix fingere possumus. Quia enim interpretes paene totaliter deerant, fratres carta et calamo instructi sonus Indianorum defigere, eorum significationes coniectura invenire et sic verborum supellectilem colligere debebant. Sed etiam hae difficultates pro rato tempore celeriter superatae sunt et postea Minoritae clarissimi investigatores et descriptores linguarum et antiquitatum Mexicanarum facti opera produxerunt, quae hodiedum primarii sunt valoris [4]. Clarissimi horum investigatorum durante saeculo XVI habentur *Alphonsus Molina, Bernardinus Ribeira ex Sahagun* († 1590), *Andreas Olmos, Torybius Motolinia* et *Maturinus Gilberti.* Iam respectu ad haec merita habito missionarii non fuerunt arguendi, quod simul cum zelo neophytorum multos pretiosos thesauros antiquitatis Mexicanae deleverunt. Haec sane dolenda sunt, si respicimus solam archaeologiam, sed missionarii, qui maiora intendebant, idololatriam saepe non melius debellare poterant, quam evertendo superstitionis simulacra, quo in negotio in ultima analysi non aliter

---

[1] *Mendieta* 607. [2] Ibid. 187.

[3] W XVI 354. *Mendieta* 571.

[4] *Mendieta* 549. *Diaz* 511 520. *J. Dahlmann,* Die Sprachkunde und die Missionen, Freiburg i. Br. 1891, 90. *Marcell.* VII 2, 574 646 732 828.

egerunt quam S. Bonifatius, cum quercum deo Donar sacratam prope Geismar caederet.

Praeterea theoreticos querulos ad id reicimus Indianos Mexici primario Franciscanis debere, quod non exstincti sunt, sicut incolae insularum adiacentium. Ubicumque missionarii laborabant, indigenae salvi manebant et multiplicabantur [1]. Quid vero Minoritae simul cum ceteris missionariis pro cultu populi praestiterint, notum est. Ubique scholas fundabant, immo in civitate capitali Franciscani anno 1530 collegium maius erexerunt, in quo discipuli praeter alia etiam in lingua Latina erudiebantur [2]. His studiis expugnatores sane maximam ad partem restiterunt, qui meliorem conditionem Indianorum admittere nolebant, ut eos facilius opprimere possent. Hac de causa multos indigenas christianam religionem non sincere amplexatos esse patet. *Hieronymus Mendieta,* magnus Indianorum amicus, omnia sophismata, quibus oppressores suam agendi rationem excusare conabantur, evertit simpliciter quaerendo: Quid vos diceretis, quid vos de christiana religione cogitaretis, si vos loco Indianorum essetis, et illi loco vestro? [3] Eodem zelo pro miseris intercessit *Ioannes Zummaraga* [4] († 1548), huius confrater, qui anno 1528 in officio Archiepiscopi Mexicani et „protectoris Indianorum" novam Hispaniam ingressus est. Ipse primam officinam typographicam Mexici erexit, ut veritates christianas populo facilius patefaceret, et, quaecumque potuit, fecit, ut tristem indigenarum conditionem levaret. Haec studia exactores sane odio rependebant, sed Indiani summo amore, quem praecipue Ioanne defuncto significabant. Quod hi populi interdum contra christianam religionem rebellabant et copiosum sanguinem martyrum profundebant [5], satis declaratur ex eo, quod credebant, cum nova religione sibi simul servitutem afferri, quod proh dolor! non raro factum est. Etiam mali sacerdotes, qui in Mexicum emigraverant et de quorum conversatione iam mature querelae audiebantur, non parum ad haec conferebant [6]. Ubicumque autem Indiani missionarios innocentes ab expugnatoribus discernebant, ibi vitam religiosam tam sincere et studiose amplexati sunt, ut antiquitas christiana renovata esse videretur [7]. Commovens erat caritas Indianorum in

---

[1] *Mendieta* 230. [2] Ibid. 414. W XVI 406.

[3] *Mendieta* 520. Cf. 310 501.

[4] Ibid. 629. *J. G. Icazbalceta,* Don Fray Juan de Zummáraga, México 1881. *B. Verelst,* Zummaraga, eerste Bisschop, aartsbisschop van Mexico, Rousselare 1907.

[5] *Mendieta* 735. [6] Ibid. 501. W XVI 199. [7] *Mendieta* 274 282.

missionarios, ingentiaque, quae largiebantur, ut amicos suos secum haberent, praesertim cum hi aegrotantes praecipue tempore pestis omnibus viribus adiuvarent. Magna conversionum frequentia, quae non raro accidit, effecit, ut missionarii baptizantes omnes caeremonias superfluas resecarent, aeque ac cetera praecepta pure ecclesiastica omittebant, si successum missionis diminuebant. Haec facientes ordinationes Nicolai Herborn observabant, qui in monitione ad missionarios scripserat: „Malo tamen eos, qui nuper Christo inautorati sunt, lenitate ac mansuetudine duci, quam praescriptis et legibus ac decretis humanis. Queritur Augustinus, nostram religionem, quam Christus praeceptis voluit esse contentos paucis, nimio plus decretis humanis gravari, ut tolerabilior fuerit olim Iudaeorum conditio, quam modo sit Christianorum. Temperandum est igitur a legibus.“ [1] Quia vero quidam censebant neophytis non plus esse concedendum, quam ceteris christianis, lites exortae sunt, quas Papa anno 1537 edicto decidit, in qua auream mediocritatem tenet [2].

Mexico versus septentrionem confine erat regnum *Michoacan* [3], quod tunc temporis independens erat. Illuc Martinus a Valentia iam anno 1525 quosdam fratres miserat duce *Martino (de Jesus) a Coruña,* qui cum *Antonio de Segovia* praestantissimis missionariis huius terrae annumeratur [4]. Hac ditione maximam ad partem religioni christianae comparata conventus ibi exsistentes magis magisque contenti erant exercere curam animarum inter catholicos, quamquam in regionibus dissitis adhuc pagani habitabant. Itaque ordo anno 1682 collegium de *Querétaro* [5] fundavit, cuius membra magna cum assiduitate missionibus ethnicorum incubuerunt. Eadem valent de collegio Discalceatorum de *Pachuca* [6], quod ab anno 1733 gentes in montibus Cimapan (Sierra Madre) habitantes convertendas suscepit. Collegium de *Guadalupe in Zacatecas* ab *Antonio Margil* († 1726) fundatum et *collegium S. Ferdinandi* in Mexico studiis Pontificis et regis anno 1734 erectum, eodem zelo in missionibus laborabant, praecipue in novo Mexico et in California [7].

In *Yucatan* paeninsulam multum laudatam, „ubi medici non inveniuntur et homines marasmo senili confecti moriuntur“ [8], primi

---

[1] W XVI 320. [2] *Mendieta* 267. W XVI 415.
[3] Saggio n. 38 544 550. [4] *Mendieta* 376.
[5] Chron. III 1, 204. Gub. IV 335. Saggio n. 41 98. *Diaz* 616 630.
[6] BD IV 87.
[7] *Z. Engelhardt,* The Missions and Missionaries of California I, San Francisco 1908, 614. [8] *Mendieta* 380. *Diaz* 483 516 531.

Minoritae etiam ex Mexico venerunt. *Iacobus Textera* cum quattuor fratribus hanc gentem, lingua eiusdem ad exemplum missionariorum Mexicanorum percepta, instruere et protegere coepit, quo facto odium expugnatorum sibi comparabant, cui ipsi aeque ac missiones sequentes cedere debebant. Demum sensim sine sensu missionarii locum suum obtinere poterant, cum plures adiutores ex Hispania accepissent. Optime de his missionibus meriti sunt *Laurentius a Bienvenida* et *Didacus a Landa* († 1579), qui anno 1573 pluribus confratribus suis in Episcopatu huius terrae successit[1].

In ditiones de *Guatemala et Honduras* a Yucatan versus meridiem sitas iam anno 1525 *Ioannes Couvreur,* frater Belga, pervenerat, qui tamen mox fame interiit[2]. Duobus annis post alii fratres ex Haiti illuc appulerunt, qui in Truxillo pedem figentes studiose in missionibus laborabant[3]. Latius patuit eorum industria, cum anno 1539 novi operarii ex Hispania venirènt, qui adhuc durante saeculo XVII ubique stationes missionum ibidem sustentabant[4]. In missionariis praecipue nominandus est *Petrus (de Iosepho) Betancour*[5], qui anno 1670 magnam societatem excitavit, cuius erat, ubique hospitalia pro pauperibus erigere. Idem peritia linguarum praestitit, qua tamen in re superatur a suo confratre *Maldonado,* qui tres linguas in Guatemala vigentes mire noverat et in sua „Theologia indiana“ utile manuale pro missionariis ibi exsistentibus composuit[6].

Collegium missionum (SS. Crucifixi), quod Antonius Margil in Guatemala erexit, Indianos, qui vocantur Talamanca quique in isthmo de Panamá habitabant, convertendos sibi proposuit[7]. Ditio de *Nicaragua* et *Costa Rica,* quod missionarii in Guatemala proficiscentes peragrare debebant, iam saeculo ante missionarios acceperat. Circa annum 1536 fratrem *Ioannem Gandavensem* ibi invenimus, qui consilium administrorum Hispalense adiit, ut Indiani et missionarii contra tyrannidem colonorum defenderentur[8]. Annis sequentibus multi alii fratres illuc pervenerunt, quorum *Petrus Alphonsus a Betanzos* maximo gaudebat successu[9].

---

[1] Saggio n. 147. *Muiños* 188. [2] *Dirks* 45.
[3] W XVI 246. *Diaz* 488 494.
[4] Saggio n. 212 sq 400. *Marcell.* VIII 55.
[5] Saggio n. 248. [6] *Dahlmann* 110.
[7] Saggio n. 191 236. [8] Ibid. n. 245.
[9] *Mendieta* 393. *Diaz* 534. Cf. W XX 68.

§ 99. Missiones Americae meridionalis.

Septentrionalis pars Americae meridionalis tempore inventionis sub nomine *Terrae firmae* comprehensa est. Regio secundum litus a sinu Dariensi ad orientem spectans etiam Nova Andalusia appellata est, cum *Columbia* moderna Nova Granata vocari consuevisset. Tam ibi quam in Venezuela versus orientem sita ordo a saeculo XVI industriam late patentem in missionibus explicavit[1].

Circa annum 1510 primi Minoritae ab insulis Antillis ad hanc continentis partem appulerunt, moxque unus eorum primus Episcopus ibidem factus est (§ 98). Cum anno 1516 tres fratres in manus anthropophagorum Caribicorum incidissent, paulo post novi fratres supervenerunt, qui multos Indianos, a quibus amice sunt recepti, in fide erudiebant et baptizabant[2]. Extraordinariis successibus gavisus est *Ioannes a S. Philiberto,* qui ab anno 1527 per integram aetatem hominis singulas gentes peragrabat. Cum vero fratres ex Hispania idemtidem ad Terram firmam appulissent, medio eodem saeculo provincia Columbiae fundari potuit, cuius conventus praesidia missionis facti sunt. Maiores stationes missionum a septentrione versus meridiem appellabantur: Cartagena, Pampelona, Vélez, Tunja, Bogotá et Anserma, a quibus multae reductiones Indianorum erigebantur. In quibusdam regionibus Minoritae soli missionarii erant, velut in provincia Guane et inter gentes efferatas, quae vocabantur Bixaos et Putinaes, quibus fratres ex conventu Cartaginiensi evangelium praedicabant. Ambae tamen gentes praedictae exceptis duabus reductionibus, utpote Hispanis inimicissimae, iam anno 1624 exstinctae erant, quamquam fratres omnibus viribus hanc inhumanitatem cohibere conabantur et Philippus, rex, ipse anno 1587 a Minoritis stetit laudans eosdem, quod indigenis humanam tractationem impetrare studerent et in missionibus magnos successus haberent[3], quippe quia brevi hoc tempore iam circiter 200000 Indianos baptizaverant[4]. In missionariis ibi laborantibus praecipue nominandi sunt: durante saeculo XVI *Ludovicus Zapata* ex Cardenas, qui anno 1578 Archiepiscopus de Bogotá factus est et *Petrus ab Aguado,* historiarum huius terrae scriptor[5]; durante saeculo XVII: *Franciscus a Victoria,* Apostolus vallis Sagamozo et *Ferdinandus Larrea,* qui circa annum 1700 duo nova collegia missionum in Popayán et Cali erexit[6].

---

[1] *Marcell.* VII 2, 20; VIII 228. Saggio n. 131 552 691.

[2] *Mendieta* 41. [3] *Marcell.* VII 2, 31.

[4] Acta XXIV 385. [5] Saggio n. 8. [6] Ibid. n. 532.

Venezuela moderna a Carolo V, Imperatore, familiae Augustanae Welser ab anno 1528 usque ad annum 1545 in pignus est tradita. Milites Germani in hanc terram occupationis gratia missi adhuc peius se gesserunt ac Hispani, qua de causa missionariis multas difficultates parabant. Accessit, quod in meridionali parte huius terrae desideratum illud *Eldorado* reperiendum suspicabantur, quapropter idemtidem novae expeditiones in meridiem penetrare conatae sunt, quae misere interire consueverant. Anno 1595 quinque Franciscani cum Beri adversus flumen Orinoko profecti primum in Angustara (Bolivar) venerunt, ubi iam confratres invenerunt. Inde flumen Paragua secuti sunt usque ad campum magnum de Tutumos, ubi extrema penuria reverti coacti sunt. Ab anno 1740 multi fratres novi venerunt, qui stationes missionum in ditione ab Orinoko versus meridiem sita praecipue iuxta flumen *Caura* erigebant multumque a Batavis passi sunt [1]. Etiam missionarii *gentium* Venezuelae *ad ora oceani habitantium* multis premebantur difficultatibus. Primi fratres in insula *Trinidad* circa annum 1540 in manus anthropophagorum inciderant; altera expeditio duce *Ioanne Deodato* partim atrocissimis morbis confecta, partim reverti coacta est; demum saeculo XVI ad finem properante Minoritae ibi successus habere coeperunt. Postea a medio saeculo XVII multae stationes missionum tam secundum litus Cumanum quam in mediterranea meridionali plaga iuxta flumen Orinoko ortae sunt. Utique hae missiones copioso sanguine irrigari debuerunt, quia gentes Caribicae sacerdotes cum expugnatoribus confundebant, eosque saepe non admittebant, nisi prius iureiurando affirmassent Hispanos se non esse subsecuturos [2]. Maximi momenti erant missiones inter gentes, quae appellabantur *Piritu* et *Palenques*, quorum milleni intra pauca decennia religionem christianam acceperunt, praecipue studiis fratrum *Ioannis a Mendoza* et *Ruiz Blanco* allecti [3].

Durante saeculo XVI Columbiae versus meridiem confine erat imperium principum, qui vocantur Inka (Peruvia), quod regnum de Quito (Ecuador), Novam Castiliam (Peru), Boliviam occidentalem (Peruvia alta) et Novam Estremaduram (Chile septentrionale) complectebatur. Amplae ditiones ad flumen Amazonas sitae, quae usque ad limites septentrionales Paraguay *veteris* pertingebant, simpliciter regiones Amazonum appellabantur, quo nomine intellecti sunt omnes

[1] *Marcell.* VIII 244. [2] Ibid. 232.

[3] *Ruiz Blanco*, La conversión de Piritu, Madrid 1892. Saggio n. 588. *Marcell.* VIII 249.

status fluminis La Plata: videlicet Argentinia septentrionalis, Paraguay moderna, Uruguay et status meridionales Brasiliae. Brasilia *vetus* (Terra S. Crucis) solum orientem continentis a Pará usque fere ad flumen Rio de Janeiro complectebatur. In omnibus his amplis ditionibus Americae meridionalis a Pernambuco usque Limam, a promontorio Horn usque ad Panamá in hac epocha missionarii Franciscani inveniuntur.

Regnum Peruvianum Minoritae simul cum expugnatoribus ingressi sunt[1]. *Marcus Niciensis*[2] (Nizza), qui etiam de scribenda historia huius terrae optime est meritus, quique ex Mexico advenerat, atrocissima facinora videre debuit, quae Hispani contra indigenas bene moratos commiserunt. Ipsi, qui peregrinos honorifice receperant eisque auri copiam donaverant, inhumanissimo modo tractati sunt et gregatim trucidati. Postquam Marcus adhuc triste illud factum de Cajamarca vidit, ubi Pizarro regem (Inka) Atachualpa turpissime prodidit, anno 1533 cum Belalcazar in regnum *Quito* profectus est, ubi etiam frustra vocem suam contra crudelitatem expugnatorum levavit. Igitur nihil aliud ei relictum est, quam relatione ad curiam Hispanam[3] transmissa facta narrare et misericordiam rogare. Deinde in Mexicum revertit, unde novos missionarios emisit. Possibile est *Iodocum Ryke,* Belgam, in his fuisse; profecto ipse erat, qui anno 1534 missionem in Quito auspicatus est, quam solus cum socio suo *Petro Gosseal* Bruxellensi usque ad annum 1564 continuavit[4]. De alumnis suis testatur: „Inter ipsos pauper non invenitur, quamquam pauperes omnes in victu et vestitu.“ Ipse eos in arte legendi et scribendi, in musica, opificiis et agricultura instruxit, ne Indiani ullo modo a colonis dependerent. Cumque numerus fratrum augeretur, anno 1565 in *Ecuador* provincia sui iuris erecta est, cuius membra ex Cuenca et Pasto quoquoversus reductiones erigebant et bono successu gaudebant[5]. Adhuc saeculo XVIII exeunte ultra viginti vicos Indianorum gubernabant. Anno 1889 ipsis vicariatus Apostolicus in *Zamora* delatus est, ut missiones inter paganos ibi habitantes susciperent. Dolendum est, quod ab anno 1897 ex causis politicis a gubernio prohibentur ibidem operari[6].

---

[1] *Marcell.* VI 669. Saggio n. 26 160. *Henrion* II 127. *Diaz* 491.

[2] *Marcell.* VI 684. *Muiños* 167 272. [3] W XVI 309. *Marcell.* VI 708.

[4] W XVI 384. *Diaz* 517. *Marcell.* VI 716.

[5] *F. M. Compte*, Varones ilustres en la Orden Seráfica en el Ecuador, Quito 1886. *Marcell.* VII 2, 92.

[6] Acta XXIV 356.

Maior pars fratrum, tam eorum, quos Marcus Niciensis adduxerat, quam eorum, qui ex Hispania advenerant, laborum suorum campum in Peruvia moderna[1] accepit, ubi brevi multi conventus et adhuc plures stationes missionum orta sunt. In primis missionariis praecipue nominandi sunt[2]: *Franciscus Morales, Franciscus ab Alcozer, Casparus a Vaños* et praesertim *Matthaeus a Iumilla* († 1578), laicus, qui in provincia de Cajamarca urbes vicosque peragrans austeritate poenitentiae suae animos summopere commovebat et liberis a se instructis adiuvantibus magnum influxum in Indianos exercebat. *Limae* fratres mature magnum conventum et duo collegia studiorum acceperunt, praeterea anno 1600 domum recollectionis, cuius primus guardianus *S. Franciscus Solanus* factus est. Haec domus anno 1845 in collegium mutata est, quod multos operarios pro missionibus internis multosque Episcopos produxit. Nostris demum temporibus ipsa in nova praefectura Apostolica S. Francisci, quae in regionibus superioribus fluminis Ucayali sita est, missionibus Indianorum, qui vocantur Chunchos, simul cum ceteris collegiis Peruvianis operam dare coepit[3].

Missio ad flumen Ucayali et in regionibus ceterorum fluminum occidentalium, quae influunt in fluvium Amazonas, gloriosa gaudet historia, quae sanguine conscripta est[4]. Iam anno 1631 *Philippus Luyando* cum quibusdam fratribus ex loco Huánucu ad flumen Huallaga expeditionem versus orientem suscepit magnoque cum successu laborabat in populo, qui vocatur Panataguas, quique adhuc converti renuerat. Postea anno 1636 *Hieronymus Jimenes* maximis sub periculis per ditionem *Cerro de la Sal* usque ad flumen Perene penetravit, ubi cum suis sociis interfectus est. Cumque nuntius de his Tarmam pervenisset, mox alii fratres duce *Mathia Yllescas* profecti sunt, qui ad ripas fluminis Chanchamayu septem reductiones Indianorum erexerunt, usquedum anno 1641 victimae sui heroismi fierent. Eidem fato eodem circiter tempore fratres cesserunt, qui in saltu fluminis Huallaga floridas stationes missionum fundaverant; gentes Indianae neophytis inimicae has reductiones deleverunt. Circa annum 1686 *Manuel Biedma* in itinere ad flumen Ucayali trucidatus

---

[1] *Diaz* 516. *Marcell.* VI 724.

[2] W XVIII 156. *Henrion* II 128. *Marcell.* VII 2, 45.

[3] Acta XXIII 306.

[4] *J. H. Unanúe,* Colección de los Mercurios referentes á las misiones de Caxamarquilla, s. l. 1791. *C. R. Markham,* Expeditions into the valley of the Amazonas, London 1859. Histor.-polit. Bl. LVII (1866) 445.

est, postquam ab anno 1673 de missionibus ad flumen Pangoa et de aedificandis plateis maximi momenti, qui commercio inserviebant, optime est meritus. Nova periodus missionum ibi incepit, cum *Franciscus a S. Iosepho* anno 1712 hospitium in villa *Ocopa*[1] a Jauja paucis horis distante et inter meridiem et orientem sita fundaret, quod postea collegium missionis est factum. Zelo suo infatigabili multis Franciscanis Europaeis persuasit, ut Ocopam peterent, quibus adiuvantibus iam anno 1742 decem missiones in ditione Cerro de la Sal fundaverat. Decem annis ante *Simon Zara,* eius confrater, amplum fertilissimumque campum inter flumina Huallaga et Ucayali detexerat, quem *Pampas del Sacramento* appellabat, quia eundem in festo SS. Corporis Domini ingressus erat. Cum anno 1742 seditione Indianorum ferorum facta omnes hae missiones deletae et *Dominicus Garcia* eiusque socii missionarii trucidati essent[2], fratres ex hospitio Ocopa anno 1760 denuo in regiones fluminis Ucayali penetrarunt, qua occasione iterum multi fratres occubuerunt, praesertim per manus gentis ferae, quae vocatur Casibos. „Sed zelus et heroismus Minoritarum, qui summam meretur admirationem, his non est deterritus.... Fortes et resignati studio pectori eorum insito, praedicandi evangelium Indianis, oboediebant. Cum nuntius de violenta morte confratrum suorum adveniret, statim alii loco occisorum se obtulerunt.“ In missionibus Peruviae septentrionalis et mediae 129 Franciscani ab indigenis interfecti sunt, quo in numero laici et fratres, qui incerta morte perierunt, non sunt comprehensi[3].

Cum *Franciscus Alvarez* a Villanova anno 1787 maiorem numerum fratrum ex Hispania arcessivisset, cum successu missiones deletae restaurari poterant. Ipsae multum debent *Emmanueli Sobreviela,* praesidi indefesso collegii de Ocopa, qui anno 1790 ad regiones fluminis Ucayali novos fratres emisit, in quibus *Narcissus Girbal* et praecipue eius confrater *Plaza* excelluerunt. Hic per quinquaginta annos omnes vires suas missionibus ibidem susceptis impendens personas et linguas gentium diversarum perfectissime omnium didicit, quae cognitio eum non raro a crudeli morte eripuit. Iam senex duodeoctoginta annorum Episcopus Cuencae factus est, ubi anno 1858 mortuus est. De successu laborum huius viri et confratrum eius

---

[1] Historia de las misiones de fieles e infieles del Colegio de Propaganda Fide de Santa Rosa de Ocopa, Barcelona 1883. Chron. IV 301. Saggio n. 565. *Marcell.* VIII 260.

[2] Saggio n. 93.

[3] Histor.-polit. Bl. LVII (1866) 448.

paulo post eius mortem testis ocularis haec refert: „Nullibi in Peruvia Indiani tam bene morati probique inveniuntur, quam in missione Franciscanorum ad flumen Ucayali.“ [1]

§ 100. Missiones Americae meridionalis. (Continuatio.)

Anno 1553 mandante rege Hipaniae fratres ex Peru in terram *Chile* [2] vocati sunt, „quia ibi nondum religiosi invenirentur“. In his fuerunt *Martinus a Robleda,* † 1560 tamquam primus Episcopus nominatus huius ditionis, et *Christophorus a Ravanera* († ca 1590). Post pauca decennia ordo ibidem multas stationes missionum erexerat, quae tamen cum urbibus novis idemtidem ab Indianis, qui vocantur *Araucanos,* deletae sunt. In his seditionibus Indiani saeva perpetrantes facinora ulti sunt contumelias ab expugnatoribus sibi illatas, contra quae Robleda et Ravanera vocem suam frustra apud regem levabant [3]. Optime de protegendis Indianis Chilenis frater *Antonius a S. Michaele* [4], primus Episcopus de Santiago, meritus est, qui amore suo numerosos Indianos sibi conciliavit, qui in sincera caritate oboedientes per viginti annos, dum ipse vivit, seditionem non excitabant. Ipse regi summas iniurias, quae indigenis inferebantur, ob oculos ponere non cessavit, cumque nihil proficeret, officium suum resignavit, quia videre amplius non poterat Indianos sibi dilectos opprimi. Demum post longiorem haesitationem gubernium eum ad Episcopatum de Quito transtulit, ubi anno 1591 mortuus est.

Saeculo XVIII ineunte Minoritae missiones a flumine Bio-Bio versus meridiem sitas Societati Iesu relinquentes solummodo partem septentrionalem colebant. Demum cum anno 1756 conventus de *Chillán* collegium missionum factus esset et Indiani, qui vocantur *Pehuenches,* quique adhuc converti renuerant, missionarios Franciscanos postularent, ordo etiam in meridionali plaga iterum operari coepit [5] idque impensius, postquam Iesuitae exules facti sunt. Eo circiter tempore optime meritus est *Petrus Angelus ab Espiñeira* († 1778), qui tam missionarius quam Episcopus de Concepción amicitiam Indianorum tantopere sibi conciliavit, ut ipsi post atrocem

---

[1] Histor.-polit. Bl. LVII (1866) 451.

[2] *J. M. Bonazzi,* Historia de las misiones de la República de Chile desde la conquista hasta nuestros días al cargo de los Franciscanos. Ms. Saggio n. 83. Cf. n. 9 457. *R. Lagos,* Historia de las misiones del Colegio de Chillán I, Barcelona 1908. *L. Mansilla,* Las misiones Franciscanas de la Araucania, Angol 1904.

[3] *Lagos* 25 28. [4] Ibid. 76. [5] Ibid. 108.

seditionem anni 1766 eum intercessionis gratia adirent[1]. Acceptissimus quoque erat *Franciscus Xaverius ab Alday*[2] († 1826), qui anno 1793 mandante gubernio cum indigenis seditiosis pactus quidem est, sed neque veritus est vitia gubernii castigare, praesertim perfidam invectionem sicerarum, quibus Indiani anima et corpore corrumpebantur. Bella independentiae adipiscendae causa paulo post suscepta missionibus grave attulerunt damnum, praesertim cum fratres Chileni ipsi imperio Hispanorum inimici essent, missionarii vero Hispani causam suae nationis defenderent, quae initio saeculi XIX in omnibus provinciis Americanis magis minusve manifestata sunt. Gubernium novum initio ordinibus erat inimicum; quo studio paulo post desinente anno 1832 novi Minoritae ex Italia collegium de Chillán occupantes opera priora renovarunt.

Eodem fere tempore Minoritae in collegium de *Castro* in insula Chiloe remigarunt[3], unde iam circa annum 1580 fratres *Antonius Quadramiro* et *Christophorus a Merida* usque ad fretum Magalhães penetraverant indigenis insularum, qui faciliores se monstrabant ac incolae continentis, evangelium praedicantes[4]. Iesuitis expulsis fratres collegii de Ocopa missiones insularum Chilenarum susceperunt, quas usque ad meridionalem plagam peragrabant. Idem adhuc anno 1843 *Dominicus Pozzolini* fecit, quin tamen aliquid memoratu dignum assequeretur[5].

Fratres provinciae *Boliviae*[6] primi evangelium inter gentes Indianas ibi exsistentes disseminarunt, idque praecipue durante saeculo XVII inter eas, quae vocantur Mojos et Mosetenes quique ad ripas orientales fluminum Beni et Madre de Dios circa *Apolobamba*[7] habitant. Quia vero subsidia ex parte regiminis ecclesiastici et civilis tam parca erant, ut missionarii mox paene ita nudi incedere deberent ac Indiani, minister provincialis anno 1793 missiones has Episcopo reddidit. Cum autem sacerdotes saeculares ibi non diu permanerent, Episcopus et gubernium collegium missionum *La*

---

[1] Ibid. 144. [2] Ibid. 348 406 547.

[3] Acta XXIV 384.

[4] *Marcell.* VII 2, 172; VIII 268.

[5] *Marcell.* VIII 277.

[6] *J. Cardús*, Las misiones Franciscanas entre los infieles de Bolivia, Barcelona 1886. *Marcell.* VIII 308. Saggio n. 26 409.

[7] Relación histórica de las misiones Franciscanas de Apolobamba, por otro nombre Frontera de Caupolicán. Edición oficial, La Paz 1903. *Marcell.* VII 4, 505.

Paz[1] anno 1837 fundatum adierunt. Hoc collegium erectum erat ab indefesso *Andrea Herrero* († 1838), qui ex anno 1834 magnum numerum fratrum ex Italia et Hispania arcessivit, quibus adiuvantibus collegia missionum in Chile, Peru et Bolivia iterum ad floridum reduxit statum. In Bolivia praeter collegium de *Sucre,* cuius membra nunc magis missionibus internis ibi maxime necessariis incumbunt, collegium de *Potosí*[2] erexit, quod ab anno 1869 in convertendis Indianis Chiriguanos ad flumen Parapeti habitantibus laborat. Postquam fratres hanc missionem Episcopo ad tempus reddiderunt, anno 1893 eandem instantibus Indianis iterum suscipere debuerunt. Etiam collegia antiqua de Tarija in parte meridionali et de Tarata in centro reipublicae Andreae Herrero restaurationem suam debent. Fratres collegii Tarija[3] durante saeculo XVII inter gentes, quae vocantur Chiriguanos, stationes missionum erexerant, quae tamen idemtidem ab Indianis deletae sunt. Demum *Antonio Comajuncosa* († 1814) indefesso et *Francisco del Pilar* († 1803), laico, contigit, ut hanc missionem stabilem et fertilem redderent. Missiones vero inter gentes, quae vocantur Tobas et Noctenes quaeque ad flumen Pilcomayo habitant, hucusque exiguum produxerunt fructum, quamquam ordo iam multorum fratrum iacturam ibi fecit.

Collegium missionum de *Tarata*[4] anno 1796 opera Episcopi Ochoa eo fine fundatum est, ut reductiones Indianorum nomine Mojos, quae Iesuitis expulsis perierant, denuo constituerentur et novae reductiones in gente, quae vocatur Yuracares, erigerentur. Horum munerum posterius tantum subiri potuit, quin contra studia heroica *Manuelis Lacueva* († 1849) et *Iosephi Puidgengolas* anno 1860 ab Indianis nomine Tobas interfecti notabiles fructus produceret. E contrario idem collegium ab anno 1800 cum successu convertendis Mosetenes interitui proximis incumbit et adhuc maiori cum fructu convertendis Guarajos, qui modo in pluribus floridis reductionibus vivunt. In membris defunctis huius collegii nominandi sunt *Gregorius Faraut, Iosephus Cardús, Basilianus Landini,* qui anno 1868 martyr sigilli

[1] Acta XXIV 359.

[2] *A. Martarelli,* El colegio Franciscano de Potosí y sus misiones, Potosí 1890. *Bernardino de Nino,* Una página ó sea continuación de la historia de misiones Franciscanas del colegio de Potosí, Potosí 1908.

[3] *[A. Corrado,]* Il collegio Francescano di Tarija e le sue missioni, traduzione dalla lingua spagnola del Canonico *Silvio Villoresi,* Quaracchi 1885.

[4] *W. Priewasser,* Bolivia, Die Franziskaner von Tarata und die Indianer, Innsbruck 1900.

Sacramentalis occubuit, denique *Santiago Cabot* († 1872), qui tamquam missionarius popularis Boliviam et Peruvium peragravit, cuiusque memoria adhuc est in benedictione.

Argentinia moderna divisa erat in campos (Pampas), qui a Buenos Aires versus occidentem et meridiem siti sunt, in ditionem de Tucumán inter septentriones et occasum solis spectantem, quae antea partim ad Peruvium altam pertinuerat, et in ditionem orientalem nomine Gran Chaco, quae usque in Boliviam pertingit. In omnibus his terris Minoritas missionarios invenimus. Pro missionibus in *campo (Pampas) centrali* anno 1868 collegium in civitate *Rio Quarto*[1] ortum est, postquam frater *Marcus Donati* Indianos gubernio magis conciliavit. Missionarii ipsi animos indigenarum praecipue eo sibi devinciebant, quod tempore cholerae anno 1870 grassantis infectos nullum mortis periculum timentes curabant. In Tucumán[2] magno cum successu *S. Franciscus Solanus*[3] († 1610) laborabat, qui proh dolor! iam post Apostolatum 14 annorum Limam revocatus est magno cum luctu Indianorum, quibus omnia factus erat. Urbes et status Americae meridionalis eius merita eo venerati sunt, quod eum coelestem sibi patronum adsciverunt. In ditione *Gran Chaco* membra collegii *San Carlos in S. Lorenzo*[4] iam anno 1784 reductiones pro gentibus, quae vocantur Mocovies et Tobas, fundaverunt, cum collegium de *Salta*[5] ex anno 1857 missionem Indianorum nomine Mataguyos susciperet. Conventus de *Corrientes*[6], qui anno 1887 collegium missionum factus est, fratres partim in occidentalem plagam ditionis Gran Chaco et Formosam ad flumen Paraguay mandat, partim ad stationem quandam, quam Terentius Marcucci anno 1899 in medio cursu fluminis Pilcomayo erexit.

Iam antequam missiones in occidente *Paraguay* veteris inciperent, Franciscani in orientali plaga evangelium praedicaverant. Anno 1538 quinque fratres ad Brasiliam meridionalem appulerunt[7], probabiliter

---

[1] Acta XXIII 238. [2] *Marcell.* VII 2, 94.

[3] A. SS. Iulii V 847. *Diego de Cordova*, Vida, virtudes y milagros del Apóstol del Perú el venerable Padre Fray Francisco Solano, Madrid 1643. *A. Hiral*, Vie de S. François Solano, Lille-Paris 1906.

[4] Saggio n. 562. *V. Caloni*, Apuntes históricos sobre la fundación del colegio de San Carlos y sus misiones, Buenos Aires 1884.

[5] Saggio n. 493.

[6] Acta XXII 121. *Q. Porreca*, Relación sobre las misiones Franciscanas existentes en la República Argentina, Buenos Aires 1894.

[7] W XVI 430. *Diaz* 518.

ad ora status S. Catharinae, unde in regiones interiores usque ad Paraguay modernum penetrarunt. *Bernardus Armenta,* huius expeditionis dux, indigenas non satis laudare potest flagitans, ut agricolae et opifices mitterentur, non vero milites, alioquin amor Indianorum in acerbissimum odium mutaretur. Etiam homines corruptos arcendos esse, ne Indiani missionarios mendaces dicerent videntes christianos peiorem ducere vitam quam paganos, sicut iam alibi factum esset. Dolendum est, quod avaritia colonorum haec capere non potuit. Cum anno 1547 hierarchia fluminis Platinensis erigeretur, *Ioannes de los Barrios* primus Episcopatum de Assunción suscepit, quem postea quoque saepius Minoritae secuti sunt[1], in quibus *Bernardinus a Cardenas*[2] († 1664) praecipue commemorandus est propter turbulentissimas tempestates, quas in Episcopatu sustinuit. Praestantissimus missionarius ordinis Franciscani *Ludovicus Bolaños*[3] († 1629) erat, qui plane fundator missionis de Paraguay vocari potest. Hic ultra 50 annos fideliter in labore suo persistens grammaticam et alios libros ad discendam linguam Guarani accommodatos conscripsit, qui omnibus missionariis maxime profuerunt. Cum anno 1767 Iesuitae ex ditione Paraguae pellerentur, gubernium spirituale partis reductionum, quas illi fundaverant, ad Franciscanos transiit, gubernium vero saeculare magistratus Hispani susceperunt, qui provinciam hanc adeo foenerati sunt, ut opera, quae Iesuitae magno cum sudore produxerant, brevi delerentur, usquedum bellis paulo post ortis reliquiae residentiarum quondam floridarum auferrentur. In ditionem *Uruguay*[4] evangelium et cultus profanus demum ineunte saeculo XVII cum successu penetrare potuerunt. Dubium non est, quin de hoc negotio Franciscani, praesertim *Bernardinus Guzmán* et *Joannes a Vergara,* optime omnium meriti sint.

Ad *Brasiliam*[5] iam anno 1500 cum Cabral, terrarum inventore, aliqui Franciscani appulerant, qui cruce erecta viam in Indiam orientalem quaerere continuaverunt. Anno 1503 iterum duo fratres ad portum Porto Seguro advenerunt, qui duobus annis post cum reliquis Lusitanis occisi sunt. Etiam e numero ceterorum fratrum, qui expeditiones sequentes comitati sunt, plures martyrio affecti sunt. In-

[1] *Marcell.* VI 735; VII 2, 128. [2] Saggio n. 118 617 798.

[3] *Marcell.* VI 729; VII 2, 121.

[4] *P. Otero,* La orden Franciscana en el Uruguay, Buenos Aires 1908.

[5] *A. M. Jaboatam,* Novo orbe seráfico Brasílico, Rio de Janeiro 1858. *S. Elsner,* Kurze Chronik des Franziskanerordens in Brasilien, Düsseldorf 1907. *Marcell.* VI 739; VII 2, 231.

dustria late patens tunc demum suscipi poterat, cum anno 1549 magnae multitudines missionariorum ordinum diversorum in vastam hanc ditionem penetrarent, in quibus etiam *Petrus a Palacios* († 1570), laicus Minorita, erat, qui in statu Espiritu Santo magno cum successu praedicabat. Sensim sine sensu ad ora oceani duae provinciae Discalceatorum ortae sunt, quarum tamen labores Apostolici tam discordiis internis[1] quam inimicitiis Batavorum damnum sunt passi. Praeter Discalceatos etiam Observantes Lusitani magno cum zelo evangelium disseminabant inter Indianos statuum Pará et Amazonas[2], ubi cum aliis fratribus convenerunt, qui ex occidente in vastas ditiones Amazonum penetraverant[3]. Anno 1635 quidam Franciscani expeditionem inventionis causa susceptam comitati erant, quae ex Quito versus orientem secundo amne Aquarico devecta erat usque ad locum, ubi hic in flumen Napo influit et maior pars expeditionis ab Indianis occisa est. Duo fratres *Didacus a Brieda* et *Andreas a Toledo* cum quibusdam militibus e strage evadentes lintrem conscenderunt et secundo flumine Napo in amnem Amazonas devecti sunt, in quo fugam suam continuaverunt usque ad urbem Pará ad ora oceani Atlantici sitam, quo anno 1637 post incredibiles labores pervenerunt. Hac occasione flumen Amazonas denuo invenerant, quippe quia eius notitia circiter per centum annos perierat. Hoc facto ex provincia Ecuador plures stationes missionum erectae sunt in regione fluminum, quae e plaga septentrionali in vastum Amazonas influunt. Sortes autem earundem ignotae latent, aeque ac sortes missionum, quas fratres Lusitani in statu Amazonas praecipue inter Indianos nomine Tupinambos susceperunt. Certum est conditiones in Brasilia exsistentes initio saeculi XIX disciplinam ordinis ideoque etiam studium missionum agendarum debilitasse[4].

In Brasilia novae missiones durantibus ultimis decenniis saeculi XIX ortae sunt, praecipue studiis *Iesualdi Machetti*[5], cui contigit, ut reductiones ad flumen Madeira et ad superiorem cursum fluminis Rio Negro fundaret. Dolendum est, quod operarii tam pauci sunt. Missio in statu *Goyaz*[6] anno 1899 suscepta paulo melius se habet. Denique

---

[1] *Jaboatam* I 285 307. BD II 451. [2] *Marcell.* VII 2, 242.

[3] *C. R. Markham*, Expeditions into the valley of the Amazonas, London 1859. Saggio n. 325. *Marcell.* VII 2, 254.

[4] Saggio n. 782. *Marcell.* VIII 400.

[5] *J. Machetti*, Della missione Francescana di Manaos, Roma 1886. Saggio n. 365. Gub. VI 841.

[6] Acta XXIV 384.

ordini novissimis temporibus (1908) missio in *Santarem* ad inferiores regiones fluminis Amazonas demandata est[1].

In *Guyana* Franciscani nunquam missiones stabiles habuisse videntur. Durante saeculo XVII et saeculo XVIII ad finem properante quidam fratres ad tempus in coloniis Batavis ibi exsistentibus laborarunt[2].

§ 101. Missiones Americae septentrionalis.

Cum Narvaez anno 1527 expeditionem in *Floridam*[3] paeninsulam pararet, quinque Franciscani eum comitati sunt, qui primi missionarii in Statibus hodie foederatis fuisse videntur. Hi omnes zelum suum vita rependebant; duo fratres, in quibus fuit *Ioannes Suarez,* Episcopus designatus novae missionis, fame perierunt[4]. Cum igitur primus conatus ad irritum cecidisset, Menendez anno 1565 alterum conatum maiori cum successu suscipiens praesentibus undecim Franciscanis, quos mox plures secuti sunt, civitatem S. Augustini fundavit, quae prima civitas ab Europaeis in Statibus foederatis erecta erat. In missionariis Floridae *Franciscus Pareja* excellit, qui pro Indianis nomine Timugua catechismum et alios libros ad erudiendam gentem aptos conscripsit. Victimae seditionis anno 1597 ortae etiam quidam fratres *(martyres Floridae)* facti sunt, in quibus *Rodriguez* fuit, cui petenti feri sanctae missae sacrificium celebrandum concesserunt, priusquam occideretur. Damno hoc resarto, celeriter per totam Floridam usque in ditionem, quae vocatur Georgia, multi vici Indianorum orti sunt, praecipue inter gentes, quae vocantur Apalaches et Cherokees. Dolendum est, quod conditio prospera harum reductionum avaritiam latronum Anglorum ex ditione Carolina excitavit, quo factum est, ut ipsi durante saeculo XVII et XVIII idemtidem in Floridam irrumpentes Indianos expellerent, vel loco servorum venderent, fratres occiderent eorumque missiones delerent. Mirum igitur non est, si exinde hi Indiani odium inexstinguibile contra hos disseminatores culturae conceperunt. Cum denique anno 1763 Florida definitive Anglis concederetur, ecclesia Anglicana locum missionum catholicarum occu-

---

[1] Acta XXVII 219.

[2] *Heimbucher,* Die Orden und Kongregationen II² 441.

[3] *J. G. Shea,* History of the Catholic missions among the Indian tribes of the United States, New York 1899, 39 53 72. *B. Hammer,* Die Franziskaner in den Vereinigten Staaten Nordamerikas, Köln 1892, 14.

[4] *Mendieta* 616. *Diaz* 489.

pavit, et *conventus principalis S. Helenae,* ex quo christiana religio per totam paeninsulam propagata est, habitaculum militum factus est.

Praeter fratres, qui ex Mexico via maritima Floridam petierunt, erant et alii, multoque plures, qui itinere pedestri in septentrionales plagas penetrarunt. Veteri Mexico vel, ut accuratius designetur, provinciae Galiciae Novae versus regionem inter septentrionem et orientem solem spectantem Nova Biscaya (regio circa Zacatecas) confinis erat; ab hac iterum inter septentrionem et orientem solem Novum Regnum Leonis situm erat, quod a sinu Mexicano et a flumine Rio Grande de Norte tamquam terminis naturalibus conclusum erat. Ditiones procerae longitudine in Mexico moderno spectante inter septentrionem et occasum solis Pimeria Bassa appellabantur, cum regio ad ora sinus Californici Sonora et Nova Navarra vocari consuevissent. Terris in septentrione confinibus, quae hodie ad status Arizona, Mexicum Novum et Texas pertinent, nomen Pimeriae Altae vel saepius Novi Mexici impositum est. Omnes hae regiones frequentissimae erant gentium maiorem ad partem efferatarum, quae partim anthropophagae erant; difficiles igitur laborum campus pro missionariis, ubi saepissime sanguinem suum profundebant.

In *Nova Biscaya*[1] montibus aditu difficilibus consita praesertim fratres provinciae de Zacatecas laborabant, fundantes durante saeculo XVII et XVIII multas stationes missionum praesertim inter Indianos, qui vocantur Chichimecos, quo in negotio admirabilem heroismum et summam patientiam manifestabant. Missionarii in locis longinquis laborantes vix habebant unde viverent, cumque idemtidem ad tempus ad sedes principales missionum reverterentur, paene nudi erant atque ita debiles, ut vix pedibus stare possent. Quamquam Minoritae magno excellebant heroismo et scholas atque nosocomia in stationibus maioribus aedificabant, ut Indianos allicerent, successus erant exigui. Causa huius eventus partim discordiae gentium ad invicem erant, quarum victimae non raro missionarii et missiones facti sunt, partim iniuriae a colonis commissae, quae semper simul cum odio imperii extranei etiam odium contra religionem christianam excitaverunt. Frustra missionarii vocem suam levabant, praesertim doctus ille *Antonius Tello* circa medium saeculum XVII, qui, ut verbis historiographi recentioris utamur[2], „traditionibus sui ordinis fidelis intrepide ac ardenter causam victimarum miserarum defendebat".

---

[1] *Marcell.* VIII 182.

[2] Lopez Portillo y Rosas, citatus a *Marcell.* VIII 186.

Eisdem difficultatibus obnoxia erat missio in *Novo Regno Leonis*[1], quod anno 1602 a fratre *Andrea de León* detectum est. Laboribus indicibilibus plures stationes prope urbes Cadereyta et Linares et in statu Coahuila fundatae sunt, quarum fratres usque ad bella independentiae adipiscendae causa a Mexicanis suscepta missionibus incubuerant. Plures missionarii in manus anthropophagorum incidentes finem horribilem invenerunt.

In *Sonora*[2], praesertim inter Indianos nomine Apaches iam a medio saeculo XVII missionarios et martyres ordinis invenimus. Latius demum ibi Minoritarum labores patuerunt, cum anno 1767 missiones Iesuitarum exsulum suscipere deberent. Ast tam hae, quam novae stationes paucis decenniis post interierunt, idque eadem de causa ac in Novo Regno Leonis.

Multo efficaciores erant missiones fratrum in *Novo-Mexico*[3], quod Franciscani anno 1539 detexerunt, qua occasione ab Indianis nomine Pueblo tamquam naturae sublimiores suscepti sunt. Cum nuntius de his Mexicum pervenisset, gubernium promisit se postulationibus sacerdotum obsecundando istam terram non armis occupaturum, sed evangelium more Apostolico propagaturum esse. „Pulchra verba", adiungit chronista „cum quibus tamen facta non conveniebant."[4] Postquam *Marcus Niciensis*[5], minister provinciae Mexici, ipse veritatem huius nuntii probavit, praefectus anno 1540 expeditionem emisit, cui plures Franciscani, in quibus Marcus ipse et *Ioannes de Padilla,* se adiunxerunt. Cum ad urbem *Cíbola* in statu moderno Arizona pervenissent, milites mox reverterunt, Minoritae vero remanserunt, usquedum eorum labores cruenta morte finirentur. Eidem fato fortis ille *Augustinus Rodriguez,* laicus, eiusque socii cesserunt, qui anno 1581 in Novum Mexicum penetrarunt. Demum ab anno 1597 haec missio stabilis effecta est, praesertim studiis *Alphonsi Martinez, Ioannis ab Escalona* et *Hieronymi Zarate-Salmeron,* qui convertendis gentibus, quae Taos, Jemes et Queres appellabantur, magno cum successu incubuerunt. Cumque idemtidem novi manipuli fratrum accederent, etiam in regionibus, quae ab Indianis nomine Jumanas et Tombiros colebantur, stationes missionum erigi poterant. Non obstantibus crebris invasionibus ex parte Indianorum inimicorum religio christiana tant-

---

[1] *Marcell.* VIII 191 201. [2] Ibid. 108 172.

[3] *[E. Fermendzin,]* Relatio quam Philippo IV. catholico Hispaniarum regi per modum memorialis sive libelli supplicis exhibuit Fr. *Ioannes de Santandér* O. F. M., Quaracchi 1895. Acta XIV 24. *Shea* 76. *Hammer* 20. Saggio n. 182.

[4] *Mendieta* 399. [5] Ibid. 674. Saggio n. 450.

opere profecit, ut iam anno 1630 versus 80 000 indigenae baptizati et 43 ecclesiae exstructae adessent. Missionarii apud hos populos agriculturam, pecuariam et opificia introduxerunt, liberos in primis scientiarum rudimentis et in musica instruxerunt, libros in linguis vernaculis ediderunt, in summa: hae missiones maxime floruerunt. Seditio atrox anni 1680, quam plures aliae rebelliones secutae sunt, ipsis grave attulit damnum. Multi missionarii occisi sunt, sed eorum sanguis semen novorum christianorum factus est. Ineunte saeculo XVIII Minoritae tamquam soli sacerdotes in istis regionibus exsistentes — per 200 annos hi Indiani aliam vestem sacerdotalem non cognoverant quam habitum S. Francisci — denuo ea, quae deleta erant, restaurare coeperunt. De conditione harum reductionum anno 1748 advena Americanus haec scripsit: „Indiani bene vestiti sunt vivuntque in pace et abundantia. Ecclesiae, quas Franciscani construxerunt, ecclesiis Europaeis non cedunt et quoad exercitium religionis habitatores novi Mexici vicinis suis Hispanis inferiores non sunt.“ [1] Etiam cum Franciscani subversionibus politicis discedere coacti essent, hae gentes retinuerunt, quae a magistris suis didicerant. Adhuc anno 1854 a gubernio civili laudati sunt, quod pii essent, studiosi et bene instructi. Novissimis temporibus provinciae Cincinnatensi cura animarum inter populos Jemes et Queres commissa est, ut perficiat, quae eius confratres saeculis anteactis inceperunt.

Initia missionis in *Arizona* [2] tempore coincidunt cum missionibus in Novo Mexico. Cum anno 1604 Oñate viam ad mare meridiei quaereret, quidam Franciscani eum usque ad fines occidentales regionis Arizonas comitati sunt, ubi lingua indigenarum comperta stationem missionum apud Indianos nomine Moquis erexerunt, quam per 80 circiter annos sustinuerunt. *Franciscum de Porras,* qui anno 1633 primus martyr ibi caesus est, anno 1680 durante magna seditione Indianorum complures alii Minoritae secuti sunt. Florentem statum missionum Novi Mexici missiones in Arizona susceptae nunquam adeptae sunt, neque in parte septentrionali neque in parte meridionali, ubi Iesuitae vires suas in convertendis paganis magnam ad partem frustra profuderunt. Nam crebrae invasiones Indianorum Apaches, qui omnia diripiebant atque delebant, et animus indifferens et corruptus indigenarum missionibus maximo erant impedimento.

---

[1] *Shea* 83.

[2] *Z. Engelhardt,* The Franciscans in Arizona, Harbor Springs 1899. *Marcell.* VIII 149.

Cum praeterea preces et querelae de violentiis colonorum non exaudirentur, anno 1781 seditio gentis, quae vocatur Yumas, orta est, qua magnae residentiae ad cursum inferiorem fluminis Colorado aedificatae dirutae sunt. *Franciscus Garces,* qui tanti valuit qua missionarius, quanti qua terrarum pervestigator et pacis arbiter inter gentes Indianas, hac occasione interfectus est. Alius missionarius excellens, *Chrysostomus Gil,* iam anno 1773 ab Indianis nomine Tiburones occisus erat. Novissimis temporibus ordo in Arizona iterum amplum laboris campum accepit, cum provincia Cincinnatensis anno 1898 frequentissimam gentem Indianam in occidente montium Rocky Mountain habitantem nomine *Novajos* convertendam susciperet[1], quae hucusque missionariis inimicissimam se praestiterat. Postquam fratres magno labore grammaticam et dictionarium huius linguae composuerunt, contigit eis, ut in praedicta ditione duas sedes maiores missionum erigerent, quae magna promittunt. Missiones vero inter Indianos vicinos nomine Zuñis et Moquis hucusque successus stabiles non habuerunt, quia influxus magorum nondum superari potuit. Inter gentes Indianas minores in Arizona, quae vocantur Pima-Papayos, Maricopas et Mojan-Apaches, fratres provinciae SS. Cordis Iesu plures floridas missiones constituerunt.

In *Texas*[2] prima studia praedicandi evangelium durante saeculo XVI ad irritum ceciderant. Cum vero versus finem saeculi XVII Galli ibidem pedem figere pararent, Hispani omnia conati sunt, ut hanc terram suae ditioni subderent. Anno 1690 ex Mexico 21 Franciscani in Texas missi sunt, quos Indiani gaudentes exceperunt, praesertim cum diligentem curam fratrum durante lue boarum experti essent, qua occasione unus ex praestantissimis missionariis, *Michael Fontcubierta,* contagione mortuus est. Maiori successu gavisus est *Antonius Margil* († 1726), quem iam saepius commemoravimus, quique viris memoratu dignissimis historiae ecclesiasticae Americanae annumerandus est. Postquam in Yucatan et in America media magno cum fructu evangelium praedicavit, rex Hispaniae eum ad Indianos in montibus Sierrae de Nayarit ad occidentem urbis Zacatecas habitantes delegavit, qui hucusque missionarios recipere renuerant. Exinde in Texas missus anno 1716 apud gentes, quae vocantur Nacogdoches et Ays, missiones fundavit, immo etiam stationem in statu moderno Louisiana. Contra multas difficultates, quae partim pugnis

---

[1] *Fernandez,* Conspectus 237.

[2] *Shea* 45 84. *Hammer* 63. Saggio n. 436.

inter Hispanos Gallosque gestis ortae sunt, partim invasionibus gentium efferatarum, partim aversione neophytorum contra agriculturam et domicilia stabilia, Franciscani sustinuerunt, usquedum anno 1812 missiones supprimerentur. Hoc facto maior pars fratrum in Mexicum reversa est, complures tamen misericordia moti remanserunt apud Indianos dispersos et derelictos, e quibus *Ioseph Antonius Diaz* anno 1834 occisus est. Huius viri memoria hodiedum in Texas celebratur, simili modo multae ecclesiae, aquaeductus et aedificia publica memoriam industriae Franciscanorum conservant.

California[1] usque ad alteram partem saeculi XVIII nondum patuit, excepta *California inferiori*, ubi Iesuitae multas erexerant stationes missionum, quas Franciscani Iesuitis expulsis susceperunt. Sed iam anno 1773 hunc laborum campum totaliter Dominicanis concesserunt incumbentes praecipue culturae *Californiae superioris* in Statibus foederatis sitae, ubi primi atque soli missionarii erant. In operariis Californiae meridionalis praesertim commemorari merentur: *Franciscus Palóu*, qui fortiter causam indigenarum defendit; multo autem magis *Iuniperus Serra*[2] († 1784), vir sanctitate vitae, doctrina et extraordinario vigore voluntatis celebris, qui etiam anno 1769 missionem in California superiori auspicatus est, quo in negotio eum fratres heroici adiuverunt, quorum aliqui, velut *Franciscus Lasuen* († 1803), ultra triginta annos labores suos non intermiserunt. Magnis difficultatibus superatis in regione inter urbes San Diego et San Francisco sita ubique reductiones fundari poterant, quae a fratribus paene independenter gubernatae valde floruerunt. Nullibi fortasse invenitur terra, quae in nominibus urbium, montium et fluminum suorum signaculum industriae Franciscanae magis manifestat ac California. Minoritae ibidem magnificas exstruxerunt ecclesias, opificia et agriculturam introduxerunt, immensae multitudinis pecudum initia posuerunt, frumenta et fructus cuiusque generis coluerunt, quae Californiam paradiso similem reddiderunt. Vita in his reductionibus more patriarcharum agebatur; patres amici Indianorum erant mansuetudine, humanitate et moderatione praestantes, quo factum est, ut sui alumni eos maximo amore et reverentia prosequerentur[3]. Hoc maxime mani-

---

[1] *Z. Engelhardt,* The Franciscans in California, Harbor Springs 1897. *Idem,* The Missions and Missionaries of California I, San Francisco 1908. *G. Wharton James*, In and out of the old Missions of California, Boston 1907. *Shea* 88. *Hammer* 77. *Marcell.* VIII 98.

[2] Saggio n. 484. *Marcell.* VII 4, 225. Cristoforo Colombo e il quarto centenario dalla scoperta dell' America, Firenze 1893, 319.

[3] *Hammer* 89.

festatum est, cum gubernium Mexicanum contra omnes admonitiones ab anno 1833 saecularisationem missionum perficeret, i. e. relationem inter missionarios et Indianos dissolveret, ecclesias missionum in ecclesias parochiales mutaret, et Indianos liberos cives rei publicae declararet, concedendo eis propriam administrationem paucorum, quae habebant, et libertatem faciendi, quidquid vellent. Non obstante specie libertatis haec saecularisatio interitus Indianorum erat, quippe qui vix barbariei erepti onera populorum iamdudum excultorum subire deberent. Ita eis erat — bene animadversum est — ut filiis immaturis, quos pater matre defuncta in mundum mittit dicens eos abhinc liberrime de se et suis facultatibus disponere posse. Igitur accidere debuerunt, quae missionarii praedixerant, videlicet: Indiani in manus praedonum perfidorum inciderunt, corrupti sunt et partim in silvas repulsi partim ad conditionem servorum redacti. Ab anno 1834 usque ad annum 1840 eorum numerus ab 30 000 ad 6000 diminutus est, qui paulo post, cum California Statibus foederatis adiuncta esset, culpa aurilegulorum adhuc magis decrevit. Non immerito Dwinelle[1], historiarum Californiae scriptor, notat: „Considerantes, quantae miseriae Indiani sub regimine moderno obnoxii facti sunt, laudare debent viros bonos et integros, qui cum tanta patientia, sapientia et prudentia admirabilia haec instituta in deserto Californiae excitarunt. Si in bono opere suo non essent impediti, quaestio de exsistentia Indianorum melius esset soluta quam interitu indigenarum huius terrae."

Etiam pro missionariis tempus tribulationum est obortum. Aliqui magno cum dolore alumnorum suorum terram hanc reliquerunt, velut *Antonius Peyri,* qui per 30 annos stationi San Luis Rey praefuerat. Ut sibi ipsi et Indianis doloris discessus gratiam faceret, noctu in urbem San Diego profectus est, ubi navem conscendit. Cum vero Indiani cognoscerent eum discessisse, equos conscendentes eum per spatium 70 km secuti sunt, immo aliqui natantes navem prosecuti sunt, ut patrem dilectum revocarent. Alii tamen missionarii in California remanserunt cum pauperibus alumnis suis penuriam et inopiam communicantes. Ex eorum numero *P. Sarcia* anno 1838 media in benedicta hac terra, quam ipse eiusque fratres vastitati eripuerunt, fame periit. Cum anno 1840 hierarchia Californiae erigeretur, frater *Franciscus Garcia Diego y Moreno* († 1846) primus sedem Episcopalem conscendit. Paucae solummodo stationes mis-

[1] Citatus ab *Engelhardt,* The Franciscans in California 214.

sionum magno cum labore sustentari potuerunt, quae anno 1885 provinciae SS. Cordis Iesu adiunctae sunt. Eadem provincia plures alias domus ibidem fundavit et missionem apud Indianos nomine Digger suscepit, quorum pauci adhuc ibi supersunt.

Etiam in parte opposita huius continentis, videlicet in *Canada*[1] (Nouvelle France), filii S. Francisci primi missionarii erant. Recollecti Galli ibi ex anno 1615 evangelium praedicabant primasque ecclesias huius terrae aedificabant. *Le Caron* praecipue de cura animarum inter gentes, quae vocantur Hurons, et de arte grammatica Indiana bene meritus est; *Gabriel Sagard*[2] pretiosam historiam indigenarum conscripsit; *Nicolaus Viel* primus martyr huius terrae factus est. Ex anno 1619 Recollecti Aquitaniae laboriosam missionem apud Indianos nomine Abnakis in *Nova Acadia* (Nova Scotia) susceperunt, quam etiam continuaverunt, cum vicini eorum in Canada ab Anglis anno 1629 expulsi essent. His demum anno 1670 iterum reverti licuit, ex quo tamen magis missionibus internis quam externis incubuisse videntur. Sed et postea missionarios paganorum ibi invenimus, velut fratres, qui circa annum 1680 inventorem La Salle flumen Mississippi exploraturum comitati sunt, quorum notissimus est *Ludovicus Hennepin*. Huius viri persona et vera merita adhuc non satis perscrutata esse videntur[3]. Eodem tempore *Christianus Le Clerc*[4] scribenda historia, inventione litterarum linguae gentis Micmas et laboribus Apostolicis in *Gaspesia* septentrionali (Nova Brunsuiga) susceptis claruit. Cum demum anno 1763 Canada definitive Anglis concessa esset, missiones ibi exsistentes sensim sine sensu exstinctae sunt. Novissimis temporibus fratribus Gallis contigit, ut in terra, cui primi lumen evangelii attulerunt, iterum pedem figerent.

In ceteris ditionibus *Americae septentrionalis* singulos tantummodo missionarios ex ordine Minorum invenimus[5]. In *Maryland* ab anno 1673 *Marrey*, Minorita Anglus, laborabat et versus finem saeculi XVIII *Whelan* († 1805), frater Hibernus, qui etiam primus curam animarum catholicorum in Kentucky susceperat. *Theodorus Brouwers* Batavus anno 1789 primam ecclesiam in Pennsylvania occidentali aedificavit,

---

[1] *O. Jouve,* Les Frères Mineurs à Québec, Québec 1905. *Shea* 123. *Hammer* 105. W XXV 135. *Marcell.* VII 2, 315 385; VIII 1.

[2] Saggio n. 593.

[3] *J. G. Shea,* Description of Louisiana by Father Louis Hennepin, New York 1880. Saggio n. 283 328. *Marcell.* VII 4, 1.

[4] Saggio n. 306. *Marcell.* VII 4, 403.

[5] *Hammer* 116 sq.

quae germen catholicismi in dioecesibus Pittsburg et Erie facta est. Eodem circiter tempore in Philadelphia *Michael Egan*, Hibernus, laboraverat, qui anno 1810 primus Episcopus ibidem factus est. Praeterea novae provinciae in Statibus foederatis erectae ad nostra usque tempora officiis partim difficillimis praesunt, velut provincia SS. Cordis Iesu, quae apud Indianos in Michigan et Wisconsin octo missiones suscepit.

§ 102. Missiones Europae et Africae.

Patet fratres Europaeos maiorem virium suarum partem missionibus internis impendisse atque debellationi haeresis, ubicumque provinciae ordinis exsistebant. His adiungenda est *Helvetia*[1], ubi, cum post separationem anni 1517 Observantes disparuissent, Reformati Itali durante saeculo XVII et XVIII causam catholicorum defendebant.

Missio Europaea in sensu proprio sola *paeninsula Balcani* haberi potuit, ubi religio Mahumetana dominabatur et multis in regionibus religioni catholicae vi praevalebat. Quantis laboribus et tribulationibus fratres ibi degentes obnoxii fuerint, calamus renuit describere. In *Bosna et Hercegovina*[2] soli influxui et studiis Franciscanorum, qui usque ad novissima tempora unici erant pastores huius populi, debetur, quod religio catholica ididem non radicitus est evulsa. Cum anno 1881 hierarchia erigeretur, auctoritates ecclesiasticae et politicae consenserunt, „ordinem muneri suo sublimi glorioso martyrio 500 annorum suffecisse atque summam gratitudinem magistratuum ecclesiasticorum et saecularium mereri“[3]. Leo XIII eadem occasione data scripsit meritum Franciscanorum esse, si in Slavonia et Dalmatia catholici schismaticis praevalerent; hoc enim factum esse adventu multorum hominum Bosnarum, quos Franciscani in fide confirmassent[4]. Etiam in *Bulgaria* et *Romania* Minoritae Bosni saepius catholicismum adiuvare conati sunt, etsi non eodem successu ac in patria[5].

---

[1] Gub. I 479; VI 38.

[2] *Marcell.* VII 3, 552. Gub. VI 690. *D. Fabianich,* Firmani inediti dei Sultani di Constantinopoli ai Conventi Francescani e alle autorità civili di Bosnia e di Erzegovina, Firenze 1884. *P. Bakula,* I martirii nella missione Francescana osservante in Erzegovina, Roma 1862.

[3] Histor.-polit. Bl. XCVII (1886) 431. [4] Acta XXV 49.

[5] *Marcell.* VII 3, 650. Gub. VI 691. *E. Fermendzin,* Acta Bulgariae ecclesiastica, Zagabriae 1887.

Difficilis quoque erat conditio missionum in *Albania*[1]. Observantes ibi ab antiquitus exsistentes parce ac duriter exsistentiam prorogabant usque ad saeculum XVII, quo eis Reformati Italiae auxilio venerunt, qui anno 1634 studiis *Bonaventurae a Pallazolo* accersiti in Albania, *Montenegro, Serbia et Macedonia* laborabant. Difficillima erat cura catholicorum multis abusibus, qui irrepserant, praecipue usibus vitae Mahumetanis, qui saepissime praenuntii apostasiae erant. Quod his non obstantibus multi pagi in Albania septentrionali et media catholici permanserunt, intentis laboribus Franciscanorum debetur[2]. Multi quidem heroismum suum vita rependerunt[3], velut *Salvator ab Offida* et *Paulus Mantuanus anno 1644, Ferdinandus ab Albizzola* et *Iacobus Zampa a Sarnano anno 1648.* — Neque illorum fratrum obliviscamur, qui per aliqua decennia in *Graecia meridionali* et in *insulis maris Aegaei* laboraverunt[4].

In *Africa* Minoritae secundum litus septentrionale a Fez usque in Aegyptum operam suam continuaverunt. In *Marochio*[5] adhuc saeculo XVI ineunte residentias in locis maritimis possidentes miseros christianos, qui in servitutem erant redacti, in fide confirmabant. Plures fratres zeli sui victimae facti sunt, velut *Andreas a Spoleto*[6], qui anno 1532 glorioso martyrio vitam suam finivit. Paulo post stabilis missio in hac terra exspiravit, cuius rei causa fuisse videtur, quod fratres in terris novis utriusque Indiae campum fertiliorem laborum suorum invenerunt. Attamen singuli Franciscani et membra aliorum ordinum idemtidem Marochium petierunt, ut captivos consolarentur. Denique *Ioannes a Prado*, qui anno 1631 martyrium passus est, stabiles missiones denuo auspicatus est, quippe quia confratres suos ex provincia Discalceatorum S. Didaci in Baetica ad imitationem sui exempli provocavit[7]. Regnante Muley Ismael crudeli (1676—1727) fratres horribilia passi sunt, et christiani, quibus praeerant, adhuc crudeliora, utpote quia hi saepe a fide deficere vi coacti sunt, facti vero poenitentes atroci condemnabantur morte. Rebellio Hispanica etiam missiones in Marochio delevit; sed anno

---

[1] *Marcell.* VII 3, 552. Gub. VI 393 690.

[2] *Heimbucher* II[2] 426. [3] Gub. VI 577.

[4] Saggio n. 92: Breve istoria delle misioni Francescane nel Peloponneso dal 1690 a 1714 e nelle isole Ionie dal 1716 a 1791.

[5] *M. Castellanos*, Apostolado Seráfico en Marruecos, Madrid-Santiago 1896. *Franciscus de San Juan de el Puerto*, Misión historial de Marruecos, Sevilla 1708. *A. Groeteken*, Die Franziskanermission Marokkos: Pastor bonus XX (1907) 81.

[6] Saggio n. 7 489. [7] BD II 185 196 217 227.

1859 impiger *Ioseph Lerchundo* iterum Minoritas Hispanos introduxit, qui sedulo in cura animarum et in scholis laborantes atque linguam Arabicam colentes optime meriti sunt, quapropter etiam a soldano magni aestimantur. Hic fratribus saepius usus est legatis vel interpretibus, velut adhuc anno 1906 in conferentia de Algeciras [1].

In ditionibus versus orientem vicinis durante saeculo XVI singulos tantummodo missionarios invenimus. In *Algerio Franciscus Ziranus* ex Sardinia anno 1603 martyrium passus est [2]. In *Tunetum* Franciscani demum ultimis decenniis reverterunt, ut missiones susciperent [3]. In *Tripoli* vero continuo laborant ex anno 1630, quo congregatio de Propaganda fide hanc missionem eis assignavit. Non obstantibus persecutionibus idemtidem ortis, quibus etiam aliqui fratres in servitutem redacti sunt, Minoritis contigit, ut versus finem saeculi XVII ecclesias et oratoria fundarent, immo in ipsa Cyrenaica quasdam stationes erigerent. In numero martyrum Tripolis solus *Ioannes Baptista a Ponto* commemoretur, qui anno 1653 igni condemnatus est [4].

Aegyptus, quam praecipue fratres Terrae Sanctae colebant, inter graviores missiones ordinis recenseri non destitit. Cumque Gregorius XVI anno 1839 ibi vicariatum Apostolicum erigeret, hae conditiones non sunt mutatae, quia vicarius Apostolicus semper ex ordine desumebatur et Minoritae paene soli in cura animarum ibidem occupantur [5]. *Aegyptus superior* [6] vero a Cairo usque ad Abessiniam ex anno 1687 administratio ecclesiastica a Terra Sancta independens facta est. Ibi fratres magnis difficultatibus obnoxii erant tam ex parte Mahumetanorum, tam ex parte Coptorum. Decurrentibus tamen saeculis maiorem numerum Coptorum ad ecclesiam reducere contigit, quo factum est, ut anno 1815 proprius vicarius Apostolicus pro Coptis unitis institui posset. Huic omnes missiones fratrum assignatae sunt, in quibus christiani ritus Latini non inveniuntur.

Adhuc difficiliores erant missiones in *Abessinia* [7]. Postquam Iesuitae, qui ab ineunte saeculo XVII cum successu ibi laboraverant, anno 1630 expulsi sunt et conatus Capuccinorum penetrandi

---

[1] Acta XXIII 95. *Heimbucher* II² 437. [2] Gub. V 566.
[3] Acta XXIV 306. [4] Gub. V 567. [5] Acta XXIV 69.
[6] Acta XXIV 299. Saggio n. 97 120. Gub. VI 302.
[7] Gub. VI 229. *Marcell.* VII 3, 229. *Th. Krump,* Hoher und fruchtbarer Palmbaum dess heiligen Evangelii, das ist tieffgepflanzter Glaubens-Lehr in das Hertz des Abyssiner Monarchen erwisen, Augspurg 1710.

in hanc terram ad irritum cecidit, congregatio de Propaganda fide duodecim Franciscanis ex India orientali hanc missionem commisit. Hi quidem ad locum, quo tetenderunt, pervenerunt, plura tamen de eis non patent. Rebus sic stantibus congregatio Reformatos missionarios Abessiniae nominavit, quorum multi ab anno 1634 usque ad finem saeculi XVIII illuc missi sunt „veluti illi, quorum veloces sunt pedes ad effundendum sanguinem“ [1]. Haec enim sors eis obtingere consueverat, si modo magnis difficultatibus itineris superatis in Aethiopiam penetrabant. Praestantissimos tantum martyres commemoremus. Anno 1637 *Cherubinus Calatahieronesis* et *Franciscus Tarentinus* crudeliter interfecti sunt; undecim annis post in insula Suaquen ad ostia maris Rubri *Antonius a Pescho Pagano, Ioseph ab Atino* et *Felix a San Severino* capite plexi sunt [2]. Hos anno 1668 *Ludovicus a Laurentiana* et *Franciscus a Mistretta* secuti sunt, qui in capite Goudar suspensi sunt. Prope eandem civitatem mandante imperatore anno 1716 fratres *Liberatus (a S. Laurentio) Weiss, Samuel a Biumo* et *Michael Pius a Zerbo* [3] lapidati sunt. Fratres non quidem sine fructu laborabant, attamen in summa successus labori impenso non erat par. Semel tantum, anno 1700 imperator commercium litterarum cum Pontifice suscipiens paratum se ostendit fieri catholicus, qua de causa etiam sex iuvenes nobiles Romam excolendos misit. Attamen mutatio gubernii paulo post facta omnium exspectationes delevit.

In ditionibus, quae ad *litus occidentale* Africae detectae sunt, inprimis insulae *promontorii Viridis* [4] nominandae sunt tamquam campus laborum a Minoritis excultus. In insula Ribeira Grande rex Lusitaniae anno 1656 fratribus conventum aedificavit, et paulo post duo alii in locis Cacheo et Bissao in continenti opposita sitis. Inde missionarii, quorum praecipui erant *Paulus a Lordello* († 1664) et *Andreas a Faro,* maritima usque ad Sierra Leone praedicantes peragrarunt. Ibi fratres adhuc saeculo XVIII laborabant, quin apud indigenas aliquid memoratu dignum effecerint. Ad flumen *Kongo* [5] per 100 circiter annos reges catholici inveniuntur, quos Minoritae converterant; attamen fratres mox hanc provinciam Iesuitis et Capuccinis concesserunt, et exceptio habendum est, si anno 1670

---

[1] Gub. VI 392. [2] Saggio n. 94.

[3] *Greiderer* I 477. Saggio n. 463 573.

[4] *Marcell.* VII 3, 306. Saggio n. 218.

[5] Gub. V 636. *Marcell.* VII 3, 356; VII 4, 313. *P. Eucher,* Le Congo. Essai sur l'histoire religieuse de ce pays, Huy 1894.

Franciscanos Belgas ibi invenimus et anno 1779 Lusitanos duce *Raphaele a Castel de Vide*[1], qui anno 1805 in officio Episcopi dioeceseos San Thomé ad sinum Guineae sitae mortuus est.

Etiam in regionibus *litoris occidentalis* Africae fratres parumper missionibus participati sunt. In insulam *Madagascar*[2] anno 1660 quinque Recollecti Galli missi sunt, qui tamen ad locum, quo tetenderant, non pervenerunt, quia in via in manus piratarum inciderunt. In ditione vicina *Moçambique*[3] fratres Lusitani anno 1898 magnis difficultatibus superatis paucas stationes inter gentes indigenas fundaverunt.

Conatus, quos aliqui Franciscani saeculo XVII et adhuc anno 1860 susceperunt, ut in *interiora Africae* penetrarent, successu notabili non sunt gavisi[4].

§ 103. Missiones Philippinarum et Iaponiae.

Missio in *Philippinis*[5] modo inventis Discalceatis provinciae S. Iosephi demandata est, idque studiis *Antonii a S. Gregorio* († 1583), qui cum maiori confratrum numero primum ad insulas Salomonis destinatus erat. Consilio hoc a gubernio Hispanico relicto, anno 1576 duce *Petro de Alfaro* 17 Discalceati ad Philippinas profecti sunt, ubi mox sedulo laborare coeperunt; nam paucis in conventu civitatis Manilae remanentibus ceteri omnes bini et bini insulas peragrati sunt. Anno 1586 residentiae ibi exstructae provinciam independentem constituerunt, cui ius concessum est recipiendi conventus ubique terrarum vicinarum. Quia idemtidem novi fratres ex patria adveniebant, mox multae stationes missionum in diversis insulis erigi poterant, praecipue in insula Luzon. Has stationes constituendas, vicos fundandos, scholas erigendas *Ioannes a Plasencia* curavit, qui caput omnium inceptionum periodi initialis erat, cuiusque agendi

---

[1] Saggio n. 123.

[2] Ibid. n. 329. [3] Acta XXIV 303.

[4] *Marcell.* VII 4, 447; VIII 442. Saggio n. 188.

[5] *F. Inés*, Crónica de la provincia de San Gregorio Magno de Religiosos Descalzos de N. S. P. San Francisco en las islas Filipinas, China, Japón etc., escrita en 1676, I, Manila 1892. *Diaz* 543. *Juan Franc. de S. Antonio,* Crónicas de la apostólica provincia de S. Gregorio en las islas Filipinas, China, Japón etc., 3 voll., Manila 1738—1741. *D. Martínez*, Compendio histórico de la apostólica provincia de San Gregorio de Filipinas, Madrid 1756. *Marcell.* VII 2, 883. Saggio n. 104 293. Acta XXV 93 131 184 210 347. *A. Groeteken*, Die Franziskanermissionen auf den Philippinen: Histor.-polit. Bl. CXLII (1908) 587.

rationem ceteri missionarii imitati sunt. Cumque Minoritae in laboribus suis per tria saecula vix impedirentur, extraordinaria efficere potuerunt; nam ultra 230 ecclesias aedificabant et innumeras reductiones fundabant. Quia sacerdotes saeculares non sufficiebant, ipsi etiam imposterum generaliter curam pastoralem pro ecclesiis a se fundatis suscipere debebant, quo factum est, ut adhuc anno 1890 ultra decies centena milia christianorum regerent. In numero hospitalium, quae aedificabant, praecipue *domus leprosorum* civitatis Manilae commemorari meretur, quam *Ioannes Clemente* anno 1578 aedificavit, quaeque adhuc anno 1897 ab ultra 150 leprosis habitabatur.

Attamen non solum religionem christianam indigenae his missionariis debent, sed etiam totum progressum materialem et spiritualem. Rudimentis scientiarum incolas ita instruxerunt, ut versus finem saeculi XIX solummodo 15 centenae analphabetarum in Philippinis invenirentur, i. e. pauciores ac in quibusdam terris Europaeis. Linguas quoque indigenarum Minoritae perscrutati sunt[1]. Hac de re praecipue meritus est Ioannes a Plasencia, quem commemoravimus, quique iam anno 1580 grammaticam, dictionarium et catechismum in lingua Tagale conscripsit simul cum opere de moribus et usibus indigenarum missionariis pernecessario. Eodem fere tempore *Franciscus de la Trinidad* primam maiorem poesim in eadem lingua confecit. Circa medium saeculi XVIII *Marcus Ulissiponensis* primam grammaticam linguae Bicol edidit et *Sebastianus Totaneis* grammaticam linguae Tagale, quae a multis optimus labor de hac lingua habetur. Melius adhuc Franciscani de pauperibus incolis meriti sunt aedificando plateas et pontes, perforando saxa et montes, ordinando cursus fluminum et construendo irrigationes in regionibus pluvia carentibus. Multa sunt nomina Minoritarum producentium a saeculo XVI usque ad saeculum XIX opera, quae homines hodiedum admirantur[2]. Praestantissimos commemoremus *Alphonsum a Vallaverde* († 1583), *Franciscum a Gata* († 1591), *Dominicum a Soledad* circa annum 1790, *Franciscum Robles* circa annum 1800 et *Victorinum del Moral* circa medium saeculi XIX. Sed Minoritae non solum pro indigenis laborabant, sed eos etiam ad laborem educabant. Iam anno 1583 agriculturam introducere conati sunt, deinde alumnos suos tabacum, cacaum, coffeam et bombyces colere atque metalla instruere docuerunt; *Petrus*

[1] *J. Dahlmann,* Die Sprachkunde und die Missionen, Freiburg 1891, 115. Acta XXV 131.

[2] *Inés* 341. Acta XXV 210.

Espallargas anno 1656 machinam texturarum conficiendarum invenit, quae hodiedum ab indigenis ubique adhibetur. Ita fontes ignoti quaestus, immo divitiarum aperti sunt, idque populo, qui antea desidiae deditus erat.

Haec omnia in oblivionem venerunt, cum indigenae versus finem saeculi XIX contra imperium Hispanum insurgerent. Quia enim missionarii Hispani pro patria decertabant, quod mirum non est, rebelles eos odisse coeperunt, qua in re ab inimicis nominis christiani confirmati sunt. Multitudo tamen populi sacerdotibus Hispanis ipsis aversa non erat[1]. Insulas a Statibus foederatis occupatas saecularisatio ampla secuta est. Contigit tamen parti Minoritarum ut campum suum obtinerent, cum ceteri in Hispaniam vel in missiones Americae meridionalis susciperentur.

Ex Philippinis Franciscani missionum gratia itinera in insulas meridionales, in continentem et in Iaponiam susceperunt. Prima notitia nominis christiani in *Iaponiam*[2] pervenit, cum anno 1542 mercatores Lusitani ibidem appellerent, quos tres indigenae Goam secuti sunt, ubi bene eruditi et anno 1548 a Ioanne ab Albuquerque, Episcopo Minorita, baptizati sunt. Anno sequenti hi cum S. Francisco Xaverio, primo Iaponiae Apostolo, reversi sunt. S. Franciscus duobus annis, quibus ibi evangelium disseminabat, magna praestitit, quae etiam de ceteris Iesuitis valent, qui durantibus decenniis sequentibus soli missionarii huius terrae erant. Hae res mutatae sunt, cum Taicosama princeps anno 1587 Christum colere prohiberet et missionarios in exsilium mitteret, quorum tamen maior pars mutata veste permansit. Quattuor annis ante *Ioannes Pobre,* Franciscanus, ex Sina in Iaponiam venerat, ubi insolita vitae austeritate christianos ita commovit, ut anno 1592 plures ecclesiae litteris in Philippinas missis missionarios ordinis peterent, quia propter decreta imperatoris pastoribus carerent. Quia eodem tempore res politicae inter Philippinas et Iaponiam tractabantur, prorex Hispanus anno 1593 *S. Petrum Baptistam* cum quibusdam fratribus legatos in Iaponiam misit. Contra haec quidem tenor bullae a Gregorio XIII anno 1585 editae interpositus est, iuxta quam solis Iesuitis missiones in Iaponia agere licebat, attamen fratres provinciae Philippinarum bullam a

---

[1] *A. Colemann,* Do the Filipinos really hate the Spanish friars? in The American Cath. Quart. Rev. XXX (1905) 672.

[2] *Juan Franc. de S. Antonio* III. *Marcell.* VII 2, 988 1021. Saggio n. 105 570 673.

Sixto V anno 1586 editam ostendebant, qua eis concessum erat, ut ubique terrarum vicinarum residentias fundarent[1]. Praeterea haec quaestio Manilae mature ab auctoritatibus ecclesiasticis discussa erat et decisa, videlicet: Respectu habito ad conditiones tristes Iaponiae subsidium spirituale non esse negandum.

Hi fratres a principe amice sunt recepti, quo facto alii collaboratores advenerunt, qui mox in urbibus Meako, Nagasaki, Osaka etc. residentias, ecclesias, scholas et hospitalia aedificabant. Imperator eiusque praefecti fratribus, quorum integritatem admirabantur, molestiae non erant, quamquam sacerdotes Buddae de eis conquesti sunt et postulabant, ut aegroti ex eorum nosocomiis auferrentur. Cum vero mense Octobri anni 1596 magna navis Hispana litori Iaponiae illisisset, quo facto iuxta leges imperatori caduca erat, dux, ut mercedes salvaret, stulte potentiam regis Hispaniae exaggerans Iaponiae minitatus est. Praeter alia haec dixit: Hispaniam mundum expugnare missionariis; qui si sufficientibus gauderent asseclis in aliqua ditione, milites Hispanos supervenire et adiuvantibus christianis expugnationem perficere. Mirum igitur non est principem Taicosama his compertis rationem agendi mutasse. Missionarios Hispanos eorumque asseclas vinculis includere iussit, cui fato tamen solummodo Petrus Baptista cum 5 sociis, 3 Iesuitae et 14 Tertiarii cesserunt, qui die 25 Februarii anni 1597 in urbe Nagasaki gaudentes rogum ascenderunt[2].

Effectus huius gloriosi martyrii erat conversio multorum paganorum, qui ad hoc inauditum stupebant spectaculum. Missionarii quoque ac neophyti nova fortitudine affecti palam fidem suam confessi sunt. Daifusama, novus imperator (1598—1616), ipse concessit, ut ecclesiae reaedificarentur, et Franciscanis praedium in urbe Meako donavit, ubi conventum exstruerent. Quamquam aliqui praefecti provinciarum leges ex officio non sublatas stricte exsequebantur, ideoque in aliquibus provinciis persecutio furebat, tamen religio christiana in Iaponia continuo aucta est, praesertim cum multi missionarii ex diversis ordinibus advenirent. Anno 1608 iam 34 Fran-

---

[1] Acta XXV 94.

[2] Relatione del martirio che sei padri scalzi di San Francesco et venti Giapponesi cristiani patirono nel Giappone l' anno 1597. Tradotta dalla lingua spagnuola nella italiana del *P. Gioseppe di S. Maria,* Napoli 1600. *D. Bouix,* Histoire des 26 martyrs du Japon crucifiés à Nangasaqui, Paris-Lyon 1682. Saggio n. 14 15 64 306.

ciscanos in Iaponia invenimus, qui in cura animarum, in hospitalibus et in domibus leprosorum occupati erant.

Circa annum 1612 mercatores Batavi Calvinistae sensum imperatoris perverterunt[1]. Hi, ut mercaturam penitus arriperent, odium principis contra Hispanos Lusitanosque excitarunt mentientes seipsos in patria sua coactos esse catholicos tamquam hostes reipublicae expellere. Decreta de persequendis christianis mox aucta sunt, cum anno 1616 pugna inter aemulum regni paganum et christianum, cui christiani adhaerebant, in favorem prioris decisa esset. Hoc facto martyrium gloriosum pro ecclesia Iaponiae incepit, quod vix a martyrio alterius ecclesiae superatur. Non obstantibus tormentis exquisitissimis, missionarii et neophyti in summa admirabilem heroismum ostenderunt. Centeni et milleni christianorum trucidati sunt, et omnes missionarii, qui hanc terram ingredi ausi sunt, morti erant sacrati. E numero multorum fratrum[2], qui durantibus primis decenniis saeculi XVII in Iaponia martyrio coronati sunt, nominatim adducamus: *Petrum ab Ascensione* et *Ioannem a S. Martha* († 1616), *Richardum a S. Anna*[3] († 1622), *Apollinarem Franko* († 1622), *Antonium a S. Bonaventura* († 1628), *Ginem de la Querada* et *Ioannem Torrella* († 1632). Praecipue commemorari meretur *Ludovicus Sotelo*[4] Hispalensis, qui iam anno 1612 capitis damnatus a Mazamune, rege ditionis Voxu (Oschiu) in parte septentrionali et occidentali insulae Nipon, liberatus est. Hic princeps ad religionem christianam valde propensus erat et conversioni subditorum suorum omni modo favebat. Anno 1613 Ludovicum Sotelo a magnatis Iaponicis comitatum ad Pontificem et ad regem Hispaniae legatum misit, ut novos missionarios peteret. Sotelo a Paulo V Episcopus Iaponiae orientalis constitutus consecrationem, quae Nuntio Hispanico demandata erat, consequi non potuit, quapropter absque consecratione rediit. Sed in Philippinis per multos annos retentus est, usquedum ei anno 1622 contingeret, ut in Iaponiam transmitteret. Ibidem appulsus statim

---

[1] *L. Pérez:* Archiv. II (1909) 48. [2] Saggio n. 623.

[3] Biographie du vén. P. Richard de St. Anne, Récollet de la prov. de Flandre, martyrisé au Japon le 10 sept. 1622, Louvain 1867.

[4] *Fr. Ludovici Soteli Minoritae,* Regii ad Apostolicam Sedem Legati et Regni Oxensis Apostoli ac designati Martyris ad Urbanum VIII. de ecclesiae Iaponicae statu relatio . . ., anno 1634. *Thobias Hendschelius,* Relation von der freudenreichen Bekehrung des Königreiches Voxu in Japan, Ingolstadt 1617. Saggio n. 696. *Marcell.* VII, 2. app. *L. Tasso,* Vita del B. Luigi Sotelo, vescovo eletto del Giappone, S. Maria degli Angeli 1892.

incarceratus est, obiitque anno 1624 lento igni consumptus, dum hymnum Te Deum cantat.

Cum Iaponia circa medium saeculi XIX peregrinis panderetur, apparuit adhuc multa milia christianorum exsistere, idque non obstante defectu sacerdotum et contra continuas persecutiones, quae demum anno 1873 desierunt. Anno 1906 instante Episcopo de Hakodate denuo primi Franciscani Iaponiam ingressi sunt, ubi imprimis in urbe *Sappora* insulae Iesso collegium linguarum Europaearum fundaverunt.

§ 104. Missiones Sinae, Indiae et Australiae.

Imperium *Sinense*[1], vetus provincia missionum ordinis, saeculo XVI Europaeis denuo patefactum est. Initia novarum missionum huius terrae *Ioannes Zumaraga,* Archiepiscopus Mexicanus (§ 98), suscepit, qui iam anno 1545 serio, quae opus erant, praeparavit, immo Episcopatum resignare cogitavit, ut illuc proficisci posset[2]. Septem annis post S. Franciscus Xaverius in insula Sancian mortuus est, in conspectu terrae, cui Christum annuntiaturus erat. Decenniis sequentibus aliqui missionarii in Sinam penetrare conati sunt, quin tamen successum stabilem haberent, quae valent etiam de quinque Franciscanis, qui duce *Petro de Alfaro* anno 1579 ex Philippinis in urbes Macao et Canton profecti sunt, ubi per aliquot annos aegrotis inserviebant et nonnullos religioni christianae adducebant[3]. Demum ineunte saeculo XVII Iesuitae primas missiones stabiles fundaverunt, quae tamen persecutionibus paulo post exortis gravia passae sunt. Anno 1633 etiam Dominicanis et Minoritis contigit, ut stabiliter pedem figerent et fertilem industriam aperirent. Franciscani haec imprimis *Antonio (a S. Maria) Caballero*[4], confratri suo, debent, cuius vita magnam partem historiae missionum Sinensium continet. Hic, postquam per 16 annos continuo ibi laboravit, anno 1649 vicarius Apostolicus missionum orientalium Franciscanorum factus est, quo in munere anno 1650 missionem de Schantung fundavit aedificans

[1] AF I 23. Gub. V 452. *Marcell.* VII 2, 948; VII 3, 1; VIII 484. Saggio n. 126 384. Acta XIX 47; XXIII 126; XXV 186. *A. Groeteken:* Pastor bonus XX (1908) 456.

[2] *F. Ghilardi,* Fr. Giovanni di Zummarraga (traduzione dello spagnuolo), Quaracchi 1891, 165.

[3] *Inés* 137 161. Saggio n. 18 503.

[4] *P. A. Völling,* Die Wiedereröffnung der Franziskanermission in China: Der Ostasiatische Lloyd XXII (1908) 135.

in capite Tsi-nan-fu ecclesiam et conventum et fundans in vicinis multas communitates christianas, quae hodiedum hanc civitatem coronae florentis instar circumdant. Praeterea etiam studiose scientiis Sinensibus incubuit, quibus dignitatem mandarini adeptus est, atque multos libros praecipue apologeticos et asceticos conscripsit [1]. Anno 1665 incarceratus et in urbem Canton relegatus est, ubi paulo post obiit. Innumera multitudo populi funeri huius indefessi Apostoli Sinarum interfuit. Fratres Hispani et Itali, qui vel eodem tempore vel postea ad Sinam appulerunt, opus hoc tanto cum successu continuaverunt, ut eorum missiones anno 1723 ultra 100 000 christianos numerarent, qui tamen persecutione anno 1724 orta spatio 40 annorum ad 25 000 diminuti sunt [2]. Praeter Antonium Caballero durante saeculo XVII praestantissimi missionarii ordinis erant: *Bonaventura Ibañez* († 1691) huius socius; *Bernardinus della Chiesa* († 1739), Episcopus de Peking, et *Basilius Rollo de Gemona* († ca 1703), fundator missionis in Sina interiori et praefectus Apostolicus de Schensi [3]. Hic optimum dictionarium linguae Sinensis conscripsit, quod demum saeculo XIX impressum est [4].

Fructus missionum Sinensium non exiguum detrimentum passus est *controversia accommodationis* [5]. Non quo omissio usuum, de quibus est quaestio, incrementum religionis christianae retardasset — hoc demonstrari omnino non potest —, attamen sententiis inter missionarios diversis, quae mox in rixas scandalosas degeneratae sunt, fieri non potuit, ut labor concors non difficilior redderetur et populus paganus non offenderetur. In hac controversia Franciscani, paucis exceptis, simul cum Dominicanis, Augustinis, Lazaristis et missionariis seminarii Parisiensis censuerunt hos usus non esse licitos, cum longe maior pars Iesuitarum contrarium assereret. Quatenus tantummodo de quaestionibus pure ritualibus et disciplinaribus agebatur, dubium non est, quin indoli gentis, quoad fieri potuit, concedendum fuerit, neque negare possumus adversarios Iesuitarum hac in re multas asperitates vitare potuisse; attamen in his usibus inveniebantur etiam, qui cum religione christiana minime convenirent. Ideoque plures Pontifices contra eosdem procedere coacti sunt, usquedum Benedictus XIV eosdem observare vetaret. Idem Papa eandem

[1] Saggio n. 647. [2] Ibid. n. 335 421 543 654.

[3] Acta XXIII 126. [4] *Dahlmann* 38.

[5] *G. Pray*, Historia controversiarum de ritibus sinicis, Pestini Budae 1789. Breviter clareque *Benedictus XIV* originem et progressum huius controversiae describit, vide Bullarium Bened. XIV., ed. Romae 1754, I 114.

sententiam edidit in controversia de *ritibus Malabaricis,* quae inter missionarios Indiae orientalis discordias excitaverat.

Persecutione universali anni 1724 orta missionarii solummodo clam et sub continuo vitae dicrimine in Sina commorari poterant. In numero Franciscanorum huius epochae nominari merentur *Eugenius Politius* (Piloti) a Bassano, qui post laborem 26 annorum in Schensi et Schansi anno 1756 mortuus est[1]; *Franciscus Magni* (Mogi) cum suis sociis, qui anno 1785 vitam suam in carcere finierunt[2], *B. Ioannes a Triora*[3], qui anno 1816 in Hunan martyrio affectus est, et *Ioachim Salvetti*[4], † 1843 tamquam vicarius Apostolicus de Schansi. Continuis vexationibus factum est, ut saeculo XIX ineunte missiones ad ora oceani desertae essent et missiones in interiori terra in gravi periculo versarentur. Tum vero anno 1839 frater *Ludovicus Besi* eis auxilio venit, cui anno sequenti *Gabriel Grioglio* († 1891) et *Aloysius Moccagatta* († 1891) se adiunxerunt. Hi tres Episcopi Minoritae fundatores novae missionis Franciscanae in Sina habendi sunt. In numero collaboratorum et successorum eorundem excellunt vicarii Apostolici: *Eligius Cosí* († 1884), *Petrus Paulus de Marchi* († 1902), *Amatus Pagnucci* († 1900) et *Theotimus Verhaegen,* qui anno 1904 in Hupei inter meridiem et occasum solis spectante occisus est.

Cum anno 1879 imperium Sinense denuo hierarchice divideretur, ex 38 vicariatibus Apostolicis Franciscanis novem commissi sunt, videlicet Schantung (Chan-Tong) orientale et septentrionale, Schansi (Chan-Si) septentrionale et meridionale, Schensi (Chen-Si) septentrionale, Hupei (Hou-Pé) septentrionale, meridionale et occidentale atque Hunan (Hou-Nan) meridionale[5]. Missionarii Franciscani numero operarios ceterarum societatum singillatim sumptarum superant[6], nihilominus exigentiis non sufficiunt, praesertim cum multi christiani et missionarii victimae persecutionum idemtidem gliscentium evadant. Ita e. g. paucis annis ante ex occasione *seditionis a societate arcana nomine Boxers excitatae* praecipue in provincia Schansi non pauci missionarii et cooperatores atque 2000 circiter christiani vitam amiserunt[7].

---

[1] Acta XIX 48. [2] Acta XX 12 28 40.

[3] *[Ortolani] Ciro de P.,* Due beati Francescani nell' anno santo 1900, Roma 1901.

[4] Saggio n. 336.

[5] Acta XIX 47; XXIII 127; XXVII 41.

[6] *Krose,* Kath. Missionsstatistik 62.

[7] Acta XX passim; XXIV 94. Barbarie e trionfi ossia le vittime illustri del San-si in Cina nella persecuzione del 1900, Parma 1908. *L. de Kerval,*

Ut fratres Hispani ex Philippinis expeditiones missionum gratia suscipiebant, ita fratres Lusitani ex *India orientali*[1], ubi a saeculo XVI ineunte laborabant (§ 52) tamquam soli missionarii istius regionis. Quae ipsi durantibus primis decenniis et postea, cum missionarii aliorum ordinum advenissent, praestiterint, nimis ignorantur. In urbibus Goa et Kranganur ad litus occidentale aedificatis collegia erexerant, in quibus sacerdotes et Minoritas indigenas erudiebant, usquedum educatio cleri saecularis Iesuitis demandaretur. Fratres ipsi amplam Indiae ditionem quoquoversus peragrarunt, ecclesias circiter 150 aedificantes, multas stationes missionum erigentes et innumera milia hominum ecclesiae catholicae adducentes. *Antonius a Porto*, qui solus ultra 10 000 paganos baptizasse dicitur, circa medium saeculi XVI in regiones interiores inter septentrionem et orientem solem spectantes usque ad urbem Karanja provinciae Berar penetravit. Etiam in ditione mediterranea a Berar versus meridiem sita, quae vocatur Dekan, multi ad Christum conversi sunt. Maior tamen pars missionariorum ad ora oceani laborabat, praecipue ad litus Malabaricum, ubi praesertim *Vincentius a Lagos,* socius Archiepiscopi Albuquerque, magna operatus est et regem de Tanor convertit. Alii fratres per urbem Travancore circa extrema Indiae meridionalis ad urbes Tuticorin et Negapatam profecti sunt, ubique fundantes coetus christianorum, qui ex multis milibus membrorum coalescebant. Communitates christianorum aeque magnae durante saeculo XVII ortae sunt[2], praecipue circa annum 1645 studiis *Emanuelis a S. Mathia.* Eodem fere tempore quidam Minoritae secundum litus de Coromandel in Bengaliam profecti sunt, ubi non sine successu evangelium praedicabant. *Petrus Bonfer* tamen, frater Gallus, qui circa annum 1550 in Arakan et Birma inferiori religionem christianam propagare studuerat, labori incubuerat infructuoso, quod etiam valet de fratribus Lusitanis, qui anno sequenti eadem facere conati sunt.

Etiam in insula *Ceylon*[3] Franciscani primi erant missionarii. *Ioannes a Villa-Comte* simul cum *Simone a Coimbra* et quattuor aliis fratribus circa annum 1540 tanto cum successu praedicare coepit,

---

Deux martyrs Français de l'ordre des Frères Mineurs, Le R. P. Théodoric Balat et le Fr. André Bauer, Vanves près Paris 1903. *G. Monchamp*, P. Victorin Delbrouck, ein Blutzeuge des Franziskanerordens aus unsern Tagen, Paderborn 1902. *N. Farina,* Un martire della China ossia il P. Cesidio Giacomantonio da Fossa, Sulmona 1905.

[1] *Marcell.* VI 269; VII 3, 166. Saggio n. 185 458 531.

[2] *Marcell.* VII 3, 177. [3] W XVI 460. *Marcell.* VI 274; VII 3, 184 219.

ut mox duodecim ecclesiae in insula erigerentur et collegium in urbe Colombo pro iuvenibus indigenis fundaretur. Magno erat missionibus bono, quod fratribus contigit adducere ecclesiae multas personas auctoritate pollentes, velut regem de Kandy in interiori parte insulae et regem de Battikaloa in orientali parte insulae, quorum exemplo multi ad conversionem incitati sunt. Attamen saepius detrimentum sunt passae pugnis throni capessendi causa susceptis et seditionibus contra imperium extraneum, quod praecipue anno 1630 factum est. Novimus quidem Minoritas etiam temporibus posteris ibidem praeclara perpetrasse, sed generaliter obscurati esse videntur, quamquam adhuc anno 1626 in numero missionariorum 24 Franciscani et 16 tantum Iesuitae inveniebantur[1]. — Etiam in parva insula *Manar*, a Ceylon inter septentrionem et occasum solis sita, fratres durante saeculo XVI multos indigenas converterunt et residentiam fundarunt.

Priusquam *Malaca* in paeninsúla Malaica anno 1641 in ditionem Batavorum transiret, praesidium missionum terrarum Indiae posterioris erat, quibus partim fratres Hispani partim Lusitani incumbebant. Iam circa annum 1550 Franciscanos in *Siam*[2] invenimus, quo ex India orientali per Arakan penetraverunt. Hi praesertim ad ora oceani et in capite Bangkok optimis gaudebant fructibus. Adhuc saeculo sequenti aliquot fratres ibidem laborabant. Stabiliores erant missiones in *Cambodge* (Camboja), *Cochinchina* et *Tongking*[3]. Illi quidem fratres, qui anno 1580 ex Manila in Cochinchinam pervenerant, mox expulsi sunt, sed tribus annis post alii fratres illuc appulerunt, quibus continuo adiutores successerunt. *Bartholomaeo Ruiz* iam tunc contigit, ut ecclesiam aedificaret et impunitam libertatem evangelizandi acciperet, quo facto res ei prospere evenerunt. Cum ineunte saeculo XVII novi missionarii advenirent, fratres Hispani cedere debebant, quia Lusitania has ditiones sibi vindicabat, attamen numerus sacerdotum in Cochinchina versus finem huius saeculi tam exiguus erat, ut Perez, vicarius Apostolicus, fratres ex Manila in auxilium vocare cogeretur, qui, postquam anno 1719 advenerunt, ab Episcopo omnes stationes missionum gubernandas acceperunt, quas ipse fundaverat. Hac de causa inter Minoritas et missionarios

---

[1] *Marcell.* VII 3, 221. [2] Gub. V 421. *Marcell.* VI 299; VII 3, 205.

[3] *Inés* 277. *Marcell.* VII 3, 93 207. Saggio n. 153 543 570 662. *Marcellino da Civ. e Teof. Domenichelli*, La Palestina e le rimanenti missioni Francescane in tutta la terra I, Roma 1890, 732.

aliorum ordinum lites sunt ortae, quas Benedictus XIV in favorem Franciscanorum decidit[1], quo facto ipsi quiete laborare poterant et iam anno 1750 16 000 paganos ad Christum converterant. *Valerius Rist*[2], Reformatus Bavarus, anno 1735 coadiutor vicarii Apostolici factus est. Paulo tamen post persecutio magna exarduit, quae omnia erat deletura. *Michael a Salamanca* in carcere mortuus est; ceteri missionarii cedere debebant solusque *Iosephus a Conceptione* provinciam, in qua per 30 annos laboraverat, relinquere noluit, sed clam remansit, ut persecutionem patientes adiuvaret. Etiam annis sequentibus idemtidem fratres heroici inveniebantur, qui idem facere non sunt veriti[3]. Adhuc anno 1821 *Odoricus Collodi,* Minorita Italus, hanc terram ingressus cum fructu praedicabat, usquedum anno 1834 heroismum suum morte carceris rependeret[4].

Relationes de missionibus Cochinchinensibus saepe ita relationibus de missionibus in Tongking[5] implicatae sunt, ut difficile sit opera describere, quae Minoritae in hac terra perpetrarunt. Certum tamen est fratrem *Ioannem Simon* anno 1704 in Tongking martyrio affectum esse ordinemque ibidem floridas stationes missionum possedisse. In Cochinchina simulque Tongking Franciscani 262 communitates christianas fundaverunt et 70 ecclesias atque 50 oratoria construxerunt[6].

In *insulis Malaiicis,* velut in *Sumatra*[7], *Iava*[8], *Borneo*[9], in litore insulae *Celebes*[10] inter meridiem et occasum solis atque inter septentriones et orientem solem spectante, in insulis *Solor, Sangi* et *Ternate*[11], saeculo XVI et XVII tam Hispanos quam Lusitanos fratres invenimus, usquedum his ditionibus anno 1642 a Batavis occupatis cedere deberent.

In *Australia*[12] missiones catholicae demum saeculo XIX auspicatae sunt, cum ordo propter consequentias rebellionis Gallicae in desperata versaretur conditione. Nihilominus mature aliquot Franciscani Hiberni in Australiam pervenerunt, in quibus fuit *Bonaventura Georghegan,*

---

[1] BD IV 348. Chron. III 2, 310 320. Saggio n. 424 335.

[2] Kurtze Reiss-Beschreibung R. P. Valerii Rist ... Coadjutoren dess Vicariatus Apostolici in Cochinchina, München 1736.

[3] Saggio n. 36 398 607. [4] *Marcell.* VII 3, 143. [5] Ibid. 123.

[6] Acta XXIII 126. [7] *Marcell.* VI 299; VII 3, 211.

[8] *Marcell.* VI 300; VII 3, 212. [9] Acta XXV 97.

[10] *Marcell.* VI 296.

[11] Saggio n. 297 563 619 624. *Marcell.* VII 3, 214. W XXI 62.

[12] *Heimbucher* II² 447. *Fernandez,* Conspectus 292.

qui anno 1864 in munere Episcopi Adelaidensis mortuus est, et *Bonaventura Sheil* († 1871), qui fuit huius successor. Ab anno 1878 fratres quibusdam stationibus missionum et scholis in regione civitatis Sydney praesunt. Ab anno 1860 usque ad annum 1874 Franciscani Itali, in quibus praecipue *Octavius Barsanti*[1] eminuit, florentes missiones apud gentem nomine Maori in *Nova Seelandia* regebant, quo Pompallier, „Apostolus Oceaniae", eos vocaverat.

Denique illi fratres Americani commemorentur, qui iam saeculo XVI in insulas *Marianas* (Ladrones)[2], in *Novas Hebrides* et in *insulas Salomonis* pervenerunt[3]; item illi, qui saeculo XVIII ad *insulas Societatis*[4] appulerunt.

§ 105. Missiones Terrae Sanctae[5].

Ineunte altera historiae ordinis epocha omnes Franciscanos Terrae Sanctae incarceratos videmus (§ 53). Tunc temporis Turcae Coenaculo in monte Sion potiti sunt, quod in mesquitam dedicaverunt, excepta parte exigua, quae adhuc ad tempus Occidentalium permansit. Cumque fratres post incarcerationem duorum annorum liberarentur, numerus eorum valde diminutus erat et subsidia tantopere exhausta, ut anno 1528 Pontifici miseriam suam aperirent simul adiungentes timendum esse, ne omnia perirent[6]. Hoc comperto Clemens VII pecunias in Terram Sanctam transmisit. Anno 1537 iterum omnes Franciscani in carcerem detrusi sunt, quorum novem durante triennio captivitatis mortui sunt; cumque ceteri anno 1540 ad loca sacra reverterentur, omnia direpta et in conditione desperata inveniebant. Anno sequenti paene omnes fratres, qui in Nazareth habitabant, interfecti sunt et anno 1571 fratres Cypri. Cum soldanus anno 1642 decrevisset, ut omnes Franciscani occiderentur, solummodo eo, quod legati strenue intervenerunt, impeditum est, quominus hoc edictum exsecutioni mandaretur. Attamen tam tempore priori, quam posteriori usque ad *martyres Damascenos anni 1860*[7] multi fratres victimae odii adversariorum facti sunt, et adhuc saepius in carcerem detrusi vel alias persecutiones durissimas passi

---

[1] Saggio n. 61. [2] Ibid. n. 570. [3] *Marcell.* VII 2, 208.
[4] *Marcell.* VIII 285.
[5] Litteraturam vide § 53. Ad haec *Marcell.* VII 3, 414; VIII 548. *Diarium Terrae Sanctae,* quod ex mense Martio anni 1908 Hierosolymis editur, etiam materias historicas continet.
[6] W XVI 262. [7] Acta IX 149; XII 204.

sunt, quas hoc loco singillatim enumerare non possumus[1]. Chateaubriand, qui ineunte saeculo XIX Terram Sanctam visitavit, minime exaggerando scribit: „Fratres unice paene in eo occupantur, ut singulis diebus contra aggressiones et tyrannidem inimicorum suorum se defendant; nullum enim exsistit genus despotismi orientalis, quo non vexentur. Quid proficit magna pecunia coemere decreta imperialia, quae exsecutioni non mandantur? Singulis annis novum exit Ferman singulisque annis nova committitur crudelitas! Revera martyrium non cognosco, quod cum hoc possit conferri; nihilominus Franciscanorum laudes omni die ad sacrum resonant sepulchrum.“ [2]

Attamen Turcae non erant soli, immo ne periculosissimi quidem adversarii Minoritarum, sed Graeci et Armeni schismatici, qui a saeculo XVI consequentia inexorabili id student, ut Occidenti loca sacra eripiant et sibi totaliter acquirant. Gradatim Franciscani iura sua defendere debebant, idque non raro effuso sanguine. Quod hoc non obstante magnam partem possessionis suae amiserunt, praevalentia adversariorum factum est; *Russia* enim ex saeculis crimina Graecorum protexit, eorumque studiis apud soldanum effectum comparabat desideratum. Occidens vero, interdum quidem, custodes sacrariorum pecunia occidentali coemptorum ac conservatorum protegere conatus est, attamen in summa timide, immo non raro indigne se gessit.

Ex hac diuturna pugna, quae hodiedum pugnatur, solummodo quaedam embolia maioris momenti proferamus. Anno 1561 Graeci denuo omnibus viribus sacrarium Bethlehemiticum occupare conati sunt, sed frustra. Anno tamen 1637 suum intentum consecuti sunt et anno 1674 etiam Sacrum Sepulchrum arripuerunt quattuor fratribus in eius defensione graviter vulneratis. Cumque Turcae iam anno 1551 fratres ex monte Sion totaliter expulerant, Occidens sacraria maximi momenti amiserat exceptis quibusdam ususiuribus, quae valde restricta erant et magna pecunia constabant. Cum minister generalis ordinis anno 1685 Leopoldo I, Imperatori, tristem hanc conditionem ob oculos poneret, hic bello Turcico bene finito promisit se sacrariorum restituendorum curam esse gesturum[3]. Revera articulum haec respicientem in conditiones pacis anno 1699 in *Karlowitz* factae inseruit. Interim Gallia iam anno 1690 antrum nativitatis,

---

[1] *Patrem* 59 sq. [2] *Marcell.* VII 3, 415.
[3] Chron. III 1, 454.

basilicam Bethlehemiticam et Sacrum Sepulchrum Franciscanis recuperaverat iterumque annis 1731 et 1740 hac de re pacta cum Turcis iniit [1]. Attamen Coenaculum in monte Sion neque tum neque post pacem de Karlowitz restitutum est. Quamquam hoc facto sanctuaria, quae de iure sic quoque Occidentis fuerant, a Gallia et Austria erant protegenda, tamen non intercesserunt, cum Graeci anno 1757 maiorem partem sanctuariorum de Bethlehem raperent [2] et ab anno 1808 etiam magnam partem Sacri Sepulchri. Post bellum in paeninsula Cimerio (Krim) gestum una tantum significatione litterarum indiguit, ut iniuria commissa iterum compensaretur, attamen Occidens animum necessarium capere non potuit.

Ratio ultima harum intermissionum inquirenda est in *politica circa res orientales* gesta a potestatibus Europaeis, quarum una alterius praevalentiae invidebat. Haec discordia infelix magnum habuit influxum in historiam Terrae Sanctae prosperamque eius evolutionem magnopere impedivit, cuius rei damnum totus Occidens est passus. Initio saeculi XVII hanc politicam iam invenimus, cum consul Gallus Ierosolymis residens regulares Gallos loco Minoritarum substituere conatus est. Haec tamen studia Papa et ex anno 1649 etiam Ludovicus XIV rex cohibuit, promittens Franciscanis peculiarem suam protectionem [3]. In *regimine Terrae Sanctae,* quod hucusque nullis respectibus nationalibus obnoxia fuerat, dissensio politica sese manifestavit, cum ex anno circiter 1628 decerneretur, ut custos Terrae Sanctae ex natione Itala, eius vicarius ex natione Galla et procurator rerum temporalium ex natione Hispana desumeretur [4]. Custos tunc temporis regnans hoc decretum non est exsecutus, quia censuit illud esse nocivum. Quia vero capitula sequentia has ordinationes repetebant, principium nationalitatis etiam in Terram Sanctam introductum est, ubi dissensiones scandalosas excitavit, quae durante saeculo XVIII multis querelis ansam praebuerunt. Igitur Benedictus XIV has conditiones severe vituperans anno 1746 *nova statuta* [5] ab ordine edita approbavit, quae omnes res ordinabant. Iuxta eadem statuta tria munera, quae supra commemoravimus, nationibus ibi adductis conceduntur, quarum singulis adhuc singuli discreti adiunguntur, cum septimum membrum discretorii ex natione Germana, i. e. iuxta expositionem et consuetudinem ex indigenis monarchiae

---

[1] *Patrem* 73 75 77. [2] Saggio n. 505. Chron. IV 408.
[3] Chron. III 1, 451 455 522; III 2, 143. *Othon* IV 225.
[4] *Patrem* 145. [5] Chron. III 2, 348 356 392.

Austriaco-Hungaricae, desumendum sit. Haec instigante rege Hispaniae anno 1787 mutata sunt, quatenus ad tria munera maiora alternatim Hispanus, Gallus, Lusitanus et frater familiae cismontanae assumendus erat. Attamen haec ordinatio solummodo usque ad annum 1794 duravit, quo auctore eodem rege revocata est[1]. Hoc facto simul sexennium muneris officialium iterum cessavit, usquedum Gregorius XVI anno 1841 illud denuo introduceret[2].

Quam periculosae hae ordinationes factae sint bono Terrae Sanctae, aperte initio saeculi XIX patet, cum ordines in Gallia, Hispania et Lusitania suppressi essent. Largae enim eleemosynae, quae antea ex his terris provenerant, cessabant aeque ac oblationes Austriacae, postquam Iosephus II prohibuit, ne pecuniae ultra limites ditionis suae emitterentur. Ideo factum est, ut Minoritae Palaestinenses in extremam devenirent penuriam, qua Graeci callide ad suum emolumentum abusi sunt; horribiliter quippe Sacrum Sepulchrum vastaverunt omnia monumenta Occidentis auferentes[3]. Provocatio, quam Franciscani ad potestates direxerunt, inaudita permansit, solumque quidam ingenuae indolis viri fratrum causam susceperunt, velut G. Görres optime meritus, qui cum Philipps novam ephemeridem nomine Historisch-politische Blätter huic causae consecravit et animum Ludovici I, regis Bavariae, fratribus conciliavit. Hoc facto ex Bavaria et Austria larga subsidia Terrae Sanctae donata sunt, quae tamen ingentes pecunias antea ex Gallia, Hispania et Lusitania transmissas minime adaequabant. Chateaubriand quidem fervide pro custodibus Terrae Sanctae intercesserat et dux de Joinville, filius Ludovici Philippi, anno 1836 ex occasione peregrinationis mediante consistorio Gallico edictum procuraverat, quo omnia sanctuaria reddi iubebantur. Ast tantum aberat, ut haec exsecutioni mandata sint, ut conditio rerum in dies iniquior fieret. Graeci processionem, quam Latini anno 1846 in Parasceve Domini susceperant, oppresserunt, quin consul Gallus contra eos procederet, immo, cum satrapa Turcarum serio protectionem Franciscanorum pararet, idem consul protestatus est. Ipse haec agens mandata sui gubernii exsecutus est, quod Franciscanos, in quibus ex tempore rebellionis ad summum pauci inveniebantur Galli, expellere et Lazaristas Gallos eorum loco introducere studuit[4], ut influxus Galliae servaretur et augeretur. Curia quoque Romana,

---

[1] *Quaresimus* II² 788 791. [2] Ibid. 792.
[3] Histor.-polit. Bl. XVIII (1846) 3.
[4] Ibid. XX (1847) 135.

quae tunc temporis propter incolumitatem patrimonii Petri plurimum respectum ad Galliam habere debebat, haec consilia non improbasse videtur. Denique quidem veriti sunt hanc iniustitiae immanitatem perficere, nihilominus Pius IX eatenus cedere debuit, quatenus anno 1846 Franciscanos, qui ab omnibus derelicti per singulos dies pro exsistentia sua pugnabant, propter abusus, qui irrepserant, vituperavit renovans simul ordinationes Benedicti XIV, vi quarum duo Galli in discretorium assumendi erant[1]. Anno sequenti idem Galliae ulterius obsecundans *Patriarchatum Latinum* Ierosolymis erexit[2], quin tamen Franciscanos, qui ibi per 600 annos soli ecclesiam catholicam maximis sub difficultatibus suo sanguine aluerant et curam animarum gesserant, ulla prosequeretur laude. Gallia sperabat fore, ut hoc modo assequeretur, quod directo impetrare non potuerat. Hanc intentionem novus Patriarcha revera prosecutus est, cum non solum ius inspectionis in curam animarum sibi competens exerceret, sed etiam fratres a locis sacris submovere eorumque iura restringere pararet. Talis ratio agendi dissensiones cuiusque generis adduxit, quod erat exspectandum. Minoritae erectioni ipsi Patriarchatus non contradicebant, immo iam circa annum 1620 idem postulaverant[3], attamen protestari debebant contra studia, quibus Terra Sancta politicae Gallicae proderetur. Primum enim Patriarcham id studuisse consideratis argumentis praesentibus negari non potest[4]. Cum anno 1856 Austriaci hospitium aedificarent, quod Franciscanis traditiri erant, Patriarcha eis contradixit; item cum anno 1869 Franciscus Iosephus imperator ex occasione peregrinationis magnam largiretur pecuniam pro aedificiis Franciscanorum. Etiam Hispani vituperati sunt, quia eleemosynas in patria collectas non in bonum politicae Gallicae conferre volebant. Sic quoque intelligitur, quomodo anno 1868 fieri potuerit, ut tholus supra Sacrum Sepulchrum a Gallia, Turcia et Russia, exclusa Austria et Hispania, aedificaretur, quo facto Russia primum vera iura ad hoc sacrarium sibi comparavit.

Hae quidem conditiones primo Patriarcha defuncto meliores factae sunt, quam multi sperare audebant, attamen studium submovendi Franciscanos nondum remisit. Postquam enim violentia nihil profecit, adversarii Franciscanos quoquo modo insimulare conati sunt, praesertim eo, quod disciplina et industria carerent. Iam *Bernardinus a Montefranco,* custos, anno 1865 coactus est defensionem

---

[1] *Quaresimus* II[2] 793. [2] Ibid. 802.
[3] Histor.-polit. Bl. XLIX (1862) 99.
[4] Ibid. 100 108. *Patrem* 91.

ad capitulum generale dirigere[1]. Negare quidem non intendimus disciplinam fratrum Terrae Sanctae non semper integram fuisse et *contentionibus inter Observantes et Reformatos* iura Terrae Sanctae[2] damnum potuisse pati, attamen obliviscendum non est huius rei culpam apud ordinem non esse inquirendam. Pessima enim consequentia politicae erat, quod potestas ministri generalis in hac parte ordinis paene totaliter excludebatur, quia gubernia Occidentis res maioris momenti mediantibus brevibus Pontificiis decidebant. Haec defendi poterant, quamdiu ordo divisus erat in nationes. Quod vero nova divisio ordinis in duodecim circumscriptiones, quae unione anni 1897 introducta est, nondum modo analogo ad Terram Sanctam adhibita est, difficili conditione rerum causatur, quae non semper mutari possunt, prout desideratur. Maximi vero erit momenti, ut aequum ius omnibus nationibus in Terra Sancta concedatur, quia sic solum ipsa erit terra vere catholica, Occidenti communis omnibusque eodem modo cara, sic solum studia nationum procurandi proprium bonum omissis custodibus veteribus sanctuariorum tamquam inutilia et perniciosa ultro relinquentur.

Quod attinet defectum industriae necessariae, concedendum est, durantibus ultimis decenniis fratres praecipue in *scientiis* Terram Sanctam spectantibus maiora praestare potuisse ac debuisse; initia mutationis facta sunt erectione sedis litterarum Ierosolymitanae (§ 107). Num vero decurrentibus saeculis in *cura animarum* plura assequi potuerint, dubitandum est. Omnes societates, quae missionibus in Oriente incumbunt, expertae sunt conversionem Iudaeorum, Mahumetanorum et schismaticorum longe aliis difficultatibus obnoxiam esse ac conversionem paganorum. Omnes enim exiguis successibus contentae esse debent et non raro sola conservatione eorum, quae iam obtinuerant. Franciscani hac in re omnia praestiterunt, quae aeque ab eis exigi possunt, velut curam animarum, sustentationem scholarum, fundationem nosocomiorum et brephotrophiorum — haec omnia sumptibus propriis. Numerus conversionum exiguus quidem est, ast quia singulis annis repetitur, durante tempore coalescit in magnum. Ab anno 1847 usque ad annum 1877 15 000 hominum ecclesiae catholicae adducti sunt, quorum circiter 1000 Mahumetani vel Iudaei

---

[1] *Bernardino da Montefranco*, Prospetto generale dello stato attuale della Custodia di Terra Santa, Napoli 1856.

[2] Cf. *Marcellino da Civ. e Teof. Domenichelli*, La Palestina e le sue missioni, note alle Animadversiones del P. Ireneo da Torcegno, Firenze 1892. Capitulum generale anni 1889, 14.

erant[1]. Neque obliviscendum est fratres Terrae Sanctae in missionibus *Aegypti, Cypri, Rhodi, Syriae* et *Armeniae* occupari[2]. Etiam causae *Maronitarum* eisdem saepius demandatae sunt, velut anno 1542 et anno 1720, quas ipsi cum successu peregerunt[3].

Ut magna subsidia, quae ad conservandas scholas et missiones Terrae Sanctae necessaria sunt, compararentur, ordo mature in diversis terris locos ad colligendam eleemosynam erexit, qui vocantur *commissariatus generales*[4]. Capitulum anni 1621 pro unaquaque natione commissarium vel procuratorem generalem Terrae Sanctae instituerat, cui in singulis provinciis vice-commissarius adiungebatur. Pontifices hoc institutum pro viribus promovebant hortantes catholicos, ut missionariis subvenirent. Durante saeculo XIX commissariatus generales Matriti, Romae, Viennae (Wien) et Parisiis constituti praerogativas suas amiserunt et ceteris commissariatibus exaequati sunt, qui abhinc non pro singulis provinciis, sed pro ditionibus magis minusve amplioribus eriguntur. Hodie 39 commissariatus generales ordinis exsistunt, quorum decem in Italia inveniuntur.

C. Scientiae et artes.

§ 106. De studiis in generali.

De momento cultus scientiarum ex parte fratrum illa ordinis membra, ad quae pertinebat, non amplius sunt decepti. Ab anno 1517 ad nostra usque tempora idemtidem admonitiones studia respicientes invenimus, quae vel a ministris generalibus vel a capitulis editae sunt, quarumque summa in diversas constitutiones generales recepta est. Capitulum anni 1565 *studium praestantissimum laborem Minoritarum* appellat, ad quem ipsi vi regulae obligati sint[5]; et Gonzaga, minister generalis, in sua encyclica[6] in memoriam reducit verbum: „Otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura.“ Simul veterem rationem studii Franciscani inculcat: „Fratrum Minorum studium ad inflammandum affectum et ad mores vertendum est.“ Eos vero, qui strictiorem observantiam praetendentes studium

[1] *Patrem* 143.

[2] *M. Trigo*, Misiones Franciscanas de Tierra Santa en el Tauro, Barcelona 1906. Acta XXIV 59. *Marcell.* VII 3, 490. Saggio n. 443.

[3] W XVIII 359 384. Chron. III 2, 300.

[4] Gub. III 693. Chron. III 1, 448; III 2, 257. Histor.-polit. Bl. XLIX (1862) 954. Acta XXIV 72.

[5] Gub. III 352. [6] W XXI 184.

negligunt („qui summa ignorantia dominantes in claustro omnes claudunt aditus scholasticis disciplinis“), Waddingus[1] ita alloquitur: „Periculosa res est inscitia, etiamsi in abditissimos abscedat recessus“, minitaturque: „Si quis ignorat, ignorabitur.“ Attamen his et similibus monitionibus[2] non obstantibus versus finem saeculi XVIII superiores ordinis graviter conquesti sunt de tristi conditione studiorum *familiae cismontanae,* praecipue de lectoribus malis et inhabilibus[3].

Perturbationes rebellionis Gallicae, praeterquam quod musis non erant amicae, studium ordinatum impossibile reddebant, quia multae provinciae erant dissolutae. Nihilominus Ioannes Tecca a Capistrano, minister generalis, anno 1826 credebat se iure fratres Italiae inferioris acerbe posse vituperare de inscitia, qua gloriam ordinis obfuscassent[4]. Postea quoque multas querelas audimus, simul tamen sincerus apparet conatus augendi studia cum restauratione ordinis[5]. Durantibus ultimis decenniis, quae ope hominum fieri potuerunt, praestita sunt, ut bona spes pro tempore futuro affulgeat.

Praeteritum tamen tempus neque semper neque ubique gratum praebet aspectum. Argumentum indubium huius assertionis est *conditio bibliothecarum,* quae mensura quasi infallibilis studiorum in respectivis conventibus haberi potest. Ut damnum a bibliothecis arceretur, Sixtus V anno 1587 sub poena excommunicationis prohibuit, ne quis frater librum ex bibliotheca desumeret neve studii causa in cellam asportaret[6]. Quia vero haec ordinatio pro fratribus studentibus ipsis maximis coniuncta erat difficultatibus, Clemens VIII eam iterum mitigavit, restringendo poenam praedictam ad furtum de rebus bibliothecae[7]. Maius periculum bibliothecis multis in locis negligentia fratrum instabat. Iam capitulum generale anni 1633 conqueritur bibliothecas valde corruisse easque ordini potius ignominiae esse quam decori, id quod antea esse consuevissent. Idem capitulum severas praecipit ordinationes, ut res ad meliorem evehantur statum postulans, ut proprius instituatur bibliothecarius et singulis

---

[1] W XI 223.

[2] Gub. III 643; IV 6. Chron. IV 279 469 497 572.

[3] Chron. IV 257. Archivum ordinis Romanum ad ann. 1792 et 1793.

[4] Ibid. ad ann. 1826.

[5] Ordinamento di riformazione degli studi dell' ordine serafico, s. l. 1840. Statuta generalia totius ordinis Minorum studiis regendis novissima, Romae 1859. Statuta pro studiis regendis in ordine Minorum, Quaracchi 1905. (Novissima ratio studiorum.)

[6] W XXII 433. [7] W XXIII 382.

annis certa pecunia pro novis expendatur libris[1]. Durante saeculo XVIII et XIX[2] easdem querelas easdemque ordinationes audimus simul cum postulatione libros fratrum defunctorum absque ulla exceptione bibliothecis esse incorporandos. Gravissimum damnum bibliothecae passae sunt, cum rebellione Gallica et saecularisatione subsequenti plurimi antiquitatis thesauri, quatenus non omnino deleti sunt, in bibliothecas municipiorum et statuum transferrentur. Contigit tamen quibusdam conventibus, ut bibliothecas suas saltem magnam ad partem integras sibi servarent, velut bibliothecam Hierosolymitanam, bibliothecam S. Isidori Romae, in Austria praesertim bibliothecas conventuum de Eger, Prag, St Pölten, Bozen; aliae bibliothecae novis acquisitionibus valorem adeptae sunt, velut bibliothecae conventuum de Antwerpen, München et collegii S. Antonii Romae.

Bibliothecarum ruina adducta est demutatione scientiarum, quae praecipue in familia cismontana valde sese manifestabat, cuius rei culpa praecipue apud lectores inhabiles et apud ineptam constitutionem domorum studiorum inquirenda est. Ast, priusquam haec accuratius explicamus, *ratio studiorum ipsorum* generaliter describenda est. Quando plures disciplinas praeparatorias, velut grammaticam, arithmeticam etc., artes ex universitatibus ad gymnasia tunc florescere incipientia remittebant, tanto magis necessarium factum est, ut etiam ordo iuvenes candidatos suos in litteris humanioribus modo analogo erudiret. Hoc in diversis ditionibus diverso modo accidit, idque proh dolor! non ubique ita, ut dicere possimus, fundamentum scientificum his studiis positum, pro studiis sublimioribus suffecisse[3], multoque minus illud par fuisse eruditioni, qua discipuli gymnasiorum publicorum gaudebant. Et tamen haec praeparatio plus, quam putabant, conferebat, ut concurrentia in omnibus campis scientiarum efficaciter suscipi posset. Nonnullae provinciae etiam hac in re solida praestabant publica aperientes gymnasia, in quibus etiam suos iuvenes erudiebant, id quod praecipue in multis conventibus Germaniae et Belgii factum est[4]. Aliae provinciae saltem a saeculo XIX candidatos suos ad publica gymnasia mittebant, aliae *collegia seraphica* fundabant, in quibus discipulis communem eruditionem, quae hodie

[1] Gub. IV 32.

[2] Chron. III 1, 255; IV 278. Archivum ordinis Romanum ad ann. 1825.

[3] Cf. Gub. III 249 643. Chron. IV 256.

[4] *Woker,* Norddeutsche Franziskanermission 50. *Huber,* Dreyfache Cronickh 1019. *Dirks* 319. In *Tiroli* ordo adhuc duo possidet gymnasia publica, videlicet in urbibus Bozen et Hall.

32*

absolute necessaria est, tradebant. Merito novissima statuta pro studiis regendis haec eloquuntur: „Provinciarum quam maxime interesse debet, ut ad ordinem non recipiatur, nisi qui disciplinis studium Philosophiae praecedentibus apprime vacaverint.“ Quod haec saeculis anteactis non tam stricte exsecutioni mandata sunt, culpa est illorum lectorum, qui officio docendi „artes liberales“ iam saeculo XVI inculcato se subtrahebant[1], porro culpa est superiorum, qui haec fieri passi sunt. Decretum in capitulo anni 1633 editum, quo praescriptum est, ut pro omnibus provinciis Italiae tres scholae litterarum humaniorum erigerentur[2], bonos fructus habere debuit, si exsecutioni mandatum esset. Loco studiorum humaniorum quaedam quidem compensatio introducta est diuturniori studio philosophiae. Saepius praeceptum est, ut clerici ordinis per tres annos philosophiam audirent[3], cum modo biennium huic studio assignatum sit. Postquam candidati examina praescripta cum successu obierunt, ad theologiam admittebantur, cui antea per tres vel quattuor annos incumbere debebant, ex saeculo XVIII autem semper per quattuor annos[4]. Iuxta novissima statuta de studiis regendis cursum theologicum sequitur studium sacrae eloquentiae per duos annos.

Methodus tradendi disciplinas maiores a saeculo XVI a methodo periodi scholasticae florentis valde discrepavit, quia manuale vetus, videlicet commentarius sententiarum Petri Lombardi, magis magisque a summis capitum scholae submotus est et campus theologiae late patens sensim sine sensu in singulas disciplinas discessit. Cum praesertim Dominicani et Iesuitae summam S. Thomae praelectionibus suis substernerent et partim etiam obligati sint, ut hunc magnum sequerentur magistrum, *Franciscani in summa scholam non constituebant, sed eclectici manebant, quod antea fuerunt.* His dicere non volumus maiorem partem theologorum ordinis S. Bonaventuram vel Scotum non esse secutos, sed ordinem ipsum magistris suis non praecepisse, ut iurarent in verba certi cuiusdam magistri, et eis permisisse, ut libere docerent. Exceptio est, quod in prima parte saeculi XVII quaedam congregationes generales et capitula gene-

---

[1] Gub. III 348 355 384 421 453; IV 141.

[2] Gub. IV 34.

[3] Gub. III 452; IV 49.

[4] Gub. III 372 452 581 643. Chron. IV 281. Elenchus tractatuum et quaestionum, quas in nostris scholis *singulis quadrienniis* iuxta mentem subtilis Doctoris Io. Duns Scoti R^mus P. Clemens a Panormo Min. Generalis mandat peragendas; noviter impressus anno 1834.

ralia[1] conata sunt Scotum principem studiorum ordinis constituere. Quam parum autem haec decreta profecerint, iam ex eo patet, quod etiam durante saeculo XVII multi Observantes inveniuntur, qui in libris publice editis S. Bonaventuram vel S. Thomam Aquinatem praetulerunt[2]. Fieri potest, ut haec decreta capitulorum cohaereant cum conatibus oppositis, qui tunc temporis in quibusdam universitatibus sese manifestabant. Ita quidam magistri Salmanticenses statutum adducere conati sunt, quo omnes professores iureiurando obligarentur, ut doctrinam S. Augustini et S. Thomae profiterentur, quod tamen decretum *Ioannes Vasquez,* magister Waddingi, disiecit[3]. Omissa hac epocha brevi tam tempore anteriori, quam tempore posteriori sufficientia inveniuntur testimonia, quibus demonstratur, ordinem „scholam" in sensu verbi stricto neque habuisse neque desiderasse. Magni theologi ordinis Hispani in prima parte saeculi XVI genuini erant discipuli Scoti eo sensu, ut non serviliter sententiam unius magistri defenderent. *Alphonsus a Castro* circa annum 1540 de valore auctoritatum in theologia disserens haud dubie argumentum „Magister dixit" condemnat, et *Ludovicus Carvajal* in libro suo „De restituta theologia", quod anno 1545 edidit, contra nomen Thomistae, Scotistae vel Occamistae protestatur vindicans sibi libertatem relinquendi quemcumque magistrum, quem errare putet[4]. Eodem fere tempore capitulum generale anni 1541 ordinavit, ut in studiis generalibus alter lector Scotum, alter Bonaventuram publice legeret[5]. Statuta Vallisoletana praelectiones ad mentem Bonaventurae laudabiles quidem censent, sed magis insistunt in doctrina Scoti, quia controversia inter eum et ceteros scholasticos ecclesiae esset utilis[6]. Capitulum vero anni 1612 desiderat, ut lectores doctrinam suam non solum ex operibus Scoti promant, sed, quod maioris sit momenti, ex sacra Scriptura, ex sanctis patribus, ex conciliis et ex ceteris scholasticis[7]. Postquam sequentia capitula pro Scoto intercesserunt, iam anno 1642 theologia conciliationis ex diversis scholasticis desumpta commendatur[8], et anno 1651 lectores cohortantur, ut pu-

---

[1] Romae anno 1615 (Gub. III 614), Segoviae anno 1621 (Gub. III 643), Toleti anno 1633 (Gub. IV 31).

[2] *D. Facin*, Dissertatio de studio Bonaventuriano, Quaracchi 1902, 60.

[3] W SS. 231. Memorial por la Religión de San Francisco en defensa de las doctrinas del seráfico Doctor San Bonaventura, del sotilissimo Doctor Escoto . . ., Madrid 1628.

[4] EF XX (1908) 42. [5] Gub. III 287. [6] Ibid. 452.

[7] Ibid. 611. [8] Gub. IV 110.

gnantes contra scholam Angelicam ab omnibus verbis exaggerantibus atque minus reverentibus abstineant et doctrinam proferant „iuxta methodum modernorum ad aures subtilis magistri“ [1]. Similes postulationes docendi „ad mentem Scoti“ etiam postea saepius repetuntur, quin tamen umquam urgerentur. Anno 1688 capitulum generale, testificans in provincia Maioricae doctrinam Raymundi Lulli semper floruisse, praecipit, ut in omnibus studiis Hispanis singuli lectores eius doctrinam exponant [2].

Ineunte saeculo XVIII congregatio generalis nationis Germano-Belgicae ordinavit, ut aequali modo ad doctrinam S. Bonaventurae et Scoti respectus haberetur [3]. Edictum ministri generalis anno 1762 editum desiderat, ut lectores praecipuos doctores ordinis sequerentur [4], quin aliquem nominatim adducat. Summam prudentiam et eruditionem manifestant statuta studiorum edita anno 1763 a *Paschali a Varisio* [5], qui postulat, ut philosophi omnes quaestiones philosophicas modernas tractarent et theologi propaedeuticae loco libros classicos Melchioris Cani (Loci theologici), *Francisci Orante* (Loci catholici), *Ludovici Carvajal* (De restituta theologia) et Mabillonii (De studiis monasticis) concoquerent, priusquam theologiam specialem ex manuali methodico postea exarando discerent. Usquedum hoc manuale exierit, lectores doctrinam suam ex sacra Scriptura, sanctis patribus, edictis ecclesiasticis et praecipuis doctoribus ordinis haurirent. Notandum est magnum pondus his in statutis *theologiae positivae* allatum esse, quod iam antea interdum [6] et postea saepius factum est. Compañy, minister generalis, anno 1792 lectores admonet, ut ex puris fontibus sanctorum patrum hauriant et se liberent a praeiudiciis singularum scholarum, quarum contumacia in defendendis opinionibus theologiae magnum attulerit damnum. Hunc statum ordo hodiedum retinet, idque non in detrimentum scientiae. Ideoque et nova statuta pro studiis regendis contenta sunt inculcare lectoribus normam veterem studii Franciscani, nempe, ut eodem modo corda et mentes inflamment: „Praecipuum lectorum officium est, ut sanctum Bonaventuram imitantes mentes et corda iuvenum verbis exemplisque veluti veritatis radiis seraphicae inflamment.“

Aeque ac theologia positiva etiam *scientiae biblicae*, quibus ordo semper magnum attulit pondus, sensim sine sensu propria disciplina

---

[1] Gub. IV 128. [2] Chron. III 1, 314.
[3] Reg. GB. II 289. [4] Chron. IV 470. [5] Ibid. 497.
[6] Gub. III 611; IV 110 218. Chron. III 1, 335.

sunt factae. Anno 1559 capitulum generale decrevit, ut etiam imposterum Parisiis singulis diebus binae praelectiones de sacra Scriptura haberentur[1]. Versus finem eiusdem saeculi proprios invenimus lectores sacrae Scripturae et linguae hebraicae; anno 1615 omnes discipuli studiorum generalium ad discendam hanc linguam obligati sunt, ut nullus lector theologiae renuntiaretur, nisi linguam hebraicam didicisset[2]. Linguae orientales praecipue in compluribus studiis generalibus colebantur, quae ad id erant fundata (§ 107).

Pro solvendis laboribus ordini incumbentibus non minoris momenti erat studium *theologiae moralis* et *iuris canonici*. Iam anno 1593 lector sacrorum canonum commemoratur, qui casus conscientiae practicos legere debebat, et paucis annis post in singulis studiis theologicis lectores moralis instituti sunt[3]. Iuxta decretum eiusdem temporis in singulis provinciis seni conventus erant destinandi, in quibus praelectiones theologiae moralis coram omnibus patribus exceptis praedicatoribus erant habendae[4]. Ut etiam laici erudirentur, anno 1663 ordinatum est, ut in omnibus conventibus singulis hebdomadibus semel *mystica* explanaretur iuxta scripta *Henrici Herp*, fratris provinciae Germaniae inferioris[5], et semel partes regulae[6]. Attamen neque lectores theologiae mysticae, neque lectores theologiae moralis initio veri lectores theologiae habebantur; demum anno 1673 primum in Hispania[7], deinde ab anno 1727 in toto ordine ceteris lectoribus comparati sunt. Ab ineunte saeculo XVIII theologiae morali tantum pondus allatum est, ut studio theologiae finito biennale curriculum theologiae moralis et iuris canonici adiungeretur[8]. In *controversia de systematibus theologiae moralis,* quae eo ipso tempore agitabatur, ordo initio lectoribus plenam concessit libertatem, quo factum est, ut simul cum probabilistis magni momenti acres adversarios huius systematis inveniamus, velut doctum illum *Antonium de Corduba* († 1578), qui iam probabilismi initia impugnavit. Perpetuae illae controversiae capitulum Mantuae anno 1762 coactum adduxerunt, ut sub poena depositionis prohiberet, ne lectores „minus probabiles, laxas et periculosas doctrinas“ proferrent[9]. Severius adhuc Paschalis a Varisio in suis statutis studiorum loquitur: „Probabilismum omnium laxitatum fontem ac propositionum ab Ecclesia

---

[1] Gub. III 349. [2] Ibid. 596 614.
[3] Ibid. 398 581 594. [4] Ibid. 409 606 643.
[5] *Dirks* 7. [6] Gub. IV 28. Chron. III 1, 318.
[7] Gub. IV 138 209. [8] Chron. III 2, 80 179. [9] Chron. IV 470.

hactenus proscriptarum foecundissimam scaturiginem esse, omnes aequi verum aestimatores proclamant.“[1] Postquam capitulum Valentiae anno 1768 congregatum et Compañy, minister generalis, anno 1792 similem sententiam manifestaverunt[2], ordo hanc quaestionem iterum scholis decidendam reliquit.

Ceterarum quoque *controversiarum theologicarum* ordo parum particeps fuit, excepta controversia de Immaculata conceptione, quam fratres semper acerrime defendebant. Sententiis *Baii* quidam Franciscani Lovanienses consenserant, priusquam a Pontifice damnarentur: alii vero ab initio eadem impugnaverant[3]. Quidam quoque fratres condemnationi *Iansenii* contradixerunt, praecipue Waddingus, qui ipse inter eos erat, quibus inquisitio controversiae commissa est. Demum, cum Papa rem decidisset, sententiam suam reliquit[4].

§ 107. De domibus studiorum.

Ut durante medio aevo, ita etiam tempore recentiori, saltem usque ad rebellionem Gallicam tria genera scholarum ordinis exsistebant, videlicet studia generalia universitatibus coniuncta, studia generalia extra nexum cum universitatibus erecta et studia particularia vel provincialia. Attamen omnia haec multum valoris pristini amiserunt, idque sine ullo dubio saltem in familia cismontana, in qua studia generalia minus arcte cum universitatibus cohaerebant, et lectores pauci sedes scientiarum frequentabant, quapropter ceteris doctoribus inferiores fieri debebant. Eadem de causa non amplius placuit saeculares ad scholas ordinis admittere[5].

Studia particularia familiae cismontanae capitulum generale anni 1593 ad meliorem statum reducere conatum est instituens pro unaquaque provincia quattuor conventus studiorum cum lectoribus[6], ad quae studia particularia fratres ceterarum provinciarum non erant admittendi. Quia vero hoc decretum non ubique exsecutioni mandatum est, capitulum generale anni 1600 adductum est, ut omnes provincias, quae non tres saltem domus studiorum haberent, dignitate provinciae privaret[7]. Anno 1625 hoc decretum renovatum est iterumque anno 1651, quo tempore appositum est mandatum erigendi studia in illis locis, in quibus tam lectoribus quam studentibus occasio

---

[1] Chron. IV 498. [2] Archivum ordinis Romanum ad ann. 1792.
[3] W XIX 250; XX 37. *Patrem* 129. [4] *Othon* IV 145.
[5] Chron. III 2, 179. [6] Gub. III 398.
[7] Ibid. 577.

daretur alendi ingenium proprium commercio cum viris scientiarum peritis[1]. Hoc decretum anno 1732 denuo inculcatum est[2], nam sensim sine sensu detrimento esse sentiebatur, quod studia ordinis commercio cum centris scientiarum carebant. Eisdem de causis iam anno 1633 ordinatum erat, ut theologia et philosophia, si fieri posset, in *uno eodemque* conventu traderentur[3]. Attamen difficultatibus practicis et negligentia factum esse videtur, ut haec in plurimis provinciis exsecutioni non mandarentur. Demum nova statuta pro studiis regendis centralisationi studiorum iterum maius afferunt pondus, idque non immerito.

Provinciae familiae ultramontanae iam anno 1571, deinde iterum anno 1621 iussae sunt, tres domus studiorum erigere, qua ordinatione non observata dignitate provinciae privarentur[4]. Attamen gravia damna, quae reformatio ecclesiastica ditionibus familiae ultramontanae excepta Hispania attulit, impossibile reddebat studia ordinate colere. Multis in locis igitur clerici ordinis scholas externas frequentabant, praesertim scholas Iesuitarum in Germania[5].

Respectu *studiorum generalium* iam capitulum anni 1526 optime decrevit, ut in singulis nationibus utriusque familiae singula studia generalia erigerentur, pro quibus singulae nationes ipsae necessaria disponerent[6]. Ita universus ordo sex tantum studia generalia habuisset, quae indoli terrae et populi accommodata fuissent, quibus suppositis facile atque prospere evolvi potuissent. Attamen haec ordinatio neglecta est.

In *familia cismontana* iam tribus annis post quattuor studia generalia in Italia sola exsistebant, quibus usque ad annum 1532 adhuc septem adiuncta sunt[7], quorum quaedam in locis obscurissimis erant erecta. Anno 1587 numerus eorum ad quinque scholas reductus est, quae „generales et privilegiatae“ audiebant et paucos tantummodo discipulos capiebant, videlicet schola Romana, Perusina, Bononiensis et Veneta cum senis denis, schola vero Neapolitana cum 35 scholaribus[8], qui probabiliter omnes futuri erant lectores. Sed iam tribus annis post decretum exiit duas scholas generales pro Italia sufficere: Neapolitanam cum 40 et Perusinam cum 30 scholaribus, qui

---

[1] Gub. IV 6 141. [2] Chron. III 2, 179.

[3] Gub. IV 31. [4] Gub. III 358 643.

[5] *B. Duhr,* Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I, Freiburg 1907, 499.

[6] Gub. III 267. [7] Ibid. 271 275 287.

[8] Ibid. 372.

ex omnibus provinciis essent transmittendi[1]. Rursum tribus annis post iterum quattuor studia generalia commemorantur et exinde eorum numerus incredibili modo crevit. Cum capitulum anni 1603 adhuc censeret sufficiens esse novem studia generalia pro familia cismontana instituere, anno 1625 iam 25, immo anno 1682 49 scholae generales ibi exsistebant[2], idque pro solis Observantibus, quia *Reformati tantummodo studia particularia* admittebant[3]. Quantum detrimentum haec rerum evolutio cultui scientiarum attulerit, explicatione non indiget; ordo ipse id non ignorans malo mederi conabatur. Iam anno 1645 *unum* solummodo studium generale philosophiae pro Italia admittebatur, at frustra, quia hoc decretum, aeque ac multae aliae ordinationes de studiis editae, exsecutioni non mandatum est[4]. Eadem occasione data studia generalia in scholas primae et secundae classis divisa sunt, cui partitioni consequentia practica annexa erat, ut soli lectores studiorum primae classis ad iubilationem (§ 108) admitterentur[5]. Attamen et his in circumstantiis factum est, ut in multis provinciis duo vel tria studia generalia erigerentur, quare anno 1691 praeceptum est, ne ulla provincia plures scholas primae classis haberet, quam scholas secundae classis[6]. Revera maior pars studiorum generalium familiae cismontanae scholae particulares erant iuvenibus provinciae excolendis destinatae, quae tamen altiorem titulum sibi imposuerant, ut lectores ibidem instituti *lectores generales* vocari huiusque officii privilegiis frui possent (§ 108). Collegio vero internationali pro educandis bonis lectoribus et praedicatoribus. quod antiqua fuerant studia generalia, minime poterant comparari. Ineunte saeculo XVII, cum in Italia novem tantummodo studia generalia exsisterent, familia id studebat, ut a membris omnium provinciarum aggregatarum frequentarentur, sed iam anno 1651 hoc omissum est et durante saeculo XVIII provinciae ultramarinae privilegio Apostolico indigebant, ut studentes suos ad studia generalia Italiae mittere possent, idque modice[7]. Ceterum hoc neque necessarium erat, nam in decursu saeculi XVII Viennae (Wien), Pragis, Cracoviae etc., immo et in Bulgaria studia generalia eiusdem valoris constituta erant[8].

---

[1] Gub. III 396. [2] Ibid. 584; IV 42 255.

[3] Gub. IV 198 244. [4] Ibid. 121. [5] Ibid. 85 175 198 241.

[6] Chron. III 1, 339.

[7] Gub. III 594; IV 141. Chron. III 1, 475.

[8] Gub. IV 175. Chron. III 2, 429 430 435.

In *familia ultramontana* numerus studiorum generalium semper parvus fuisse videtur et, quod maximi est momenti, fratres eadem semper aliquo modo cum universitatibus coniungere studebant, quamquam mutato typo universitatum incorporatio plena non amplius perfici potuit. Igitur in urbe universitate insignita collegium aedificare consueverant, ubi fratres magis excolendi partim praelectiones lectorum ordinis partim praelectiones professorum universitatis audiebant. Iuxta decreta anni 1526 natio Hispana anno 1532 *Compluti* (Alcalá de Henares) studium generale erexit [1], quod valde floruit. Eodem fere tempore rex Lusitaniae fratribus *Coimbrae* collegium exstruxit, quod mox varie ampliatum est. Waddingus magna cum gratitudine hoc studium commemorat, cui eruditionem suam debet [2]. In ceteris studiis generalibus nationis Hispanae schola *Salmanticensis* et schola *Valentina* [3] maioris momenti fuisse videntur.

Patet in natione Franciae studium generale *Parisiense* primum obtinuisse locum, immo hoc ad tempus etiam pro toto ordine magni permanebat momenti, quia vix ullum exsistebat studium, quod eodem modo a fratribus diversarum nationum frequentaretur. Capitulum generale anni 1529 decrevit, ut singulis provinciis Observantium liceret binos studentes Parisios mittere, quorum tamen habilitas antea domi erat probanda. Provinciae vero confoederatae aeque ac prius ita quoque imposterum octo candidatos Parisios mittere poterant. Simul conventus magnus a iurisdictione ministri provincialis exemptus est et facultatem accepit eligendi proprium guardianum [4]. Attamen iam anno 1547 edicto regio constitutum est, ut numerus studentium gradibus nondum insignitorum 150 non excederet, in quibus 25 tantummodo advenae esse possent [5]. Eodem saeculo ad finem properante conventus pro 214 studentibus accommodatus est, sed frequentia erat tanta, ut novi candidati non raro diu exspectare deberent, priusquam admitti possent. Schola publica conventus tunc temporis maxima, pulcherrima et lucidissima aula totius universitatis erat [6]. Initio saeculi XVII numerus studentium auctus et numerus advenarum diminutus esse videtur; alioquin comprehendi minime posset, quare conventus magnus Benigno a Genua, ministro generali, crimini dederit, quod numerum candidatorum ad 200 reduxisset, in quibus 18 saltem advenae esse deberent. Ratio principalis murmurationis

---

[1] Gub. III 278. [2] W XVI 295. [3] Gub. III 265.
[4] Ibid. 272 349. Cf. 261. [5] *Gonz.* 128.
[6] *Felder,* Wissenschaftliche Studien im Franziskanerorden 164.

contra ministrum generalem in eo säne sita erat, quod ipse strictam disciplinam religiosam restituere conabatur, quae haud dubie deerat (§ 64). Ita studium Parisiense a saeculo XVII magis magisque valorem suum universalem amittens studium generale nationis Franciae factum est. Praeter Parisios in eadem natione studium generale *Tolosanum* (Toulouse)[1] maxima gavisum est auctoritate.

Conditio studiorum nationis Germano-Belgicae ex tempore reformationis ecclesiasticae difficilis facta est. Studium Oxoniense et studium Cantabrigiense interierant, quorum loco aliud studium eiusdem valoris ortum non est. Maximi momenti fuit collegium *Lovaniense,* quod fratres provinciarum Belgii atque Germaniae inferioris erudiebat et saeculares quoque discipulos alebat[2]. Ceteri Franciscani Germaniae vel in studiis provincialibus vel in publicis sedibus litterarum erudiebantur, praecipue in universitate Coloniensi et Ingolstadiensi. Fratres Hiberni, qui domus studiorum in patria sua erigere non poterant, ineunte saeculo XVII studium Lovanii fundabant, postea Pragis et *Romae in conventu S. Isidori*[3]. Ibi tamen scholares Hiberni tantummodo admitti consueverant, qui pro missionibus in patria obeundis instituebantur; sed eadem studia etiam in scientiis memoratu digna praestantes lectores erudiebant, qui decus multarum universitatum facti sunt.

Praeter haec studia generalia ordo durante saeculo XVII et XVIII domus studiorum erexit, quae desideriis illorum temporum rationem ducentes fratribus *controversias theologicas et linguas* traderent, ut habiles missionarii paganorum et haereticorum fierent. Praeter haec collegia missionum (§ 97) anno 1767 Antwerpiae a docto illo *Guilelmo Smits museum philologico-sacrum*[4] fundatum est, quod minister generalis maxime commendavit. Hoc collegium, quod fratres perfecte in linguis biblicis erudire et studium sacrae Scripturae colere intendebat, immediate iurisdictioni ministri generalis subditum erat, qui fratribus ibi studiis incumbentibus magnos favores, praecipue „in promotione ad doctoratus gradus“ promisit. Dolendum est, quod hoc institutum non diu stetit; a rebellione Gallica nempe iterum ablatum est[5]. Novissimis his temporibus custos Terrae Sanctae simile collegium erigere conatus est, fundans consentiente ministro

---

[1] Gub. III 265. [2] *Dirks* 124. *Gaudentius* 66.

[3] *Greiderer* I 784. Collegiorum S. Isidori de Urbe et S. Mariae de Plano Capranicae . . . fundatio a R. Luca Waddingo, Romae 1892.

[4] *V. Haute,* Misc. XII 339. [5] *Dirks* 318.

generali *Hierosolymis* universitatem linguarum orientalium et studiorum biblicorum omnibus provinciis communem [1], quae, si ratione ac via augebitur, tam Terrae Sanctae quam scientiis exegeticis magnum poterit afferre emolumentum.

Cum hic successus adhuc sit exspectandus, duo alia studia generalia ordinis, si modo ea sic appellare volumus, quae nostris temporibus sunt orta, iam demonstrarunt se aliquid posse praestare. Fundationem *collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas* (Quaracchi prope Florentiam) Bernardinus a Portugruaro, minister generalis, auspicatus est, qui cultui scientiarum, imprimis novae editioni operum S. Bonaventurae locum quietum parare intendit. Iam anno 1870 labores praeparatorios docto illi *Fideli a Fanna* commisit, qui cum 18 sociis per septem annos ultra 400 bibliothecas Europae perscrutatus est, ut manuscripta inveniret [2], quibus editionem criticae modernae accommodatam procuraret. Dolendum est, quod indefessus hic operarius iam anno 1881 mortuus est, quo facto pius *Ignatius Ieiler* [3] († 1904) in eius locum successit, qui hoc opus feliciter absolvit. Ex hoc tempore collegio neque novi labores magni, neque novi operarii boni desunt. „Fundatio huius instituti et editio operum S. Bonaventurae factae sunt maximi momenti pro mundo theologico et pro historia scientiae theologicae.“ [4]

Non minoris momenti est pro ordine *collegium* internationale *S. Antonii in Urbe,* quod idem minister generalis fundavit et erudiendis bonis missionariis et lectoribus omnium provinciarum destinavit. Initio hoc institutum impeditum est, quominus bene evolveretur, quia clerici provinciarum Italarum, qui multum saecularisatione passae erant, ibidem in elementis philosophiae et theologiae erudiendi erant. Florescentibus studiis provinciarum Italarum, hoc munus omissum est, quo facto exclusive finem suum consequi potest. Spes bona affulget fore, ut ex hoc collegio studia in multis provinciis ordinis regenerentur.

§ 108. De lectoribus.

Quo magis nexus scholarum ordinis cum universitatibus dissolvebatur, eo difficilius esse apparebat bonos lectores erudire, eoque saepius factum est, ut eorum institutio manca permaneret. Hoc maxime

---

[1] Acta XXI 135; XXII 43. [2] Acta XXIII 27. [3] Acta XXIV 45.
[4] *Ehrle:* Stimmen aus Maria-Laach XXV (1883) 16.

se manifestabat in familia cismontana et in congregationibus reformatis, quarum membra *doctores* in universitatibus fieri paene totaliter omittebant, immo non raro doctoratui inimica se praestabant. Haec animi affectio ad tempus etiam ad familiam ultramontanam transiit. Capitulum generale anni 1523 antiquam quidem retinuit ordinationem, iuxta quam doctores theologiae in solis studiis generalibus, non vero a ministro generali vel a quacumque alia persona essent promovendi[1], attamen iam anno 1532 congregatio generalis ultramontana Tolosae (Toulouse) coacta omnino prohibuit, ne fratres gradus academicos consequerentur[2]. Sed hoc decretum neque exsecutioni mandari potuit, neque probatum est a capitulo generali anni 1541, quod iura provinciarum confoederatarum promovendi fratres suos, dummodo licentia ministri generalis et provincialis accederet, salva permanere voluit[3]. Fratres extranei solummodo parcissime Parisios admittebantur, velut fratres Angli, qui, etsi universitates suas amiserant, tamen gradus academicos accipere studebant, usquedum usus vitae Recollectorum acciperent[4]. Sed Observantes ad nationem Gallicam non pertinentes etiam cum a studio Parisiensi essent exclusi, minime intenderunt doctoratum resignare. A capitulo generali anni 1682 ius promovendi in universitatibus expresse sibi confirmandum procuraverunt, dummodo expensae non essent solvendae; mutuo doctoribus ordinis in universitate legentibus honorarium petere non licuit[5]. In numero universitatum, in quibus Observantes saepius promovebant, praeter Parisios nominandae sunt universitas *Salmanticensis* et ceterae universitates Hispanae, deinde universitas *Tolosana* (Toulouse) *Andegavensis* (Angers), *Burdigalensis* (Bordeaux), *Lovaniensis* (Louvain) et *Mantuana*[6]. In his universitatibus usque ad rebellionem Gallicam etiam professores ordinis legebant, sicut et in multis aliis civitatibus, velut ordine Iesuitarum suppresso *Heidelbergae*[7] et in universitatibus Episcopalibus, e. g. *Frisingae*[8]. In studiis, quae cum universitatibus aliquo modo cohaerebant, quin eisdem incorporata essent, *doctores regentes* (cathedratici) et *doctores conventuales* distinguebantur, quatenus vel in universitate ipsa vel in schola conventus legebant[9].

---

[1] W XVI 146. [2] Gub. III 278. [3] Ibid. 286 293.

[4] Collectanea Anglo-Minoritica I 255.

[5] Gub. IV 265.

[6] Chron. III 2, 436; IV 448. *Marczic* II 26 65. EF VI (1901) 57. Saggio n. 40.

[7] *V. Haute* 127. [8] *Huber*, Dreyfache Cronickh 1019.

[9] Chron. III 1, 376; III 2, 436.

Attamen longe maior pars lectorum ordinis post annum 1517 non amplius in universitatibus erudita est. Familia cismontana compensationis loco anno 1590 decreverat, ut duo studia generalia erigerentur, in quibus lectores habiles educarentur[1]. Dolendum est, quod contra intentionem huius decreti numerus studiorum generalium insane auctus est, ut iam narravimus, quo factum est, ut ipsa ad conditionem studiorum particularium demutarentur. Praeparatio ad lectoratum sensim sine sensu industriae privatae commissa esse videtur, quod conicimus ex ordinatione capituli anni 1633, iuxta quam candidati lectoratus occasione capituli provincialis coram definitoribus et lectoribus concursum in philosophia subire debebant. Similia iam anno 1621 pro familia ultramontana decreta erant[2]. Illi, qui in hoc concursu habiles inventi erant, post triennium ad theologiam transire poterant. De studiis vero, quae praecesserunt, nihil audimus. Neque plus claritatis affert decretum capituli anni 1639, iuxta quod nemini lectoratus officium suscipere licet, nisi per quattuor annos studiis incubuerit[3]. Hic modus ultra saeculum absque mutatione essentiali valuisse videtur, saltem in provinciis Observantium; Reformati enim contenti erant lectoribus examine privato probatis, usquedum hi quoque anno 1679, iterumque anno 1762 concursum subire iuberentur[4]. Quia vero quaedam provinciae huic examini parvum afferebant pondus, Clemens Panormitanus, minister generalis, anno 1758 decrevit, ut omnes lectores (familiae cismontanae?) in conventu Aracoelitano probarentur, antequam muneris sui partes exercerent[5]. Versus finem eiusdem saeculi minister generalis contra eos poenis procedere debebat, qui absque ulla praeparatione hoc periculum subire audebant[6].

Veteribus ordinis traditionibus renovatis institutioni bonorum lectorum iterum maius allatum est pondus. Pars provinciarum vetus systema renovans candidatos suos ad universitates misit, ut ibi more magistrorum academicorum erudirentur. Praeterea ordo Romae in *collegio S. Antonii* studium generale constituit, quod magno zelo eundem scopum assequi conatur[7]. Lectores ibi instituti titulo *lectorum generalium* gaudent, cum ceteri *lectores provinciales* appellentur[8].

---

[1] Gub. III 396. [2] Ibid. 644; IV 34.

[3] Gub. IV 49. [4] Ibid. 244. Chron. IV 449.

[5] *V. Haute,* Misc. XII 14. [6] Archivum ordinis Romanum ad ann. 1792.

[7] Statuta peculiaria pro Collegio S. Antonii de Urbe Ord. Fr. Min., Quaracchi 1905.

[8] Acta XXV (1906) 87.

Ante annum 1639 nomen „lectoris generalis“ non invenimus. Demum, cum anno 1638 Urbanus VIII, ne „lectores iubilati“ nimis increbrescerent, ordinasset, ut illis tantummodo, qui in veris studiis generalibus legissent, hic titulus competeret, capitulum anni sequentis nomine *lectoris generalis* usum est, quamquam de eo in edicto Papali nihil contentum erat[1]. Exinde hoc nomine appellati sunt, quicumque a capitulo vel congregatione generali lectores studiorum generalium instituti sunt, quod etiam tunc retentum est, cum studia generalia in scholas primae et secundae classis distinguerentur. Soli lectores studiorum primae classis iure iubilationis gaudebant melioresque discipulos accipere debebant[2]. Quia vero lectores omnes iubilationem consequi studebant, necessario ultimis lectoratus sui annis a studiis generalibus secundae classis ad studia generalia primae classis transferendi erant[3], quo factum est, ut scholae secundae classis solummodo lectores acciperent tirones, cum scholae primae classis seniores peritioresque quidem lectores haberent, sed ad breve tantum tempus, quia hi illis cedere debebant, qui eadem privilegia consequi studebant. Haec erat etiam causa, quare studia generalia tam celeriter aucta sunt: asylum quippe erat illis parandum, qui non sapientiam, sed privilegia iubilationis quaerebant.

Inter innovationes, quae in ordinem introductae sunt, *iubilatio* eodem tempore invenitur, quo praecedentiae et privilegia personalia cuiusque generis praevalebant, i. e. saeculo XVI ad finem properante (§ 84). Antea lectoribus hinc inde aliquot favores concessi sunt[4], anno vero 1590 primum familia cismontana lectoribus, qui per decem annos theologiam legerant, iura ex-ministrorum provincialium commisit[5]. Cum, vetere compositione capitulorum provincialium omissa, certus numerus fratrum privilegiatorum in capitulis adhiberetur, illi, qui scientias in ordine repraesentabant, non omnino negligi poterant, quare via privilegiorum iterum ad capitula admittebantur. Hoc tamen ius magni momenti iam ineunte saeculo XVIII iterum amiserunt (§ 89) titulo et praecedentiis manentibus usque ad nostra tempora. Familia ultramontana exemplum familiae cismontanae mox imitata est[6] ordinans, ut lectores, qui per tres annos philosophiam et per decem vel duodecim annos theologiam legissent, praecedentiam ex-ministrorum provincialium et ius suffragii in capitulis provincialibus acciperent, „ac si essent perpetui Guardiani“. Praeterea in uno eodemque studio

---

[1] Gub. IV 41 420. [2] Ibid. 85 151. Chron. IV 256.
[3] Gub. IV 86. Chron. III 1, 337. [4] Gub. III 286 366 372.
[5] Ibid. 396 453. [6] Ibid. 410.

theologiae duo tantum lectores iubilati admittebantur, quorum uno decedente is, ad quem proxime pertinebat, eius privilegia accipiebat. Omnes hae ordinationes postea a Clemente VIII et Urbano VIII etiam ad familiam cismontanam extensae sunt[1]. Quia vero facile accidere poterat, ut quidam lector per tempus praescriptum officio functus esset, quin privilegia iubilationis acciperet, quia duo seniores iubilati aderant, illis nomen *lectorum iubilatorum praeternumerariorum*[2] simul cum parva praecedentia concessum est. Ipsi aeque ac lectores iubilati numerarii saepe actu non legebant. Denique etiam *lectores bis iubilatos* invenimus, qui per 24 annos theologiam docuerant, qui etiam propriis praerogativulis decorati sunt[3].

Pessimum erat signum spiritus, qui in lectoribus vigebat, quod titulis gaudebant et privilegia externa ambiebant. Triste erat spectaculum, quod inveniebantur, qui maiorem praecedentiam postularent, quia aliquot libros conscripserant[4]. Mirum quoque erat, si lectores iubilati, quibus Innocentius XI anno 1679 iura doctorum theologiae concesserat[5], interdum in publicis processionibus insignia doctoratus portabant, quod erratum committere idemtidem et adhuc saeculo XIX prohiberi debebant[6]. His consideratis intelligi non potest, quare vocales anno 1750 dubitaverint, professoribus ordinis, qui per 15 annos in universitate Salmanticensi legerant, privilegia iubilationis adiudicare[7].

Attamen talia vitia non solum apud Observantes invenimus, quamquam hi plurimum scientiis praestiterunt, sed etiam apud congregationes reformatas. Reformati anno 1682 *lectores emeritos* acceperunt, quibus eadem privilegia concessa sunt ac lectoribus iubilatis[8]. Cumque multi e gremio Reformatorum huic ordinationi contradicerent, *Ludovico Maria ab Ameno* eos acerbe castigavit dicens eosdem omnibus officialibus officio functis magnas tribuere praecedentias, quas lectoribus, praedicatoribus et magistris novitiorum negarent. His non obstantibus Reformati anno 1720 impetrarunt, ut privilegia lectorum ad tempus abolerentur, quin praerogativae ceterorum fratrum violarentur[9]. Discalceati et Recollecti Galli titulos alte sonantes, qui apud Observantes et Reformatos recepti erant, spernentes, nomen *lectorum qualificatorum* adhibuerunt. Nihilominus

---

[1] Gub. III 644; IV 120 208 420. Chron. I 525; II 3.
[2] Chron. III 1, 369. [3] Gub. IV 124 208.
[4] Chron. IV 218. [5] Gub. IV 233.
[6] Chron. IV 554. Cf. Statuta studiorum anni 1859.
[7] Chron. III 2, 436. Gub. IV 265. [8] Gub. IV 263.
[9] Ibid. 402. Chron. III 1, 574.

id studuerunt, ut eadem privilegia ac lectores iubilati acciperent. Ordo tamen contra hanc repugnantiam stetisse videtur aeque ac congregatio Romana, quae eorum postulationem reiecit, usquedum Benedictus XIV anno 1744 eis obsecundaret[1].

Ut tota causa privilegiorum ordini detrimento erat, ita etiam iubilatio scientiis magnum attulit damnum, idque maius, quam historiae periti censeri consueverunt. Imprimis honores huic titulo coniuncti multos, quibus vigor et constantia viris scientiarum necessaria deerat, instigabat, ut lectoratum ambirent, praesertim cum ad maiora ordinis officia maiorem ad partem lectores assumerentur[2]. Ideoque lectorum numerus ita crevit, ut anno 1700 ultra 4200 in ordine invenirentur (§ 83). Huius rei culpa sane etiam apud nimiam ordinis divisionem in tot administrationes inquiri debet, quo factum est, ut studia provincialia augerentur. Ut numerus lectorum diminueretur, non modus rationabilior, diminutio videlicet studiorum, electus est, sed in singulis studiis numerus lectorum reductus est cum magno scientiarum detrimento. Bonum erat, quod exspectantiae ad lectoratum, i. e. *lectores supernumerarii* ablati sunt, qui concursu perfecto certo cuidam studio tribuebantur, quin actu legerent[3]. Periculosius iam erat, quod anno 1593 *collectores* aboliti sunt, lectores videlicet secundarii, qui adiutores lectorum primariorum erant[4]. Maximum vero damnum evolutioni scientiarum afferre debuit, quod numerus lectorum in singulis studiis ad minimum, qui admitti potuit, reductus est. Per totum paene saeculum XVII idemtidem provinciis inculcatum est, ut in uno eodemque studio duo tantum lectores theologiae et unus lector philosophiae legerent; solummodo in studiis generalibus primae classis tres theologi admittebantur[5]. Quanto magis theologia et philosophia in singulas disciplinas discessit, eo minus hi lectores officio suo pares esse poterant.

Aliud damnum erat neglectio philosophiae, quam lectores tirones legere debebant, qui quam primum ad theologiam transibant, ut ad iubilationem pervenire possent[6]. Forsitan autem maximum detrimentum erat, quod pauci inveniebantur lectores, qui vitam suam lectoratui impenderent vel impendere possent. Singuli lectores munus suum in studiis provincialibus vel in studiis generalibus secundae classis incipiebant; postea ad studia generalia primae classis pervenire

---

[1] Chron. IV 82. [2] Cf. Chron. III 1, 358.
[3] Gub. IV 147 244. [4] Gub. III 398.
[5] Gub. III 594 606 643; IV 244. Chron. III 1, 317 466; IV 467.
[6] Gub. III 644.

poterant, unde paulo postquam iubilationem consecuti sunt, iterum discedere debebant[1]. Ideo in maiori parte studiorum lectores stabiles non inveniebantur; e. g. e numero 75 lectorum, quos capitulum generale anni 1676 instituerat, anno 1682 solummodo 16 adhuc officii sui partes obibant[2]. Damnum huius rei necessario ordo ipse passus est, cuius iuvenes non sufficienter in scientiis erudiebantur.

§ 109. Quidam fratres doctrina insignes[3].

Numerus scriptorum ordinis, qui ab anno 1517 floruerunt, legioni comparandus est, quare difficile erit aliquot nomina eligere, quin aequitas erga ceteros violetur. Non omnes, qui quoddam opus conscripserunt, inter viros scientiarum referri possunt, et ne omnes illi quidem, qui multa volumina produxerunt, doctores sunt appellandi, quia mensura valoris scientifici non ex amplitudine scriptorum colligitur. Contra utramque veritatem fundamentalem historiae ordinis scriptores non raro peccaverunt. Sed etiam conatibus, qui tempore recentiori suscepti sunt, ut verus valor doctorum hominum catholicorum diiudicetur, parum confidere possumus, quia asseclae unius scholae vel systematis facile et inconsulto amicos alterius ingenii minoris faciunt, quam revera merentur. Scotus iuxta sententiam Abrahami Bzovii forsitan theologus quartae classis esset, et Waddingus, quamquam opera Scoti praestantissime edidit et historiam ordinis conscripsit, inter theologos tertiae classis relatus est! Horum effectuum imprimis ordo ipse accusandus est, qui propriam historiam litterariam scribere, vel saltem monographiis solidis valorem graviorum theologorum ordinis depingere omisit. Ideoque historiarum ordinis scriptori interim nihil aliud relinquitur, quam quaedam nomina celebriora adducere, quo fieri potest, ut multi praetereantur, qui maiori merito nominandi sint. Etiam illos hoc loco omittimus, quos iam antea tamquam debellatores haeresis commemoravimus.

Quantum scientia ordinis adhuc durante saeculo XVI in ecclesia valuerit, manifeste apparet ex *concilio Tridentino,* ad quod omnes congregationes ordinis ultra 100 theologos[4] consultores miserunt

---

[1] Gub. IV 35 86 228. [2] Ibid. 229 254.

[3] Litteratura § 58. Ad haec *Ioannes a Divo Antonio*, Minorum Fratrum origine domiciliove Discalceatorum atramento et sanguine scriptorum Bibliotheca, Salmanticae 1728.

[4] Nomina vide apud *Pauwels*, Les Franciscains et l'Immaculée Conception, Malines 1904, 265. Giard. I 662. *Greiderer* II 521. *Gaudentius* 33.

ideoque plures quam aliqua ceterarum societatum religiosarum. Tridenti graviores inter Observantes theologi Hispani erant, qui in universitate Complutensi vel Salmanticensi studiis incubuerant. *Alphonsus a Castro Zamora* († 1568) primus Hispanorum calamum contra novatores religiosos strinxit[1]. *Michael a Medina* († 1578), huius discipulus, magistro originalitate laborum scientificorum et fortitudine defendendae veritatis inferior non fuit; propter defensionem scriptorum Ioannis Wild ab inquisitione Toleti per quinque annos contumeliis carceris affectus est, quin eius persuasio mutaretur[2]. Maioris quam hi a multis *Andreas Vega a Segovia* († 1560) habetur, cuius sententiae de Vulgata et de iustificatione influxum decisivum exercuerunt in tenorem decretorum concilii, quae id respiciunt[3]. Etiam *Ludovicus Carvajal* († circa 1550), adversarius Erasmi Rotterdamensis et *Franciscus Horantius* (Orantes), † 1584 in Episcopatu Ovetensi (Oviedo), in concilio doctrina sua claruerunt.

In numero celeberrimorum theologorum, qui posterioribus temporibus in *Hispania* floruerunt, praecipue commemorandus est *Ioannes Rada* († 1608), cuius librum de controversiis inter S. Thomam et Scotum vigentibus adhuc hodie omnes adhibere debent, qui his controversiis accuratius incumbere intendunt. Clemens VIII eius doctrinam tanti aestimavit, ut eum consultorem „congregationis de auxiliis gratiae“[4] Romam accersiret. Saeculo XVII scripserunt *Petrus de Alva y Astorga*[5] († 1667) et *Thomas Franciscus de Urrutigoyti*[6] († 1682), uterque mariologus indefessus, deinde *Ildephonsus Brizennius* (Brizeño), Americanus, qui propter subtilitatem ingenii sui alter Scotus appellatus est[7], et *Franciscus (a S. Augustino) Macedo,* Conimbricensis († 1681), professor in schola congregationis de Propaganda fide, qui propter scientiam suam encyclopaedicam „monstrum scientiarum“ appellatus est[8].

In *Gallia* scientiae et pietatis laude *Claudius Frassen* († 1711) excelluit, qui per 30 annos professor Sorbonnae fuit[9]. Etiam theologia scholastico-positiva *Francisci Assermet*[10] († 1730) multum laudata est. Praecipue tamen *Ioannes Nicolaus Hayer* († 1780) commemorari meretur, qui principibus Apologetarum sui temporis annume-

---

[1] W SS. 11. EF XX (1908) 45. [2] W XIX 403; XXI 153.
[3] W XVIII 117. [4] W SS. 222.
[5] Sbar. SS. 580. [6] *Hurter,* Nomenclator litterarius II[2] 366.
[7] Sbar. SS. 381. *Hurter* II[2] 10.
[8] Sbar. SS. 260. *Hurter* II[2] 356.
[9] *Hurter* II[2] 629. [10] Ibid. 632.

ratur et encyclopaedistis pro viribus restitit, praesertim populari suo ephemeride „La religion vengée“ [1].

In *Italia* praecipue durante saeculo XVIII aliquot eximii theologi ordinis inveniuntur, velut *Laurentius Cozza* († 1729), Cardinalis, qui opus classicum de schismate Graeco conscripsit [2], *Augustinus Matteucci* († 1722), validus defensor primatus Pontificii [3], *Hieronymus a Montefortino* († 1740), qui pretiosam summam Scotisticam confecit [4], denique *Benedictus Bonelli* († 1773), cuius labores novam editionem operum S. Bonaventurae parantes considerata indole illius temporis opus praestantissimum erant [5].

In numero *Hibernorum* in theologia floruerunt: *Ioannes Poncius* († 1660), collaborator Waddingi in editione operum Scoti [6], *Hugo Cavellus,* † 1626 tamquam Archiepiscopus designatus de Armagh [7] et *Florentius Conrius* († 1631), qui septies omnia opera S. Augustini pervolutavit, sed Iansenistis nimis favebat [8]. His merito comparatur egregius *Theodor Smising* († 1626), Guestfalus, professor in collegio Lovaniensi, quem chronista his verbis decorat: „Unum illi opus erat studere et orare.“ [9] *Ioannes Bosco,* Antwerpiensis († 1684), huius discipulus et successor in cathedra, acriter contra illos invexit, qui Scotum impugnant et condemnant, quin eum legerint. Egregius Scotista etiam *Crescentius Krisper* († 1749) erat [10].

Praeter hos theologos in sensu verbi stricto multi fratres magno cum successu *exponendis sacris scripturis* incubuerunt, quorum celeberrimi sunt *Nicolaus Tacitus Zegers* [11] Lovanii († 1559), *Angelus del Pas* [12], Perpiniacensis († 1596), *Marius a Calassio* († 1620), egregius orientalista et editor concordantiae bibliorum hebraicae, quae magni aestimatur [13], *Ioannes de la Haye* [14] († 1661) Parisiis, *Polychronius Gassmann* († ca 1830), professor Aquisgranensis (Aachen) et magister A. I. Binterim optime meriti, qui haud dubius debellator theologiae rationalismi exstitit [15], denique *Gabriel Tonini,* qui anno 1861 egregiam concordantiam bibliorum edidit [16]. *Linquis orientalibus* tamquam adiumentis studii sacrae Scripturae maximum afferebant pondus: *Thomas Obicini* [17] († 1638), diu rector collegii S. Petri

---

[1] *Othon* IV 392. [2] *Hurter* II² 1001. [3] Ibid. 993. [4] Ibid. 957.
[5] *Hurter* III² 104. [6] W SS. 221. [7] Ibid. 177.
[8] W SS. 109. *Hurter* III³ 633. [9] *Dirks* 148. *Hurter* III³ 637.
[10] *Hurter* II² 1275. [11] Ibid. II³ 1501. [12] Ibid. III³ 246.
[13] Ibid. 510. [14] Ibid. 1044. [15] Ibid. III² 796. [16] *Patrem* 127.
[17] W SS. 325.

in Montorio, *Dominicus de Silesia,* eius discipulus peritissimus Corani[1], *Michael Angelus Carmeli* († 1766), egregius professor in universitate Patavina[2]; praecipue vero *Guilelmus Smits* († 1770), fundator musei Antwerpiensis (§ 107) eiusque discipulus et successor *Petrus van Hove*[3] († 1790).

In gravioribus *moralistis* nominandi sunt *Guilelmus Herincx*[4] Lovanii († 1678), *Amandus Hermann* ex Silesia († 1700), auctor amplae theologiae moralis ad mentem Scoti[5], *Patritius Sporer* Passaviensis († 1714), cuius opera S. Alphonsus de Liguorio multum adhibuit[6], *Franciscus Henno* († ca 1720), cuius probabiliorismus praecipue in Hispania multis placuit[7], *Beniamin Elbel*[8], mitis († 1756), *Herculanus Oberrauch*[9], pius († 1808), professor in universitate Oenipontana, „gemma provinciae, ordinis et sacerdotum", cuius theologia moralis modo inexplicabili in indicem relata est, denique *Pius van der Velden* ex Brabantia († 1857), Vicarius Apostolicus Hollandiae[10].

Etiam *Apollonius Holtemann*[11] († 1748) et praecipue *Anacletus Reiffenstuel*[12] ex Tegernsee, professor lycei Frisingensis († 1703), duo *canonistae,* theologiam moralem pretiosis operibus auxerunt. Opera Anacleti Reiffenstuel classica habentur; eius Theologia moralis usque ad medium saeculum XIX Romae in academia ecclesiastica tamquam manuale adhibita eiusque Ius canonicum adhuc eodem fere tempore denuo editum est. Prompta Bibliotheca canonica *Lucii Ferraris*[13] († ca 1750) propter materiam ibi collectam magni habetur, quamquam in singulis non semper meretur fidem. In certis partibus iuris ecclesiastici solida praestiterunt *Angelus Auda a Lantusca*[14] († ca 1680), qui Bullarium Cherubini continuavit, *Ioannes Antonius Bianchi* († 1758), eximius lector Romae et Bononiae, qui potestatem Pontificis contra adversarios eiusdem temporis defendit[15], *Wolfgangus Schmitt* ex Hammelburg in Franconia († 1779), qui pretiosum ius canonicum pro difficili conditione catholicorum in Germania conscripsit[16], et *Ladislaus Sappel* († ca 1783), qui fuit inter primos adversarios Febronii, quique a Pontifice et ab universitate Parisiensi laudibus cumulatus est[17].

---

[1] Gub. VI 854. [2] *Hurter* III² 88. [3] *Dirks* 386 397.
[4] Ibid. 256. [5] *Hurter* II² 330. [6] Ibid. 912.
[7] *Dirks* 362. [8] *Hurter* II² 1549.
[9] *Theophilus Nelk* [= A. A. Waibel], Herkulan Oberrauch², München 1834. KL IX² 592. [10] *Dirks* 408. [11] *Hurter* II² 1520. [12] KL X² 961.
[13] KL IV² 1380. [14] Gub. II 451. [15] *Hurter* II² 530.
[16] Allgemeine deutsche Biographie XXXII 48. [17] *Hurter* III² 351.

Opera de *iure regulari Fratrum Minorum*, quae multum sunt adhibita, scripserunt: *Alphonsus a Casarubios*[1] saeculo XVI; paulo post *Ludovicus Miranda* et *Emanuel Rodriguez*[2] († 1613), postea *Petrus Marchant*[3] († 1661), *Gaudentius Kerckhove*[4] († 1703), *Thomas Montalvus* († ca 1740), *Ludovicus Sinistrari* († ca 1750) et *Bonaventura Dernoye*[5], in cuius „Medulla Evangelii", quae late pervulgata est, materia ascetica praevalet.

In laboribus catecheticis commemorandi sunt[6] *Edelberti Menne* († 1826) liber, qui inscribitur „Der große Katechismus eines Dorfpfarrers" (Magnus catechismus plebani ruralis) et *Sanctantonii Cimarosto* († 1847) opus, quod audit „Catechismo universale", quodque ampla praestat dispositione.

E numero paene infinito *scriptorum asceticorum* ordinis hoc loco praecipue commemoremus *S. Petrum de Alcantara*, *S. Leonardum a Portu Mauritio* et *B. Carolum a Setia* (Sezze, † 1670), cuius mystica tribus voluminibus conscripta magno gavisa est plausu[7]. *Bonifatius Maes*[8], Belga († 1706), libros asceticos et mysticos edidit, qui maximi aestimantur, cum *Sigismundus Neudecker*, Bavarus († 1736), pro religiosis opus componeret, quod inscribitur „Geistesschule" (schola spiritualis), quodque hinc inde adhuc hodie adhibetur. Etiam *Bernardus van Loo*[9], Belga († 1885), pro confratribus suis insignem suum „Stimulum seraphicae conversationis" conscripsit.

Philosophiae paene omnes auctores theologiae speculativae incubuerunt, praecipue *Poncius* et *Cavellus*, cuius ideae psychologicae in operibus Carthesii renovatae sunt[10]. *Guilelmus van Sichem*, Belga († 1691), pretiosum compendium philosophiae edidit, quod inter Thomismum et Scotismum mediam tenet viam[11], cum eius aequalis, *Antonius le Grand*, professor academiae Duacensis (Douai), sectator philosophiae Carthesianae esset, quam in formam redegit scholasticam[12]. *Philibertus Gruber*, Tirolensis († 1799), peritissimus erat philosophiae antiquorum, praecipue Platonis et Augustini, qua de materia scripta non negligenda edidit[13].

In operariis vasti campi *scientiarum naturalium* nominandi sunt *Polycarpus Poncelet* Virodunensis (Verdun), cuius investigationes

---

[1] W SS. 10. [2] *Hurter* III[3] 581. [3] *Dirks* 216. [4] Ibid. 323.
[5] Ibid. 198. [6] *Hurter* III[2] 198 1001. [7] Gub. II 453.
[8] *Dirks* 337. [9] Ibid. 421. [10] *Patrem* 130.
[11] *Dirks* 307. [12] *Hurter* II[2] 497.
[13] *Hurter* III[2] 390. *A. A. Waibel*, P. Philiberts Leben, Weisheit und Lieder, Augsburg 1833.

chemiae organicae admirationem alterius partis saeculi XVIII excitarunt[1]; deinde *Electus Zwinger*, qui iam circa medium saeculum XVII librum imaginibus ornatum edidit, qui inscribitur „Blumenbuch des Heiligen Landes" (de floribus Terrae Sanctae)[2]; denique praesertim *Marianus Velloso* († 1811), „Linné Americanus", qui tamquam investigator florae Brasilianae optime meritus est[3].

Quid fratres in terris missionum ad incrementum scientiarum *geographicarum, ethnographicarum* et *linguisticarum* contulerint, proprium historiae capitulum esset, quod ne conamur quidem describere[4].

Aliquot tantummodo *historiae peritos* adducemus, qui egregia opera historica ab historia ordinis aliena conscripserunt. *Petrus Crabbe* († 1554) post difficiles labores praeparatorias primam collectionem conciliorum publicavit, quam vero paulo post alius auctor superavit[5]. *Astulphus Servantius,* † 1572 tamquam Archiepiscopus designatus Valentiae, pretiosos commentarios diurnos de concilio Tridentino reliquit[6]. Solidis operibus de historia patriae Hiberni[7] *Hugo Ward* († 1635), *Ioannes Colgan* († ca 1650) eorumque collaborator *Michael O'Clery,* laicus, bene meriti sunt. *Irenaeus Affò*[8] († 1797), bibliothecarius Parmae et membrum diversarum societatum scientificarum, ingenio critico et elegantibus sententiis excelluit; *Paulinus Erdt* († 1800), professor universitatis Friburgensis Brisgoviae, extraordinariis scientiis litterario-historicis praestitit[9], et *Iustinianus Ladurner* († 1874) cognomen „Herodoti Tirolensis" sibi comparavit[10]. Etiam *Clarum Vascotti*[11] († 1860) ex Carinthia (Kärnten) commemoremus, cuius liber, qui inscribitur, „Kirchenhistorisches Lehrbuch" (Manuale historiae ecclesiasticae) in universitatibus Austriae usque ad novissima tempora adhibetur.

§ 110. Rerum ordinis scriptores.

Durantibus tribus prioribus exsistentiae suae saeculis ordo ipse historiam suam scribendam non curavit. Bene igitur Petrus Manero, minister generalis, saeculo XVII haec scripsit: „Inter eximias prae-

---

[1] *Patrem* 132. [2] *Heimbucher* II² 467.

[3] *Marcell.* VI 751. Saggio n. 753.

[4] Quaedam nomina in historia missionum inveniuntur. Amplior litteratura: W XX 61. Sbar. SS. LII LXVIII. *Patrem* 131. *Heimbucher* II² 465. *Gaudentius* 263. Saggio passim.

[5] *Dirks* 64. [6] *Hurter* III³ 98. [7] Ibid. 852 1113 1144.

[8] *Hurter* III² 412. [9] Ibid. 250. [10] *Heimbucher* II² 459.

[11] *Hurter* III² 1057.

rogativas, quibus pater coelestis luminum hanc insignivit Religionem Minorum, eam prae ceteris recognoscimus fere praecipuam, *quod nescit publicare quae facit.*“ [1] Quicumque tempore pristino de historia ordinis tractarunt, id sponte fecerunt non mandato officiali accepto, exceptis iis, qui biographias sancti fundatoris conscripserunt. Haec res a saeculo XVI mutata est. Ordo namque, partim ut fratres egregie gestis temporum anteactorum inflammaret, partim ut sese contra incursiones et calumnias defenderet, quae contra eum iactabantur eiusque auctoritatem laesurae erant, adductus est, ut historiae suae scribendae maius quam hucusque afferret pondus. Simul erant et alii, qui sponte collationes ad hanc historiam ediderunt, quare multae Sanctorum legendae multaeque chronicae provinciarum — bonae et malae — exierunt. Ad haec omnia hoc loco respectus haberi non potest, sed tantummodo ad ea opera, quae vel mandante ordine edita sunt, vel notabilia continent, quae totum ordinem respiciunt.

Pisottus, minister generalis, historiam ordinis augere studens anno 1532 omnibus ministris provincialibus mandavit, ut documenta saeculi XV quaererent, ex quibus opus Bartholomaei Pisani continuaretur [2]. Magna pars materiae hoc modo collectae in manus *Marci Ulissiponensis* († 1591) transiit, qui instante Andrea Alvarez, ministro generali, Italiam, Galliam et Hispaniam peragrans adhuc plura conquisivit. In his etiam „Fasciculus Chronicorum“ *Mariani Florentini* [3] († 1537), opus grave et adhuc ineditum, inventus est, quo etiam Waddingus multum est usus. Summa laborum Marci erat *Chronica Fratrum Minorum*, quae diu magna auctoritate in toto ordine gavisa est, quamvis non tam historia ordinis quam collectio biographiarum egregiorum fratrum dici debeat. Quia vero auctor ipse nihil aliud consequi concupivit, vituperandus non est. Aliquot, qui eius opus in linguas vernaculas verterunt vel denuo ediderunt, illud valde in detrimentum Observantium corruperunt [4]. *Bartholomaeus Cimarelli* († 1628) et *Antonius Daza* († ca 1630) hanc chronicam continuaverunt (IV partem), et *Ioannes Nuñez* († ca 1630) illam rescripsit et correxit [5].

Paulo post Marcum Ulissiponensem *Petrus Ridolfi* a Tossignano († 1601), Conventualis, suam „Historiam seraphicae Religionis“ conscripsit, quae in summa nihil aliud est quam enumeratio personarum,

---

[1] Acta XXVI (1907) 386. [2] W XVI 325.

[3] *P. Sabatier*, Tractatus de Indulgentia S. Mariae de Portiuncula, Paris. 1900, 137. *R. Razzòli:* Luce e Amore I (1904) 26. Arch. I (1908) 98; II 92.

[4] W XVI 207. [5] Sbar. SS. 31 445. *Hurter* III[3] 318.

provinciarum et domorum. Ab hoc opere controversiae litterariae incipiunt, quas Observantes et Conventuales rerum ordinis scriptores inter se gesserunt. Ridolfi quippe, qui opus suum Sixto V, Pontifici suo confratri, dedicavit, ausus est contra indubias dispositiones Leonis X seriem ministrorum generalium in favorem Conventualium mutare et affirmare eorum nomen proprium desiderio S. Francisci satisfacere[1]. Neque volumen magnum „De origine seraphicae Religionis", quod *Franciscus Gonzaga,* minister generalis, anno 1587, i. e. anno post editionem operis Ridolfi, publicavit et Sixto V dedicavit, propriam historiam ordinis continet, sed in summa descriptionem singularum provinciarum et domorum. Notabiles sunt multi errores chronologici, quos ipse commisit, et mira errata geographica[2], quibus patet eum nimis suis adiutoribus confisum esse. His non obstantibus tam Ridolfi quam Gonzaga multum pretiosi continent argumenti. Waddingus tamen opera docti illius *Henrici Sedulii*[3] (Henri de Vroom, † 1621), praecipue eius „Historiam seraphicam" cum bonis commentariis, pluris aestimavit.

Ineunte saeculo XVII Benignus a Genua, minister generalis, ad consilium scribendi res gestas ordinis iterum reversus est. Anno 1619 encyclicam[4] edidit, in qua superioribus provinciarum praecipit, ut ubique fratribus aptis collectionem materiarum necessariarum committant, quibus omnes bibliothecas et archiva aperiant quosque omni modo adiuvent. Contravenientibus excommunicationis poenam minitatur. Quae in singulis provinciis collecta erant, Romam transmitti debebant. Vastam hanc materiam minister generalis pio *Lucae Waddingo*[5], Hiberno († 1657), qui tanti valet qua theologus quanti qua historicus, excolendam tradidit. Adiutorem fidelem accepit *Antonium Hiquey*[6] († 1641), qui paulo post etiam opus originale edidit, in sua „Nitela franciscanae Religionis" ordinem contra incursiones Abrahami Bzovii defendens. Alii adiutores erant *Bartholomaeus Cimarelli,* quem iam commemoravimus, quique bibliothecas et archiva Italiae superioris et mediae perscrutavit, et *Iacobus Polius*[7] pro-

---

[1] *Marczic* I VII.

[2] Cf. *Gonz.* 511, ubi provinciae Bosnae Argentinae annumerantur custodiae Alsatiae, Bavariae, Sueciae etc.

[3] *Dirks* 132. W I XXXVIII. Histor.-polit. Bl. CXIII (1894) 419.

[4] BD V 204.

[5] Vita Waddingi, quam *Fr. Haroldus* eius discipulus scripsit, invenitur in initio primi tomi editionis annalium a nobis citatae.

[6] W SS. 33. [7] Ibid. 185.

vinciae Coloniae, qui idem in Germania perfecit. In archivo Vaticano Waddingus omnes litteras Pontificias transumendas curavit, quibus 18 tomi sunt repleti. His instructus Waddingus arduum vastumque opus aggressus est et, quamquam adversae erat valetudinis et alia impedimenta accesserunt, ita impigre laboravit, ut ab anno 1625 usque ad annum 1654 octo tomos *Annalium Minorum* in folio perficeret, qui anno 1540 finiunt. Ex prologo primi tomi quaedam, quae historiae peritorum multum intererit, hic adiungimus: „Immensum aggredi opus, ultra Maiorum praecepta, fecerunt et vetus nostra gloria et recentes aliorum calumniae. Consenescentem vidimus memoriam eorum, qui aeternam meruerunt, et squalorem obduci oblivionis praeclare factis in rei Christianae publicum emolumentum. His accessit aliorum aemulatio, qui suo honori detrahi putant, quidquid accedit alieno, nec proprias res laudari posse, nisi cum magnorum opprobrio. . . . Celebre fuit, neque immerito, Franciscanorum nomen ob res praeclare gestas in Ecclesiae catholicae dignitatem, ob doctas editas elucubrationes in fidei Romanae commendationem, ob vitas liberaliter profusas in Christiani nominis auctoritatem; sed quanto successu meliore profecit, tanto invidi in maius incendium livoris ignibus exarserunt. A principio fuerunt, qui tantum ferre splendorem non poterant, quin mendaciorum calumniarumve nebulas tentarent obducere; neque aliquando defuerunt, qui promicantem undique amplissimi Instituti gloriam obductis adversae vel diminutae famae tenebris non attenuarent.“ Octavo tomo perfecto doctus hic Minorita, qui interim senuerat, calamum relinquere debuit: „Suspenso calamo illud unum agam, quod potissime necessarium est, animae scilicet procurandae totus incumbam.“ [1]

Waddingus absque dubio gravissimus est rerum ordinis Minoritarum scriptor, cui pauci historici ceterorum ordinum pares inveniuntur. Vera enim scribit, laudes superfluas omittit, non reticet, quae vituperanda esse cognovit, et ubique optimos fontes inquirere conatur. Quod fortuna ei hac in re non semper favit, quod non omnes fontes cognovit, qui postea demum sunt detecti, ipsi crimini non est dandum. Potius vituperari possit, quod saepius fontes non accurate assignat et quod certis documentis nimiam adhibet fidem, praecipue vitis singularum personarum. Attamen his in rebus indoli suae aetatis concessit. Iniuste agit, qui Waddingum in summa condemnat, quia expertus est eum in locis certis fidem non mereri.

[1] W XVI 474.

Solummodo, qui his annalibus centies et millies est usus, magni Waddingum aestimabit.

Instante Waddingo *Franciscus Haroldus,* Hibernus, († 1685) Annales continuandas suscepit. Hic, ut totam materiam penetraret, imprimis compendium duorum tomorum ex octo tomis Waddingi confecit, quo facto continuationem incepit, quin tamen integrum tomum perficeret. Deinde labor intermissus est, usquedum *Iosephus Maria Fonseca ab Ebora,* commissarius generalis in curia, anno 1731 novam emendatamque editionem annalium Waddingi in 16 tomis simul cum additionibus *Antonii a Melissa* ederet. Tomus XVII indicem insufficientem continet. Ceteri octo tomi, qui ab anno 1740 usque ad annum 1886 sensim sine sensu adiuncti sunt, annales usque ad annum 1622 continuaverunt. Melior pars horum tomorum est „Regestum Pontificium“ et cetera diplomata, quae singuli auctores iuxta exemplum Waddingi ad calcem singulorum tomorum adiecerunt; ceterum exemplari suo minime pares inventi sunt, excepto forsitan *Iosepho Maria ab Ancona,* editore tomi XIX. Nam in omnibus paene continuatoribus ingenium criticum desideratur, necessaria a superfluis discernere non noverunt, infinitas digressiones a proposito faciunt, parum ordinate narrant narrationemque absque interruptionibus continuare non noverunt, quod Waddingo bene contigit non obstante methodo annalistico. Concedendum sane est vastam materiam historicam recentioris temporis maximo esse impedimento huic methodo, quo factum est, ut continuatio omnium operum eiusdem generis ad irritum caderet.

Waddingus ipse cognovit, futurum esse, ut opus suum redderet insulsum, si omnem materiam historicam in eo conglobaret. Ideoque ab initio magnam partem seposuit, quam separatim publicaret. Anno 1650 *Scriptores Ordinis Minorum* edidit; anno 1731 *Ioannes a S. Antonio* ampliorem „Bibliothecam universam franciscanam“ publicavit, in qua tamen necessaria diligentia desideratur. Accuratius dicendum est Supplementum ad utramque bibliographiam, quod doctus ille *Hyacinthus Sbaralea* (Sbaraglia, † 1763), Conventualis, conscripsit, quodque demum anno 1806 typis mandatum est. Dolendum est, quod in hoc libro a medio saeculo XVII maior pars etiam optimorum scriptorum deest. Idem Sbaralea aliud consilium Waddingi exsecutioni mandavit, cum anno 1759 editionem *Bullarii franciscani* quam completissimi susciperet[1]. Quia vero Sbaralea paulo post mortuus est,

---

[1] De laboribus tempore anteriori circa hanc materiam susceptis cf. prooemium ad primum tomum Bullarii; porro Chron. III 1, 469; Acta XXVI 384.

quattuor tantum tomi prodierunt, quibus *Flaminius Annibali* de Latera anno 1780 auctore Pio VI supplementum adiunxit, in quo etiam multas notas primi auctoris correxit, quippe qui scribendo Conventualium statum retinuerat. Saeculo XIX doctus ille *Conradus Eubel,* Conventualis, hoc opus tribus voluminibus auxit, qui usque ad annum 1431 pertingunt. Optandum est, ut totum opus *mox* perficiatur, ut fons principalis historiae ordinis omnibus aperiatur. Praeterea ab anno 1744 *Bullarium Discalceatorum* a *Francisco Matritensi* editum est, in quo tamen multa desiderantur.

Porro Waddingus in suis annalibus decreta capitulorum et congregationum generalium et statuta provincialia maioris momenti non integre recensuit, sed has materias separatim collegit. Priusquam vero easdem edere posset, anno 1650 primus tomus *Chronologiae historico-legalis* a Michaele Angelo Neapolitano conscriptae prodiit. Nondum patet, quomodo hic labor cum collectione Waddingi cohaereat, certum tamen est opus hoc celerius aequo editum esse; nam parum integrum est et omni apparatu scientifico caret, qui solus talibus operibus valorem stabilem confert. Neque editores trium tomorum sequentium labori suo pares erant, quod iam ex eorum prooemio patet. Praeterea scopum pristinum magis magisque reliquerunt, recipientes, quodcumque fratrum interesse poterat. Nihilominus Chronologia pro saeculo XVII et XVIII adiumentum est, quo historiae ordinis periti carere non possunt, quia multa interim alibi inveniri non possunt.

Annalibus editis capitula et ministri generales saepius de scribenda ordinis historia magis minusve aptas ordinationes confecerunt [1]. Praecipue *chronologi* et *archivarii generales* instituti sunt, qui omnes suas vires huic operi consecrarent [2]. Consilium omnino novum *Petrus Manero,* minister generalis, anno 1651 suscepit [3]. Hic bene cognovit annales Waddingi non esse conscriptas ad usum quotidianum, sed ad usum solummodo doctorum, quare cohaerenter et systematice singulas partes historiae ordinis in decem voluminibus tractandas proposuit, quo in negotio vitis et industriae ordinis maximum esset afferendum pondus. Dolendum est, quod hoc opus perfectum non est, quamquam minister generalis ubique collaboratores instituit et severe prohibuit, ne ministri provinciales eosdem aliis laboribus im-

---

[1] Gub. IV 121 124.

[2] Chron. III 1, 152 370; III 2, 436; IV 574. Gub. IV 226 245.

[3] Acta XXVI 385.

pedirent. Postquam Manero Episcopus factus est, bibliothecam magnam in hunc finem collectam simul cum materialibus ex archivo ordinis desumpsit, quae post eius mortem non amplius restituta sunt, quod proh dolor! etiam anno 1730 factum est [1]. Samaniego, minister generalis, ideas Petri Manero renovans opus hoc perficiendum commisit *Dominico Gubernatis a Sospitello* († ca 1689), qui anno 1682 primum tomum *Orbis seraphici* publicavit, in cuius praefatione rationem totius operis exponit [2]. Ipse opus suum in tres dividit partes, quarum prima ea, quae nos historiam de interna ordinis evolutione vocavimus, simul cum constitutione ordinis continet; altera pars de provinciis et tertia de industria totius ordinis tractat. Gubernatis ipse initio credidit fore, ut totam materiam in volumine viginti tomorum absolveret, postea tamen censuit ultra triginta tomos fore necessarios. Vastum hoc opus perficere non erat unius viri. Quattuor tomos primae partis Gubernatis ipse edidit, *Sigismundus Cavelli a Cuneo* anno 1741 illum tomum alterius partis edidit, qui tractat de provincia Bavariae et de provinciis Austriacis [3]. De tertia parte Gubernatis ipse anno 1689 primum tomum de missionibus tractantem edidit [4], alterum tomum de eadem materia *Antonius Maria de Turre* publicavit, qui tamen non tanti est valoris [5]. Ut Waddingus ita etiam Gubernatis defectibus non caret, qui partim causati sunt dispositione operis, quo non raro eandem materiam repetere cogitur, partim eo, quod, etsi modice, statum Reformatorum retinet, quo factum est, ut non omnes ei necessarium praestarent auxilium. In summa vero eius opus pretiosissimum est et forsan maximi momenti post annales Waddingi.

Saeculo XVIII *Petrus van den Haute* [6], Belga († 1796), iterum historiam ordinis conscribere conatus est, sed difficultatibus, quae ei Romae parabantur, factum est, ut anno 1777 solummodo „Brevem Historiam" in uno volumine ederet. Solidus labor censenda est apologia ordinis, quam ut tribus voluminibus describeret, *Ranier-Franciscus Marczic* libellis antea editis [7] adductus est; hoc igitur opus tendentiam quidem apologeticam prae se fert, sed multis in partibus omnino critice di-

---

[1] Gub. I 261. Chron. III 2, 133. [2] Cf. *Hurter* II² 549.

[3] Hic modo tamquam V, modo tamquam VI tomus totius operis citatur.

[4] Nos hunc citamus tamquam Gub. V.

[5] Nos eum citamus tamquam Gub. VI. Editus est, quatenus incolumis permanserat, anno 1886 in Quaracchi editionem procurantibus *Marcell. de Civ.* et *Th. Domenichelli.*

[6] *Dirks* 403. [7] *Marczic* I VII.

gestum est. Tertium volumen huius apologiae *Bonaventura a Decimo*[1] anno 1757 paululum immutatum sub titulo *Secoli serafici* edidit. Multum bonae materiae etiam in *Manuali* Hannibalis de Latere (Annibali da Latera) invenitur, et adhuc plus in opere *Giardino Serafico,* quod *Petrus Antonius a Venetia* († 1728) conscripsit, deinde in operibus *Fortunati Hueber*[2] († 1706) et in opere *Angelici de Vicentia* (Vicenza, † ca 1750), quod inscribitur *Storia cronologica,* denique in opere *Germania franciscana* a *Vigilio Greiderer* († 1780) edito, quod proh dolor! non est perfectum.

Ut apud Marcum Ulyssiponensem ita etiam in maiori parte *chronicarum* posterioris temporis biographiae praevalent, e quorum numero solas chronicas *Francisci Rojas* († 1656), *Damiani Cornejo* († 1707) et *Bernardi Sannig* († ca 1700) ex Silesia[3] commemoremus. Paene soli hagiographiae numerosa *legendaria* et *martyrologia* ordinis inserviunt[4].

Saeculo XIX conspectum historiae ordinis conficere conati sunt: *Maria Leo Patrem* in divite opere, quod inscribitur „Tableau synoptique", *Panfilus a Magliano,* qui tamen ultra saeculum XIV non pervenit, et alii. Laudari quoque meretur *Marcellinus a Civezza,* qui mandante Bernardino a Portugruaro, ministro generali, magnam historiam missionum conscribendam suscepit. Etsi hic labor eius vires excessit, tamen aliud eiusdem auctoris opus, quod inscribitur „Saggio di Bibliografia Sanfrancescana", pretiosum est.

Durantibus ultimis decenniis studium historiae ordinis ubique modo inopinato crevit, quod ut augeretur et in vias salutares dirigeretur, *Dionysius Schuler,* minister generalis, ab initio regiminis sui cogitavit manuale conficiendum curare, quod facta maioris momenti exponeret et ad ulteriorem inquisitionem excitaret. Ut denique quaestiones ad historiam ordinis spectantes sufficienter discuti possent et novae materiae omnibus perviae fierent, anno 1906 periodicum, quod inscribitur *Archivum franciscanum historicum,* fundavit, cuius primus tomus anno 1908 prodiit.

§ 111. Merita ordinis de artibus.

Cum sacrum ver Franciscanum multos egregios *poetas* produceret, tempora posteriora minus fertilia fuerunt. Nihilominus laudantur

---

[1] Saggio n. 680.

[2] *Minges,* Geschichte der Franziskaner in Bayern 146.

[3] *Hurter* II² 328. Saggio n. 580. [4] Latissime pervulgata vide § 48.

Livinus Brecht[1] Antwerpiensis († 1568) et ineunte saeculo XVII *Eugenius O' Douyhee*[2], cuius poemata Hiberna ubique tamquam carmina patria cantata sunt.

Maior tamen est numerus fratrum, qui in *arte pictoria et sculptoria* excelluerunt, sed hi nondum satis noti sunt. E multitudine nominum traditorum[3] depromimus *Simonem Carnoli* et *Cosmam Spiezza,* qui ambo pictores saeculi XVI fuere, deinde *Iosephum Rossi* Tergestanum (Trieste) et *Albertum Küchler* Hafniensem (Fra Pietro da Copenaghen), pictores saeculi XIX ad finem properantis; denique *Hugonem Linderath*[4] ex Düsseldorf († 1906), sculptorem.

In *musica* aliquot Franciscani magna praestiterunt, in quo omnes huius rei periti consentiunt. *Ludovicus Grossi a Viadana* († 1627), choriregens ecclesiarum cathedralium Mantuanae, Mutinensis et Fanensis, „novam epocham artis musicae inauguravit magnoque cum successu artem coluit“ [5]. „Ipse semper laudabitur, quod modos musicae ecclesiasticae elegantes invenit, quod bonum melioremque sensum ubique propagavit, quod dignitatem cantus ecclesiastici studiose et acriter propugnavit, quamvis certum esse videatur eius opera iam tempori demutationis assignanda esse, quia Palaestrina culmen polyphoniae vocalis iam attigerat.“ [6] Idem in suis „Symphoniis ecclesiasticis“ primus principium styli monodici in musicam ecclesiasticam introduxit, quo factum est, ut in evolutionem huius artis maximum exerceret influxum[7]. Praeterea ipse primus institutionem theoreticam de regendo choro edidit. In discipulis Franciscanis huius magni magistri nominandi sunt[8] *Berardus Strozzi* Romanus, *Iacobus Ganassi* Tarvisinus (Treviso), *Paulus Cornetti,* choriregens Ferrariae, et *Casparus Casati,* choriregens Novarae. Extra hanc scholam *Ioannes Dominicus Catenacci* Mediolanensis († ca 1791) egregius contrapunctista et organista magnus factus est. Etiam *David Moretti* Bergomensis († 1842) tamquam inventor modorum musicorum et organista celebratur.

In *Germania,* proprie in Bavaria, saeculo XVIII schola musica orta est, cuius tamen opera ecclesiastica typum scaenicum illius

---

[1] *Dirks* 79. [2] *Gaudentius* 154.

[3] *Patrem* 21 132. *Heimbucher* II[2] 475.

[4] *C. Schmitz,* Bruder Hugo Linderath: Jahrbuch der sächsischen Franziskanerprovinz 1906.

[5] *A. W. Ambros,* Geschichte der Musik IV[2] 248.

[6] *Fr. X. Haberl,* Kirchenmusikalisches Jahrbuch IV (1889) 66.

[7] *H. Riemann,* Katechismus der Musikgeschichte II (1901) 67 71.

[8] De sequentibus tractatur in notis dictionariis circa historiam musicae ab *Eitner, Fétis, Kornmüller* et *Riemann* conscriptis.

temporis prae se ferunt; *Chrysanthus Fischer* et *Diaconus Zaenkel,* ambo Monachii degentes, praestantissimi artifices huius scholae fuerunt. *Petrus Singer* († 1882) Tirolensis eximius erat organista et inventor modorum musicorum. Franciscus Liszt ipse dicere solebat: „Si ego Paganini clavicymbali sum, Pater Petrus appellandus est Liszt organi.“ Gloria peculiaris Petri Singer est instrumentum musicum, quod vocatur Pansymphonicon, quodque ipse invenit et Iuvaviae (Salzburg) construxit.

In *Gallia* durante altera parte saeculi XVII *Ioannes Iacobus Souhaitty* optime meritus est, qui primus numeros loco figurarum adhibuit. In *Hispania* saeculo XVI *Ioannes Bermudo* librum de instrumentis musicis conscripsit et *Franciscus Fuentes* saeculo XVIII opera de theoria artis musicae edidit. In *Lusitania* opera *Ioannis de Natividade* († 1709) classica habentur et *Franciscus Gabriel de Anunciacam* († 1747) tamquam inventor modorum et rei musicae peritus laudatur.

Hoc loco simul musicos *Conventualium* commemoremus, qui in Italia de musica ecclesiastica catholica optime meriti sunt et Observantes longe superarunt. Scholae, quae dicitur Venetiana, *Constantius Porta* († 1601) annumeratur, qui Patavii florebat et peritissimus erat musicus sui temporis. Praecipue eius „motettae“ tamquam vera artificia nobilissimi generis praedicantur [1]. Inter eius discipulos praestant *Bona Valerio, Ludovicus Balbi* et praecipue *Hieronymus Diruta,* cuius liber „Il Transilvano“ maximi est momenti, qui primam continet scholam addiscendi organi et clavicymbali [2].

Maioris adhuc momenti, quam schola Venetiana, erat schola Bononiensis, quae culmen suum in *Ioanne Bapt. Martini* [3] († 1784) attigit. Hic durante saeculo XVIII peritissimus musicae fuit, doctissimis musicis Italiae annumerandus est, primam historiam universalem musicae conscripsit et scholae praefuit, cuius fama per totam Europam exiit. In hac schola eruditi sunt Conventuales: *Iosephus Paolucci* († 1776), *Ludovicus Antonius Sabbatini* († 1809), *Franciscus Zagagnoni* († 1844) et *Stanislaus Mattei* [4] († 1825), deliciae magistri, qui caput alterius scholae factus est, ex qua *Ioachim Rossini* († 1868), magnus magister operae Italae, *Pilotti* et alii prodierunt.

---

[1] *Ambros* III [2] 534.

[2] Vierteljahrsschrift für Musikwissenschaft VIII (1892) 307.

[3] *L. Busi,* Il Padre G. B. Martini, Bologna 1891.

[4] *F. Canuti,* Vita di Stanislao Mattei, Bologna 1829.

Quod *theoreticam tractationem artis musicae* attinet, in Italia laudantur: saeculo XVI *Angelus a Piccitone,* saeculo XVII *Franciscus M. Angeli* et *Zacharias Tevo,* saeculo XVIII *Faustus Fritelli, Franciscus Antonius Calegari* et praecipue *Franciscus Antonius Valotti* († 1780), qui etiam tamquam organista et inventor modorum musicorum celebratur.

In Italia etiam ad tempus commoratus est *Boleslaus Czernohorsky* († 1740), Conventualis, qui illo tempore optimus musicus Bohemiae fuit. E numero discipulorum eius, quatenus ordinis membra fuerunt, *Restitutus Fiedler* inventione egregiorum praeludiorum organi praestitit.

Etiam *Tertiarii regulares* in Italia claros musicos produxerunt, velut *Archangelum Borsaro* († 1570), *Eleazarum Pizzoni,* qui circa annum 1670 academiae musicae Bononiensi praesidebat, et *Angelum Predieri,* qui tamquam magister optima fama gavisus est et Ioannem Martini erudivit.

II. Ordo Fratrum Minorum Conventualium.

§ 112. Interna huius ordinis evolutio.

Post separationem anno 1517 factam pro ordine Conventualium tristia orta sunt tempora; internis enim et externis premebatur difficultatibus, usquedum eorum conditio sub Urbano VIII magis magisve melior deveniret.

Privilegiis, quae Pontifices a tempore Martini V concesserant, Conventualium relatio ad regulam ordinis minime liquebat. Tandem anno 1563 saltem in quaestione paupertatis concilium Tridentinum[1] decidit, ut Conventuales Franciscani aeque ac ceteri mendicantes, exceptis Observantibus et Capuccinis, ius proprietatis in commune, proprie ius ad possessionem latifundiorum haberent. Hoc facto simul syndici Apostolici in sensu priori sublati sunt, cetera vero praecepta regulae intacta permanserunt.

Quia eodem tempore disciplina ordinis iacebat, Pius IV Cardinali protectori mandavit, ut viam aperiret reformationi, quam paulo post, anno 1565, capitulum Florentinum perficiendam suscepit. Decreta reformationis causa edita a Pontifice confirmata sunt, quapropter

---

[1] Sess. XXV, de reg. c. 3.

constitutiones Pianae (Piae)[1] appellantur. Ipsae ulteriores dispensationes regulae non concedunt, sed confugiunt ad liberam quarundam partium regulae interpretationem, quae etiam multis Conventualibus non placuit. Quia praeterea hae constitutiones scopum suum principalem, videlicet consolidationem disciplinae regularis in communi, non consecutae esse videntur, Pius V cogitavit Conventuales ordinis Minoritarum Observantibus subdere, quod iam in ordine Dominicanorum perfecerat. Ad hanc sententiam *Tancredum a Colle,* magistrum generalem, pertraxit, qui cum aliis confratribus in capitulo anni 1568 zelose causam unionis cum Observantibus egit. Denique tamen adversarii unionis, qui doctum illum *Martinum Azpilcueta a Navarra,* canonistam Pontifici amicissimum, advocatum habebant[2], victoriam reportarunt, quo facto ultimus conatus unionis ad irritum cecidit. Capitulum contentum erat aliquot decreta reformationis edere et praecipue officium vitae communis atque interdictum peculii inculcare. De exsecutione horum decretorum praecipue *Antonius Fera,* magister generalis, ab anno 1581 bene meritus est, qui etiam contra laxos magistros provinciales maxima cum severitate processit[3].

Iam ante hunc *Felix Peretti a Montalto* tamquam vicarius generalis ordinem ab anno 1566 usque ad annum 1568 magna cum prudentia et vigore administraverat, cumque anno 1585 sub nomine *Sixti V*[4] Sedem Apostolicam conscendisset, egregius protector sui instituti factus est. Quae durantibus quinque annis regiminis sui ecclesiae et patrimonio Petri praestitit erigendo congregationes, auferendo latrones, augendo bibliothecam Vaticanam, aedificando tholum supra basilicam S. Petri etc. hoc loco tantummodo delineare possumus. In ordinem, cuius membrum antea fuerat, Sixtus larga conferebat beneficia, praecipue *Conventuales reformatos*[5] promovit, qui, cum in Hispania anno 1562 Observantibus se adiunxissent (§ 66), eodem anno in Italia exstiterunt. Aliquot enim asseclae *Hieronymi Lanza* (§ 70) ad Conventuales redierant, sub quorum oboedientia novam reformationem auspicati sunt, quae a conventu Neapolitano S. Luciae celeriter per totam Italiam propagata est et populo acceptissima

---

[1] Constitutiones Piae pro reformatione fratrum S. Francisci Conventualium editae in comitiis generalibus eiusdem ordinis Florentiae 1565, Bononiae 1565. Inveniuntur etiam in Bullario Taurinensi VII 401.

[2] W XXI 179. [3] *Benoffi* 272.

[4] W XXII 1. *A. Hübner,* Sixtus V., Leipzig 1871. *Capranica,* Papa Sisto, Milano 1884.

[5] Gub. II 542. *Benoffi* 268 286.

erat. Membra eiusdem regulam observabant iuxta decretalia „Exiit" et „Exivi"[1] portabantque vestes Capuccinis simillimas. Sixtus V eosdem contra varias incursiones defendit et anno 1589 ipsis domus Discalceatorum tradidit, quas *Ioannes Baptista a Pisauro* (Pesaro) contra ius in Italia fundaverat (§ 67). Ineunte saeculo XVII Conventuales reformati partim a Capuccinis, partim a Conventualibus ipsis novas difficultates experti sunt, quo factum est, ut Urbanus VIII anno 1626 hanc congregationem dissolveret. Attamen Neapoli exsistentiam suam prorogavit, iterumque a Pontifice confirmata est, usquedum a Clemente IX anno 1669 definitive supprimeretur. Paucae domus, quas possidebat, fundamentum provinciae Neapolitanae Discalceatorum factae sunt.

Sixto V defuncto stomachus de favoribus ordini Conventualium impensis etiam calumniis sese manifestavit, quibus factum est, ut *Franciscus Bonfigli,* minister generalis, a Pontifice suspenderetur. Innocentia eius probata anno 1592 honoribus suis iterum auctus est. Eodem tempore querelae de relaxatione disciplinae regularis ita invaluerunt, ut Clemens VIII ipse conventum principalem XII Apostolorum visitaret. Etiam ad capitula anni 1593 et 1596 multae querelae delatae sunt[2], quia vero nimis difficile esse videbatur totum ordinem simul reformare, imprimis ordinatum est, ut in singulis custodiis una domus reformaretur, ex qua sensim sine sensu reformatio ad ceteras domos esset propaganda. Ita *Philippo Gesualdi,* ministro generali contigit, ut durantibus novem annis muneris sui aliquot conventus maioris momenti ad vitam communem reduceret[3].

Exsecutio reformationis difficillima reddebatur dubiis, quae circa constitutiones reformationi substernendas orta erant. Capitulum anni 1593, constitutiones Alexandrinas denuo introducere studens, constitutiones Pianas obolevit, et annis sequentibus ambiguitas iuris amplius crevit. *Iacobus Montanari a Bagnacavallo,* vicarius generalis, hanc rerum conditionem bene describit: Alii docebant Conventuales ad observanda praecepta et consilia regulae minime teneri, alii dicebant Conventuales eodem modo obligari ac Observantes. Praeter has plurimae audiebantur sententiae, quae inter utramque extremam medium tenebant. Ad serenandas conscientias fratrum vicarius generalis anno 1615 *Minoricam fratrum Conventualium*[4] edendam curavit, quae

[1] Constitutioni generali de' Frati Reformati de' Minori Conventuali da osservarsi per tutta la Riforma, Roma 1611.

[2] *Benoffi* 281. W XXIII 95 224. [3] *Benoffi* 283.

[4] *S. Bartolucci,* Minorica fratr. Conventualium S. Francisci, Perusiae 1615.

rem digne serioque tractat et observantiam regulae, quatenus fieri potuit, perfectam consequi nititur. Attamen neque hae ordinationes desideratum produxerunt effectum neque constitutiones capituli anni 1617, quod Iacobum Montanari „restauratorem ordinis" ministrum generalem elegit. Non obstante valida huius viri contradictione[1] capitulum anni 1625 sub *Felice Franceschini*, ministro generali, constitutiones innixas fundamentis omnino novis edidit, quae anno 1628 ab Urbano VIII confirmatae sunt — quare *constitutiones Urbanae*[2] appellantur — quaeque omnes declarationes Pontificias temporis anteacti abolentes plenam claritatem afferunt. Simul ordinatum est, ut eaedem constitutiones earumque titulus etiam imposterum valerent, novis legibus, ad quarum valorem consensus duarum partium capituli generalis requireretur, appendicis instar adiunctis. Constitutiones Urbanae consuetudines a Conventualibus respectu regulae hucusque observatas legibus sanciunt, quo facto omne ius auferunt Conventuales laxismi vel violationis regulae arguendi. Consequenter formula professionis mutata est appositione: „iuxta Constitutiones Urbanas". Ita Conventualismus terminos suae evolutionis attigerat, firmum fundamentum sibi comparaverat omnesque scrupulos a conscientiis suorum asseclarum abstulerat. Differentia sane inter ordinem Conventualium et ambas alias partes ordinis, Observantes videlicet et Capuccinos, maior facta est, quam umquam fuit, ut Pontifices posteriores saepius expressis verbis declarare deberent Conventuales mendicantibus esse annumerandos[3].

Novis constitutionibus editis ordo non omnes quidem difficultates abstulerat, attamen in seipso eatenus consolidatus est, ut easdem propriis viribus superare et ubique multum boni producere posset. In Conventualibus excellentibus heroicis virtutibus praecipue *S. Iosephus a Cupertino*[4] († 1663) commorari meretur.

Decus ordinis etiam *Laurentius Ganganelli* erat, qui postea Clemens XIV Papa factus est († 1774)[5]. Hic doctrina et bonitate praestitit, sed nimia obsequentia erga curias Bourbonum, qua factum est, ut Societatem Iesu supprimeret, eius memoriam obfuscavit. Quia porro Conventuales tempore Pontificatus sui multis favoribus auxit,

---

[1] *Benoffi* 287.

[2] Numerosae editiones exstant ab anno 1628; simul cum novis decretis editae sunt Venetiis 1741 et 1757.

[3] *Benoffi* 292. [4] A. SS. Sept. V 992.

[5] *Crétineau-Joly*, Le pape Clément XIV, Paris 1862. *Theiner*, Geschichte des Pontifikats Klemens' XIV., Leipzig 1852.

ipso defuncto similis stomachus erupit[1] ac post mortem Sixti V. Unio inter Observantes Gallos et Conventuales sub Clemente facta effecit, ut anno 1771 pro toto ordine *novae constitutiones*[2] promulgarentur, quae constitutiones Urbanas in breve compendium redactas continent. Dubium tamen est, num a toto ordine sint receptae, nam in Gallia tantum viguisse videntur. Certum saltem est easdem post rebellionem Gallicam non amplius valuisse, sed *Iosephum Mariam de Bonis,* ministrum generalem, anno 1823 veteres constitutiones Urbanas a Pio VII confirmandas curasse, amplis quidem modificationibus et mitigationibus iuris poenalis simul impetratis[3], quod mutata conditio temporum exegerat.

§ 113. Evolutio provinciarum. Statistica.

Anno 1517 vetus divisio ordinis in 34 provincias (§ 33) apud Conventuales adhuc vigebat, quamquam complures provinciae valde erant debilitatae. Aliud detrimentum durante saeculo XVI partim reformatione ecclesiastica partim transitu ad Observantes passae sunt. In illis quoque provinciis, quae statum suum sibi integrum servaverunt, velut in provinciis Italis, numerus fratrum notabiliter decrevit, quo factum est, ut conditio Conventualium et Observantium sensim sine sensu inverteretur; domus quippe Conventualium minorem numerum fratrum capiebant, quantacumque aedificia ipsa erant. Quia vero rebus sic stantibus difficile erat disciplinam conservare, Innocentius X anno 1652 decrevit, ut omnes domus auferrentur, in quibus sex saltem fratres ali nequirent. Hoc edictum ad omnes quidem pertinuit ordines, sed maxime Conventualibus nocuit, qui „suppressione Innocentiana“ versus 200 domus in Italia amiserunt[4]. Ceterum status provinciarum in *Italia* usque ad rebellionem Gallicam parum immutatus est. *Sardinia* iam saeculo XVI provincia facta est et anno 1726 ex conventibus in Pedemontio exsistentibus, qui antea

---

[1] *Benoffi* 326.

[2] Constitutiones fratrum Minorum S. Francisci Conventualium ad breviorem methodum redactae et a Clemente XIV confirmatae ac declaratae, Paris 1771. Ibidem etiam acta unionis. Denuo impressae sunt: Romae 1894.

[3] Constitutiones Urbanae Ord. Min. Conventualium S. Francisci auctoritate Pii VII explanatae. Utor editione: Romae 1843. Recentior sed immutata editio prodiit: Mechliniae 1880.

[4] *I. Franchini,* Status religionis franciscanae Minorum Conventualium, Romae 1682, 13. Manuale dei Novizi e Professi Chierici e Laici Minori Conventuali, Roma 1897, 272.

ad provinciam Genuensem et Mediolanensem pertinuerant, *provincia Taurinensis* erecta est[1]. Post rebellionem Gallicam[2] in Italia superiori solummodo provinciae Venetiana et Genuensis revixerunt; in Italia inferiori durante saeculo XIX provinciae Apuliae et Calabriae penitus disparuerunt, cum provinciae S. Bernardini et S. Angeli coadunari deberent. Frequentissima provincia Siciliae usque ad tempora recentiora permansit, quare anno 1859 domus in insula Malta exsistentes tamquam *prov. Melitensis* ab ipsa separari poterant.

Partem domorum *Hispanarum* Papa anno 1524 Observantibus tradidit; anno 1566 et 1568 sub Pio V reliquae residentiae ad eosdem accesserunt[3]. Eodem fere tempore Conventuales omnes domus in *Lusitania* exstructas amiserunt[4]. Novissimis demum temporibus in paeninsula Pyrenaica denuo una residentia fundata est.

Magna quoque erant detrimenta Conventualium in *Gallia* (§ 81), immo et ibi penitus interituri erant[5]. Contigit tamen, ut in Gallia meridionali provincias *Burgundiae*, *S. Ludovici* et *S. Rochi* (Occitaniae = Aquitaniae) retinerent. In septentrionali ditione solummodo pauci conventus circa Leodium (Liège) exsistentes, qui hucusque provinciae Franciae fuerant, remanserunt, ex quibus, postquam provincia Franciae ad Observantes transiit, propria *prov. Leodiensis* constituta est[6]. Ita res permanserunt usquedum sub Clemente XIV anno 1771 Observantes Galli Conventualibus adiungerentur, quo facto provinciae denuo circumscriptae sunt[7]. Binae provinciae Franciae, Turoniae et Aquitaniae singulae provinciae factae sunt. Pars provinciae Franciae, quae in Lotharingia sita erat, *prov. Lotharingiae* constituebat, reliquae duae Observantium provinciae mutationem non subierunt, excepto quod provincia S. Ludovici nomen *prov. Massiliensis* accipere debuit. Ex tribus veteribus provinciis Conventualium duae erectae sunt: meridionalis, cui nomen *prov. S. Ludovici* impositum est, et septentrionalis, quae *prov. Clementina* vel *S. Iosephi* appellabatur. Omnes hae provinciae durante rebellione Gallica

---

[1] *Benoffi* 307.

[2] Quaecumque hic apponimus de mutatione provinciarum, desumpta sunt ex libro, quod inscribitur: Manuale dei Minori Conventuali p. 193, et ex eis, quae curia generalitia ordinis nobis gratiose de statu praesenti provinciarum communicavit.

[3] W XVI 197; XX 56 196 432.

[4] W XX 110 456; XXI 429.

[5] W XVI 130 219. [6] Gub. II 537.

[7] *Othon* IV 463.

1682		1773			1908	
1. S. Francisci	42	1. S. Francisci	V	44	1. S. Francisci	6
2. Romana	60	2. Romana	VI	59	2. Romana	18
3. Marchiae	79	3. Marchiae	VII	82	3. Marchiae Ancon.	13
4. Tusciae	39	4. Tusciae	VII	39	4. Tusciae	8
5. Bononiae	50	5. Bononiae	V	38	5. Bononiae	4
6. Ianuae	43	6. Ianuae	IV	17	6. Ianuae	5
—		7. Taurini	V	37	—	
7. Mediolanensis	32	8. Mediolanensis	V	24	—	
8. Veneta	37	9. Veneta	IV	16	7. Marchiae Tarvisinae (S. Antonii)	3
9. Terrae Labòris	76	10. Terrae Laboris	V	77	8. Terrae Laboris (Neapolis)	7
10. Pennensis (S. Bernardini)	41	11. S. Bernardini	VI	42	9. S. Bernardini et S. Angeli	3
11. S. Angeli	25	12. S. Angeli	IV	25		
12. Apuliae (S. Nicolai)	51	13. S. Nicolai	VI	56	—	
13. Calabriae	33	14. Calabriae	V	32	—	
14. Siciliae	83	15. Siciliae	V	74	10. Siciliae	7
—		—			11. Melitensis (S. Pauli Ap.)	4
15. Sardiniae	9	16. Sardiniae	III	9	12. Sardiniae	3
16. Dalmatiae	21	17. Dalmatiae	IV	17	13. Dalmatiae (S. Hieronymi)	5
17. Leodiensis	3	18. Leodiensis (Liegi)	—	3	14. Leodiensis (S. Huberti)	5
—		19. Franciae	VI	52	—	
—		20. Lotharingiae	III	13	—	
—		21. Turoniae	VI	54	—	
—		22. Aquitaniae	X	62	—	
—		23. S. Bonaventurae	IV	36	—	
—		24. Marsiliensis	III	28	—	
Transferendum	724	Transferendum	CXVIII	936	Transferendum	91

1682		1773			1908	
Transferendum	724	Transferendum	CXVIII	936	Transferendum	91
18. Burgundiae	17	25. Clementina (S. Iosephi)	IV	25	—	
19. S. Ludovici	24	26. S. Ludovici	III	29	—	
20. Occitaniae (S. Rochi)	17				—	
21. Coloniensis	22	27. Coloniensis	IV	26	—	
22. Argentinensis	21	28. Argentinensis	V	17	15. Argentinensis	11
23. Austriae	17	29. Austriae	III	9	16. Austro-Styriacae et Carinthiae	5
24. Styriae	11	30. Styriae et Carinthiae	III	12		
—		31. Moraviae	III	9		
25. Bohemiae	17	32. Bohemiae	III	11	17. Bohemo-Moravo-Silesiticae	7
—		33. Silesiae	III	10		
26. Hungariae	4	34. Hungariae	XII	71	18. Hungariae et Transsylvaniae	16
27. Transsylvaniae	1	35. Transsylvaniae (?)				
28. Poloniae	32	36. Poloniae	IV	30	19. Galiciae seu Poloniae, Russiae ac Lituaniae	13
29. Russiae	40	37. Russiae	IV	27		
—		38. Lituaniae	IV	30		
30. Orientis	2	39. Orientis	—	2	20. Orientis seu Tartariae	7
31. Romaniae	3	40. Romaniae	—	2	21. S. Iosephi in Romania	17
—		41. Missiones Moldaviae	—	26		
—		—			22. Angliae	1
—		—			23. Daniae	1
—		—			24. Aragoniae	1
—		—			25. Americae septentr. Immac. Concept.	18
—		—			26. „ „ S. Antonii	12
Summa	952	Summa	CLXXIII	1272	Summa	200

disparuerunt; solummodo *prov. Leodiensis* per Belgium et Hollandiam dispersa denuo excitari potuit.

In *Hibernia* paucae domus Conventualium, quae remanserant, anno 1541 Observantiae se adiunxerunt[1]; in *Anglia* et *Scandinavia* durante reformatione ecclesiastica penitus interierunt; novissimis demum temporibus Conventuales ibidem iterum pedem fixerunt. In *Germania* provincia Coloniensis solummodo usque ad rebellionem permansit, cum *prov. Argentinensis* in Helvetia et Bavaria locum obtinere et durante saeculo XIX etiam augeri posset.

In *Austria, Hungaria* et *Polonia* Conventuales saltem usque ad rebellionem Gallicam magis prosperati sunt, quo factum est, ut hae ditiones simul cum Italia genitrices Conventualium fierent. A provincia Austriae iam saeculo XVII *prov. Styriae* (Styriae et Carinthiae) separata est, quae tamen nostris temporibus iterum cum provincia matre coniuncta est. Anno 1732 etiam a provincia Austriae conventus in Moravia siti tamquam *prov. Moraviae* discesserunt et anno 1754 domus in Silesia exsistentes tamquam *prov. Silesiae* a provincia Bohemiae disiunctae sunt[2]. Saeculo XIX ambae hae provinciae iterum cum provincia Bohemiae coadunatae sunt.

Provincia *Hungariae* durante saeculo XVII interitura erat[3], sed saeculo XVIII iterum valide revixit. *Prov. Transsylvaniae* ab eadem separata, quae saeculo XVII ex uno tantum conventu constabat, versus finem saeculi XVIII non amplius commemoratur et nostris temporibus cum provincia Hungariae coadunata est.

In regno Poloniae saeculo XVII *prov. Poloniae* exsistebat et *prov. Russiae,* a qua anno 1685 *prov. Lituaniae* seiuncta est[4]. Saeculo XIX ambae iterum coniunctae sunt et provincia Poloniae hodie *prov. Galiciae* appellatur. Provincia *Orientis* et provincia *Romaniae,* quae ex antiquis vicariis ortae sunt, per varios casus usque ad nostra tempora permanserunt, illa circa Constantinopolim, haec in stationibus missionum Romaniae.

Ordo pro damnis, quae in Europa passus est, compensationis cuiusdam loco in *Statibus foederatis Americae septentrionalis* ex anno 1859 residentias accepit[5], ex quibus duae provinciae *Immaculatae Conceptionis* et *S. Antonii* erectae sunt.

---

[1] W XVIII 29. [2] *Benoffi* 314.
[3] *Benoffi* 301. Ad tempus fuit solummodo provincia titularis.
[4] *Benoffi* 299.
[5] Manuale dei Minori Conventuali 281.

Tabella[1] pag. 536 et 537 delineata evolutionem provinciarum et numerum domorum exhibet. Numeri Romani custodias designant, quarum numerus pro prima et tertia columna inveniri non potuit.

Anno 1908 *numerus omnium domorum* 206 erat, quia conventus Assisiensis, conventus ad Rivumtortum et XII Apostolorum; item domus poenitentiariorum in basilica Romana S. Petri et in basilica Lauretana degentium; demum novum collegium internationale S. Francisci de Urbe extra nexum provinciarum exsistunt et immediate magistro generali subsunt.

De *numero fratrum* paucae subsunt notitiae accuratae. Anno 1682 circiter 15 000[2] fuerant, et anno 1893 omnes fratres et oblati 1481 erant[3]. Pro nostris temporibus statistica accurata desideratur.

§ 114. Constitutio Conventualium.

Constitutio Conventualium in constitutionibus Urbanis, i. e. ineunte saeculo XVII quasi omnino perfecta exsistit coalescens ex partibus, quae usque ad prima saecula Franciscana pertingunt, et ex partibus, quae durante saeculo XVI via consuetudinis leges factae esse videntur. Tempore sequenti solummodo paucae mutationes maioris momenti acciderunt[4].

Ex anno 1517 minister generalis totius ordinis ex Observantibus desumendus erat, Conventualibus vero *magister generalis* praeerat, qui confirmationem suam a ministro generali obtinere debebat (§ 29). Attamen haec ordinatio eo irrita facta est, quod magister generalis semper Pontificem confirmationis gratia adiit; demonstrare tantum possumus magistros provinciales quarundam ditionum confirmationem a ministris provincialibus impetrasse et accepisse[5].

Cum vero Sixtus V aeque ac Pontifices ante eum regnantes in bullis suis praesidem ordinis modo ministrum modo magistrum generalem appellaret, Conventuales censebant ordinationes Leonis X implicite esse sublatas[6], quare anno 1587 denuo primum *ministrum*

---

[1] Prima columna deprompta est ex *Franchini* 9. Cf. Gub. II 554. Altera ex Manuale dei Minori Conventuali; ibidem invenitur etiam statistica pro anno 1860 p. 193. Censum tertiae columnae debemus gratiae curiae ordinis Romanae.

[2] *Franchini* 25.

[3] Album generale omnium Fratr. Min. Conventualium, Romae 1894.

[4] Singulae ordinationes paene omnes in 8 capitulo diversarum editionum const. Urbanarum inveniuntur, quare in sequentibus eos tantummodo locos citamus, qui a const. Urbanis alieni sunt.

[5] W XVI 171. *Benoffi* 250 253. *Marczic* II 479; III 104.

[6] Gub. II 515. *Marczic* II 504.

generalem elegerunt. *Durationi muneris* eius sexennium assignatum erat. Si magister generalis quacumque de causa tempore muneris sui nondum elapso decedit, ordo gubernandus est a vicario generali, qui *vicarius Apostolicus* appellari consuevit, quia non ab ordine, sed a Sede Apostolica nominandus est. Consiliarii immediati ministri generalis duo *assistentes* sunt[1], qui a definitorio generali eliguntur, quorumque alter *socius*, alter *secretarius ordinis* vocatur. Ambo viri docti atque periti sint, quorum consilio vel consensu minister generalis in omnibus rebus a lege destinatis uti debet. Durante triennio muneris sui, quod tamen per aliud triennium prorogari potest, definitores ordinis habendi sunt et officio functi definitores perpetui propriae provinciae. Eadem iura *procuratori ordinis*[2] adiudicata sunt, qui item ad triennium eligendus est, sed pro altero triennio confirmari potest. Hic antea in conventu S. Salvatoris in Unda residebat, ex anno 1845 autem in conventu XII Apostolorum[3]. A medio saeculo XVIII pro causis canonizationum saepe proprius *postulator* institutus est[4].

Praevalentia muneris assistentium generalium factum est, ut *definitorium generale* Conventualium stabile consilium ministri generalis fieri non posset, sicut definitorium generale Observantium, sed eius potestas ad tempus capituli generalis restringeretur. Membra capituli generalis distinguuntur in *definitores temporaneos,* videlicet omnes ministros provinciales in capitulo praesentes vel commissarios eorum vices gerentes, procuratorem ac ambos assistentes, et in *definitores perpetuos,* i. e. ministros et vicarios generales officio functos atque illos fratres, qui privilegium id concernens a Pontifice acceperunt, quod ex altera parte saeculi XVII saepius factum est, quamquam minister generalis initio contradicebat[5]. *Definitorio generali congregato summa potestas legislativa et iudiciaria ordinis competit,* cui etiam minister generalis subest. Praeter definitores generales membra capituli sunt: custodes custodum singularum provinciarum (§ 38), guardianus Assisiensis, qui custos sacri conventus appellari consuevit, guardianus conventus XII Apostolorum et guardianus loci capitularis. His in altera parte saeculi XVIII adiuncti sunt: procurator

---

[1] Tres *assistentes nationales,* qui anno 1731 ministro generali adiuncti sunt, post rebellionem Gallicam non amplius instituti sunt. Vide *C. Eubel,* Geschichte der kölnischen Minoritenprovinz 301.

[2] Eorum nomina vide in Manuale dei Minori Conventuali 292.

[3] Ibid. 284. [4] *Benoffi* 315.

[5] Ibid. 317.

missionum, praeses collegii studiorum S. Bonaventurae Romae exsistentis et consultor inquisitionis Romanae ex ordine desumptus[1]. Hi tamen omnes essentialiter ad electionem ministri generalis restricti sunt, cum ceterae electiones et deliberationes penes definitorium generale sint. Tertia denique classis membrorum capituli generalis illi fratres erant, qui iure suffragii non gaudebant, sed solummodo relationis vel celebritatis gratia vocati erant velut visitatores provinciarum, praedicatores et doctores praestantiores etc. Tempore inter duo capitula generalia interposito, primo triennio generalatus elapso, *congregatio generalis* celebranda est, cuius tamen solus minister generalis, ambo assistentes, procurator generalis, procurator missionum et ministri provinciales Itali participes esse debent. Haec congregatio omnia negotia capituli generalis expedire potest excepta electione ministri generalis, in qua decurrentibus saeculis Papa saepius extraordinario modo intervenire debebat[2].

Singulis provinciis ab anno 1517 *magistri provinciales* praeerant, qui exemplum magistri generalis imitantes anno 1587 veterem titulum „ministri" sibi iterum vindicaverunt. Pro provinciis amissis (Terrae Sanctae, Angliae, Hiberniae, Daniae, Saxoniae, ad tempus etiam Hungariae) *provinciales titulares* a capitulo instituebantur, quibus eadem iura ac ceteris adiudicata sunt. Ministri provinciales semper magistri theologiae sint et e gremio provinciae, cui praeficiuntur, desumantur. Ut ministro generali, ita etiam ministro provinciali duo assistentes tamquam consiliarii adiunguntur, videlicet *secretarius provinciae*, qui a definitorio provinciali eligendus et a ministro generali confirmandus est, et custos illius custodiae, in qua minister provincialis eo tempore moratur. In casibus a lege definitis ipse consilio vel consensu amborum assistentium uti debet, quibus absentibus duo alii fratres sunt substituendi. Secretarius habendus est vicarius ministri provincialis, quo decedente gubernium provinciae suscipit, usquedum a ministro generali commissarius instituatur.

Ut definitorium generale, ita neque *definitorium provinciale* stabile consilium ministri est, sed tantummodo occasione capituli provincialis quarto quoque anno convocandi vel occasione congregationis capitularis (c. intermediae) semel vel bis tempore intermedio celebrandae muneris sui partes agere potest. In definitorio provinciali membra

---

[1] Ibid. 316.

[2] Cf. tabellam ministrorum generalium apud *Benoffi* 233 sq.

stabilia, *definitores perpetui* vel *patres provinciae* omnino praevalent. His annumerantur ministri provinciales actuales, habituales et titulares, procuratores et assistentes generales officio functi, omnes magistri theologiae, qui per duodecim annos tamquam lectores regentes in aliquo studio generali legerunt vel magistri novitiorum aut inquisitores fuerunt, deinde duodennales praedicatores, qui in maioribus ecclesiis ordinis a ministro generali instituti sunt, denique ordinarie unus „definitor ex gratia". Quantus fuerit numerus definitorum perpetuorum in quibusdam provinciis, eo patet, quod anno 1659 decretum est, ut in provinciis minoribus solummodo 6—12 definitores perpetui admitterentur, nullibi vero ultra 18. His non obstantibus minor pars capituli manserunt *definitores temporanei*, qui — singuli ex singulis custodiis — in capitulo vel in congregatione intermedia ceteris electionibus finitis a definitorio eligendi sunt. Eorum facultates in proximo capitulo vel congregatione exspirant. In ipsis capitulis hi simul cum definitoribus perpetuis supremam potestatem provinciae repraesentant: superiores instituunt, statuta provincialia condunt et ab ipso ministro provinciali rationem reposcere possunt. Praeter hos solius *electionis ministri provincialis* participes esse possunt: ministri provinciales extranei, qui forsan adsunt, omnes magistri theologiae totius provinciae, duodennales praesides seminariorum studiorum, discreti singulorum conventuum, unus definitor ex gratia et guardianus conventus capitularis. Ceteri guardiani iure suffragii non gaudent, nisi propter exiguum numerum fratrum discretus eligi non possit, quo in casu discreti munere fungi possunt.

Mirum est *custodes* neque in definitorium provinciae receptos neque ante publicationem statutorum saeculi XIX ad electionem ministri provincialis admissos esse. Quamquam Conventuales veterem divisionem provinciarum in custodias, quatenus fieri potuit, retinuerunt et custodibus certum ius inspectionis, velut ius visitandi conventus sibi subditos atque praesidendi electionibus discretorum, concesserunt, tamen haud dubie eorum auctoritatem minuere studuerunt, quod optime patet ex ordinatione, iuxta quam custodes extra tempus visitationis ne prae guardianis suae custodiae quidem praecedentiam habebant. In electionibus novorum custodum, quae in capitulis vel congregationibus provincialibus a definitorio perficiendae sunt, custodes actuales omnino excluduntur. Sola electio custodis custodum eis reservatur in illis provinciis, quae saltem tres custodias amplectuntur. Si tantummodo duo custodes adsunt, alter a definitorio in

custodem custodum eligitur, si vero unus solus, ipse ad capitulum generale proficiscatur. Semper tamen custos custodum magister theologiae debet esse, et si accideret, ut nullus actualium custodum hac dignitate insignitus esset, alius magister provinciae ad capitulum generale mittendus esset. Itaque capitulum generale, paucis membris exceptis, ex solis magistris theologiae coalescit.

Guardiani conventuum iam a saeculo XVI ubique in capitulis provincialibus ad triennium electi esse videntur; soli *guardiani primae classis,* qui etiam „de mensa Reverendissimi" vocabantur, a capitulo generali instituebantur. In his praeter guardianum Assisiensem et guardianum conventus XII Apostolorum guardiani circiter 30 conventuum in Italia exsistentium inveniebantur, qui, ut missio commissariorum specialium sumptibus coniuncta vitaretur, in casu necessitatis tamquam commissarii ministri generalis adhibebantur. Ut ab antiquitus ita etiam postea vices guardiani *vicarius* gessit; solummodo in conventibus maioribus guardiani *praesides* instituere poterant, qui etiam vicariis praeerant et conventus primae classis regere debebant, usquedum a ministro generali novus guardianus institueretur. Pro administrandis facultatibus guardiano adiunctus erat *exactor,* qui de acceptis, et *procurator,* qui de expensis rationem reddere debebat. Ambo hi et guardianus claves aerarii habebant, in quo pecuniae et aliae res pretiosae asservabantur[1].

Praeter stipem ex debito ad bonum ordinis et provinciae conferendam unusquisque conventus in administrandis suis facultatibus independens est, qua de causa decretum est, ut unusquisque candidatus a certo conventu tamquam filius reciperetur, priusquam ad novitiatum admitteretur. Relationes fratris ad *conventum nativum,* quae stabiles erant, in eo consistebant, quod bona novitio tam tempore receptionis, quam postea obtingentia huius conventus fiebant, qui vicissim filio educando et in casu invalentiae sustentando curam gerere debebat. Minime vero cum filiatione ius ad stabilem mansionem in illo conventu coniunctum erat. Notio correlativa ad filiationem erat *paternitas conventus,* cuius tamen ideae comprehensio filiationem includere consuevit. Unusquisque videlicet conventus, ut sibi peritos consiliarios compararet, numerum fratrum nominabat patres conventus, qui in omnibus gravioribus conventus negotiis consulendi erant et suffragium ferre poterant. Quibusdam fratribus iam lege haec paternitas competit, velut doctoribus theologiae, qui

[1] *C. Eubel,* Geschichte der kölnischen Minoritenprovinz, Köln 1906, 33.

a die promotionis patribus sui conventus nativi annumerantur; alii fratres a conventu ipso eliguntur. In domibus, quae exiguum tantummodo numerum fratrum continent, omnes sacerdotes approbati patres conventus habendi sunt. Magni momenti est ius conventuum (saltem maiorum) eligendi *discretos capituli provincialis,* qui electionis ministri provincialis participes sunt et syndicationes superiorum, quae forte adsunt, proferre debent. Omnes, quibus administratio bonorum domus commissa est, a voce passiva excluduntur, praesertim guardianus, procurator et exactor. Voce activa initio omnes fratres professi gavisi sunt, sed abusibus factum est, ut anno 1720 decerneretur, ut laici in futuro recipiendi voce activa privati manerent, cum laici tunc temporis iam professi etiam imposterum ad electiones admitterentur, si 40 annos iam nati essent.

Ex dictis patet decurrente tempore multos fratres tam apud Conventuales, quam apud Observantes via *privilegiorum* gradus magnae auctoritatis in ordine accepisse. Eadem valent de praecedentia[1], respectu cuius Conventuales illis, qui scientias repraesentabant, adhuc magis quam Observantes obsecundaverunt. Maxime vero notandum est viris doctis Conventualium ius comparendi ad capitula provincialia permansisse, sicut antiqua mos Franciscana erat.

§ 115. Ordinis industria.

Magno cum studio et successu Conventuales *missionibus internis* incubuerunt. E numero praedicatorum[2] commemoremus *Cornelium Musso Placentinum* (Piacenza, † 1574), qui forsan maximus praedicator Conventualium fuit et in concilio Tridentino graves egit partes; deinde *Franciscanum Vicedominum* (Visdomini) Ferrariensem († 1574), *Eleutherium Albergoni* Mediolanensem († ca 1600), *Fridericum Pellegrini* Bononiensem, eius aequalem et *Iosephum Platina* a Savigliano († 1743).

In *missionibus externis* vero parum operari potuerunt, quia a terris novis penitus exclusi sunt[3]. Solam *missionem in Moldavia* et in aliis locis Turciae Europaeae per saecula usque ad nostra tempora magnis cum iacturis retinuerunt. Ut boni missionarii pro his ditionibus educarentur, Calvi, minister generalis, medio saeculo XVIII Romae *col-*

---

[1] Ordinationes hanc respicientes vide in ultimo titulo capituli octavi diversarum editionum constitutionum.

[2] Cf. Manuale dei Minori Conventuali 324 sq.

[3] *Marczic* III 105.

legium S. Antonii fundavit, quod breviter „S. Antonino“ appellatur. Idem proprium procuratorem missionum instituit[1].

Longe maioris momenti sunt, quae Conventuales in *musica ecclesiastica* (§ 111) et in *scientiis* praestiterunt. Usus quidem antiquus consequendi gradus academicos in universitatibus modice tantum in familia ultramontana retentus est, sed minister generalis facultatem accepit ordinarie in capitulis generalibus maiorem fratrum numerum periculo praemisso ad magisterium theologiae promovendi[2], quo iure durante saeculo XVI et post rebellionem Gallicam liberalissime usus est, ut anno 1893 in 829 patribus 215 doctores theologiae invenirentur[3]. Durante vero saeculo XVII et XVIII minister generalis raro fratres promovebat, sed candidati ordinarie accurate designatum diuturnumque studiorum curriculum perficere debebant, priusquam magisterio decorarentur. Haec mutatio cum reformatione studiorum cohaeret, quam necessariam esse versus finem saeculi XVI apparuit, quaeque ultimatim Sixto V ascribenda est. Anno 1587 ipse in conventu XII Apostolorum *collegium S. Bonaventurae*[4] fundavit, quod multos egregios scientiarum viros produxit. Ibi electi tantummodo iuvenes recipiendi erant, qui praesertim studio operum S. Bonaventurae incumberent et post triennale studium magisterium acciperent. *Iacobus Montanari*, egregius minister generalis, studia perficienda suscepit et anno 1619 mandante capitulo immediate antecedenti novum ordinem studiorum[5] simul cum epistola pastorali valde notabili publicavit. Forma quidem originalis horum statutorum non diu permansit, attamen essentialia eorundem in constitutiones Urbanas transierunt, quo factum est, ut valerent, usquedum ruina ordinis adducta rebellione Gallica eorum exsecutionem redderet impossibilem. Galli vero iam post unionem anni 1771 haec statuta reliquerant mediam insistentes viam, quae melius conveniebat cum conditionibus ibi exsistentibus[6]. Nostris quoque temporibus Conventuales

---

[1] *Benoffi* 315.

[2] W XVIII 518; XXII 412 528; XXIII 95. *Benoffi* 277.

[3] Album generale omnium fratrum Min. S. Francisci Conventualium, digestum anno 1893, Romae 1894, 194.

[4] W XXII 190 465. Novissimis temporibus Conventuales hoc collegium iterum excitare student. Interim collegium missionum Romae (Via S. Teodoro) exstructum eius loco habetur, cui etiam ius conferendi doctoratum concessum est.

[5] Reformatio studiorum Ord. Frat. Min. Conventualium a R^{mo} P. Magistro *F. Iacobo Bagnacavallensi,* eiusdem ordinis Ministro Generali, ordinata, Perusiae 1620.

[6] Vide constitutiones anni 1771, 114.

vetera praecepta cum exigentiis recentiorum temporum componere student.

Ordinationes maioris momenti de studiorum ratione, quae paucis mutationibus levioribus exceptis durante saeculo XVII et XVIII valuerunt[1], hae sunt: Iuvenes clerici ordinis (tirones) primum in *seminariis* provinciarum elementa philosophiae et theologiae addiscant. Si ad sacerdotium promoti habiles ad ulteriora studia inveniuntur, ascribantur maioribus scholis ordinis, quae in quattuor classes triennales dividuntur. In tribus classibus inferioribus, quae *gymnasia* appellantur, gradatim logica (Initiati), physica atque metaphysica (Studentes), et sententiae atque canones (Baccalaurei) legantur, cum gradus supremi, qui *collegia* vocantur, praecipue theologiam positivam tractent. Collegia huius generis inveniebantur Romae, Assisii, Patavii, Bononiae, Neapoli, Melitae, Pragis, Coloniae et Cracoviae. Gymnasia primae classis circiter 10 et secundae classis 20 exsistebant, gymnasia vero tertiae classis in omnibus provinciis multa erant. Si alumni primae classis gymnasii, quamquam cursum suum repetierant, inhabiles ad receptionem inter collegiales iudicabantur, titulum suum retinere et inter magistros (baccalaurei conventus) scholarum minorum recipi poterant. Soli collegiales, qui triennium suum cum laude perfecerant et theses publicas defenderant, a ministro generali ad magisterium promovebantur, absque ulteriori examine, quippe quod respectu habito ad solida studia superfluum esset. Si lectores omnium scholarum superiorum, qui ex doctoribus desumendi erant, per duodecim annos legerant, i. e. regentes unius classis fuerant, definitores perpetui propriae provinciae habebantur. In unoquoque studio duo tantum regentes esse consueverant, quibus baccalaureus vel magister artium adiungebatur. Saeculo XVIII ineunte proprium *praefectum studiorum* invenimus, qui lectoribus et studentibus invigilare debebat[2].

Praeter magistros de iure, qui legitimum absolverant studiorum curriculum, etiam *alii gradibus insigniti* aderant, quos minister generalis prae ceteris fratribus (fratres simplices) minoribus privilegiis insignire poterat[3]. Anno 1659 ministro generali hoc ius, quo iam antea uti consueverat, expressis verbis concessum est, ea tamen conditione, ut non solum fratres, qui de educandis novitiis vel de musica ecclesiastica bene meriti essent, gradibus insigniret, sed etiam illos, qui per

---

[1] Inveniuntur in capitulo V omnium editionum constitutionum.

[2] *Benoffi* 308. [3] Constit. Urbanae ed. 1757, 328.

duodecim annos cura animarum praedicando, confessiones audiendo etc. excelluissent. Hoc decretum zelum animarum excitare et neglectum confessionalis finire volebat. Idem ordinatio anni 1713 consequi studuit, qua decretum est, ut illis tantummodo paternitas conventus conferri posset, qui confessionale frequentarent[1]. Hoc vitium ortum esse videtur ex ratione studiorum, quae scientias abstractas nimis praeferebat et praecipue theologiam moralem diu valde negligebat. Adhuc anno 1771 „lectores morales" ceteris lectoribus posthabiti sunt, quippe qui post 15 annos lectoratus demum ad paternitatem provinciae pervenirent[2]. Sed professores ordinis in universitatibus vel seminariis Episcopalibus legentes, quorum numerus non erat exiguus, ceteris lectoribus omnino comparati sunt. Cathedrae multarum universitatum Italiae Conventualibus decoratae sunt[3], et vicissim multi saeculares scholas Conventualium frequentabant.

Doctorum Conventualium hoc loco praestantissimos tantummodo nominare possumus[4]. Principibus theologorum ordinis praeter Cornelium Musso, quem iam adduximus, annumerandi sunt: *Marcus Antonius Pagani* († 1585), *Constantius Torri,* † 1595 tamquam Cardinalis, et praecipue *Laurentius Brancati,* † 1693 tamquam Cardinalis, qui sanctitate vitae et doctrina aeque praestitit.

Princeps *scriptorum historiae ecclesiasticae* fuit *Antonius Pagi* ex Rognes prope Aquas (Aix, † 1699), qui criticam classicam de annalibus Baronii scripsit. *Franciscus Pagi* († 1721), eius nepos et collaborator, pretiosas collationes ad historiam Pontificum edidit, quas *Antonius Pagi iunior,* nepos Francisci, continuavit.

Historiae ordinis scribendae multi Conventuales allaboraverunt, sed proh dolor! aequo saepius modo apologetico vel polemico. Praeter Petrum Ridolfi et Sbaraleam, quos iam citavimus (§ 110), ex eis, qui iam decesserunt, commemoremus *Ioannem Franchini* Mutinensem († 1695), *Casimirum Biernacki*[5] Polonum († ca 1700), *Antonium Lucci*[6], qui anno 1752 tamquam Episcopus Bovinensis mortuus est,

---

[1] Ibid. 355. [2] Constit. Urbanae ed. 1843, 347.

[3] Gub. II 553. *Patrem* 50.

[4] Praeter litteraturam § 58 vide *G. Franchini,* Bibliosofia e memorie letterarie di scrittori Francescani Conventuali ch' hanno scritto dopo l' anno 1585, Modena 1693. Manuale dei Minori Conventuali 322. Hic nomina chronologice disponuntur, cum Franchini ea alphabetice disponat.

[5] Speculum Minorum, Cracoviae 1688.

[6] Rationes historicae . . . quibus demonstratur, omnes sanctos et beatos primorum duorum saeculorum Franciscanorum solis Patribus Conventualibus competere, Augustae Trevir. 1743.

Franciscum Antonium Benoffi a Pisauro († ca 1782) et *Nicolaum Papini* († 1834), cuius notae criticae ad vitam S. Francisci adhuc magni habentur.

Etiam *Vincentius Coronelli* († 1700) collationes ad historiam ordinis edidit[1], sed eius momentum in *geographia* situm erat, in qua tantum praestitit, ut ab Imperatore titulum „cosmographi publici“ acciperet. Eiusdem indolis erat *Hilarius Altobello,* cuius peritiam mathematicam et astronomicam magnus ille Kepler valde laudavit.

III. Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum.

§ 116. Interna huius ordinis evolutio[2].

Matthaeus a Bassis, qui antea praedicator provinciae Marchiae Anconitanae fuerat, persuasum sibi habuit se investigasse veram formam habitus, quem S. Franciscus ipse portasset, ideoque anno 1525 insciis superioribus Romam se contulit, ubi a Pontifice vivae vocis oraculo licentiam obtinuisse dicitur ducendi vitam more anachoretarum idque vestem novam cum caputio pyramidali indutus. Cum vero domum revertisset, minister provincialis eum tamquam apostatam tractavit, quod iuxta decreta iuris canonici facere potuit ac debuit. Sed *Matthaeus Catharinam Ciboa,* ducissam Camertum et neptim Pontificis, potentem advocatam invenit, cuius protectione libertatem recuperavit[3]. Mox *Ludovicus a Forosempronio* (Fossombrone) eiusque frater Raphael exemplum Matthaei imitantes cum litteris recommendatitiis eiusdem ducissae Romam profecti sunt, ubi anno 1526 a poenitentiario maiori rescriptum impetrarunt, quo ipsis et Matthaeo concedebatur sub inspectione ordinarii *vitam eremiticam*

---

[1] Effigies et series chronologica Ministrorum Generalium tot. Ord. S. Franc. Min. Conventualium, s. l. 1716.

[2] *Fontes principales:* BC et OD (vide introductionem sub „abbreviationes“), ambo continuantur in *Analectis Ord. Min. Capuccinorum,* quae ab anno 1884 Romae ex officio eduntur. Ibidem tom. V—VIII invenitur collectio authentica decretorum cap. generalium. Praeterea *Constitutiones* Fr. Min. S. Francisci Capuccinorum anni 1643, quas latine ad verbum iuxta textum authenticum expressit et annotavit *P. Coelestinus a Viroviaco,* Tornaci 1876. Citamus semper iuxta hanc (unicam) editionem Latinam. Quaedam bona inveniuntur etiam apud *Zacharias Boverius,* Annalium seu sacrarum historiarum Ord. Min. S. Francisci, qui Capuccini nuncupantur, Lugduni 1632—1639, eiusque diversos continuatores. Cf. etiam W XVI—XXV et *Eduardus Alencon.,* De origine Ord. Fr. Min. Capuccinorum Chronica F. Ioannis Romaei de Terranova, Romae 1908.

[3] *Boverius* I 49.

agere[1]. Fundatio novi ordinis tunc temporis nondum moliebatur, quippe quae demum anno 1528 perficeretur, cum ambo fratres Ludovicus et Raphael — mirum est Matthaeum non nominari — mediante Catharina ducissa litteras Pontificias „Religionis zelus“ [2] acciperent, quo eis licentia dabatur agendi vitam anachoretarum, portandi *barbam*[3] et caputium pyramidale et *recipiendi novitios.* Iuxta tenorem huius bullae petentes non amplius Observantes, sed Conventuales erant, ad quos secundum bullam unionis et concordiae (§ 29) licentia superiorum impetrata transissent, quae affirmatio veritati directo contradicit. Magister provincialis Conventualium, in cuius provincia morabantur, immediatus eorum superior factus est eosque visitare et, si necessarium erat, ad strictiorem regulae observantiam compellere potuit. Mox Ludovicus a Forosempronio, primum caput novae congregationis eremitarum factus Matthaeum a Bassis et alios Observantes ad suam societatem admisit[4]. Anno sequenti 1529 *Alvacinae* prope Fabrianum capitulum celebravit, in quo prima statuta sunt condita, quae vocantur *constitutiones Alvacinae*[5], quaeque stricte observationem chori praecipiunt, postulant, ut in singulis conventibus singulis diebus una tantum missa celebretur, prohibent, ne stipendia missarum recipiantur neve confessiones saecularium audiantur neve „ullus studia litteraria erigere praesumat“, simul tamen zelum in administrando praedicationis officio inculcant. Quomodo se ad quaestionem paupertatis habuerint, patet ex ordinationibus, quibus fratres prohibentur syndicos vel procuratores instituere et iubentur residentias simplices ac pauperrimas extra urbes aedificare, in quibus solummodo 7 vel 8 vel ad summum 12 fratres viverent. Carnem, ova et caseum non quidem colligere, sed sponte oblata accipere possunt. Cetera necessaria singulis diebus mendicent, excepto casu necessitatis, in quo pro una hebdomada providere possunt.

Matthaeus, qui a capitulo vicarius electus erat, iam duobus mensibus post ex causis ignotis ab officio se abdicavit, quo facto Ludovicus gubernacula societatis iterum recepit. Tunc demum novae constitutiones promulgatae sunt, quo concludere licet easdem non tam a Matthaeo quam a Ludovico confectas esse. Ceterum hic durantibus primis decenniis princeps omnium inceptorum erat, cum

---

[1] BC I 1. [2] BC I 3.

[3] Cf. ad hoc BF I 26.

[4] *Boverius* I 103. [5] Ibid. 117. Anal. Cap. V 13.

Matthaeus omnibus factis alicuius momenti deesset et partes valde ambiguas ageret. Anno 1537 societatem, a qua iam per multos annos alienus erat, relinquens et veterem formam habitus reassumens ad Observantiam rediit, in cuius gremio anno 1552 mortuus est[1].

Paulo post resignationem Matthaei minister generalis a Clemente VII edictum impetrávit, quod interdictum iam dudum vigens, quo fratres arbitrarie ordinem relinquere prohibebantur, denuo inculcavit vetuitque, ne novae sectae inchoarentur[2]. Deinde anno 1530 strictum Pontificis mandatum ad Ludovicum eiusque asseclas exiit, quo eorum ratio agendi acriter vituperata est et fratres admoniti sunt, ut ad ordinem atque oboedientiam superiorum redirent[3]. Quot huic mandato paruerint, non liquet, certum tamen est Ludovicum non fuisse paratum oboedire. Igitur iterum Catharinae ducissae et alterius feminae potentis, videlicet Victoriae Columnae auxilium sibi comparavit, quo accidit, ut Papa ad oppositam sententiam perduceretur[4]. Hucusque fratres societatis se „Fratres Minores de vita eremitica“ appellaverant, subito autem nomen „Capuccinorum“, quod populus caputii pyramidalis gratia eis imposuerat, adhibuerunt, quod ab anno 1534 etiam in diplomata officialia transiit. Hoc enim anno litterae Pontificiae[5] Ludovico „Fratri Capucciato nuncupato et eius sociis“ transmissae sunt, in quibus Capuccini, aeque ac postea saepissime, prohibiti sunt Observantes recipere, et in quibus relatio novae societatis ad regulam his verbis describitur: „Vos praetendentes velle regulam B. Patris vestri Francisci ad unguem, *iuxta eius litteralem sensum et non declarationes super illam per Romanos Pontifices editas observare.*“

Interea Ludovicus in dies maiorem sibi comparavit influxum, immo anno 1535 breve sibi comparavit, quo licentiam accepit recipiendi Observantes illarum provinciarum, in quibus domus recollectionis nondum exsisterent[6]. Sed arbitrio Ludovici factum est, ut etiam proprii subditi ei obsisterent eumque cogerent anno 1535 capitulum generale celebrare. Cumque ibi contra eius exspectationem *Bernardinus Astesanus* vicarius generalis eligeretur, ira incitatus speciem simulationis dimisit coram patribus congregatis in verissima haec prorumpens verba: „Ego sum Ludovicus a Forosempronio; multa ego molitus sum, plura moliri scio.“[7] Revera nunc contra Capuccinos ita se gessit, ut antea contra Observantes: videlicet ab ipsis

[1] W XVI 424. [2] W XVI 279. [3] Ibid. 291 [4] *Boverius* I 194.
[5] BC I 11. [6] BC I 15. [7] *Boverius* I 203.

secedens multos fratres et quendam Cardinalem ad suas pertraxit partes et instante hoc Cardinali Papa ad annum sequentem novum indixit capitulum generale. Bene accidit novellae societati, ut ibi adversarii Ludovici praevalentes Bernardinum denuo eligerent et Ludovicum a congregatione eicerent. Hoc facto Vincentio Lunello, ministro generali, tempus acceptabile unionis fratrum separatorum adesse visum est. Ast, quamquam ipse Capuccinis, quidquid potuit, concessit, et multi fratres parati erant pacem facere, tamen Bernardinus Astesanus, vicarius generalis, adiuvante Antonio Sanseverino Cardinali unionem ad irritum redigere novit [1]. Ambo hi viri etiam anno 1562 unionem disiecerunt, cum post apostasiam *Bernardini Ochini Senensis* [2], vicarii generalis, tota societas in summo versaretur periculo. Ultimus unionis conatus, quem minister generalis anno 1562 suscepit, iterum culpa vicarii generalis ad irritum cecidit. Hac occasione iterum apparuit, quod in decursu totius historiae ordinis invenimus, videlicet schismata neque produci neque ali a singulis fratribus, qui casu ad separatos accesserunt, sed a capitibus, qui primas agunt partes, quique merito timent, ne unione peracta principatum suum amittant. Plenarie vero causas separationis saeculo XVI factae cognoscemus, cum primum monographiae Matthaei a Bassis, Ludovici a Forosempronio et Bernardini Astesani critice conscriptae erunt. Bernardinus Ochino his viris comparatus pro interna societatis evolutione parvi est momenti, sed eius apostasia triste est embolium, quod ubique accidere potest. Ut in numero ducum, ita etiam in numero fratrum subditorum durantibus primis decenniis non paucae inveniebantur personae ambigui ingenii, quod non solum ex crebro discessu ex congregatione, qui saepius interdici debuit [3], sed etiam ex consiliis patet, quae vicarius generalis anno 1543 contra fratres haereticos capere debuit, et ex verbis Bernardini Astesani, quibus anno 1548 differentiam inter Capuccinos bonos et malos descripsit et de abusibus paupertatem violantibus conquestus est [4].

Aderantne causae admittendi schismatis Capuccinorum? Quoad decursum totius historiae ordinis temporum posteriorum haec quaestio maximi est momenti. Ut disceptatio obiectiva possibilis reddatur, quaestio *iuris* omittenda est; non enim agitur, num haec

---

[1] BC I 17. *Boverius* I 216.

[2] Histor.-polit. Bl. XCIV (1884) 157 237. *K. Benrath*, Bernardino Ochino von Siena [2], Braunschweig 1892.

[3] BC I 32 79 139. [4] *Boverius* I 337 397.

separatio legitime sit perfecta, multoque minus, num ordo Capuccinorum nostris temporibus iure exsistentiam retineat propriam, sed agitur de *quaestione historica,* num conditio interna Observantiae saeculo XVI ineunte eiusmodi fuerit, ut schisma, quod Ludovicus a Forosempronio eiusque asseclae perfecerunt, *obiective* possit defendi. Credimus etiam historiae peritum ordinis Capuccinorum hanc quaestionem discutere, immo negare posse, quin amorem violet, quo versus congregationem suam affectus est, vel gaudium diminuat, quod de bono ab eadem perpetrato concepit. Quicumque mente non praeoccupata ea considerabit, quae de Observantia saeculi XVI ineuntis traduntur, minime affirmare poterit ordinem demutari coepisse, multoque minus schisma fuisse necessario adducendum pro illis fratribus, qui regulam strictius ac maior pars fratrum observare studebant. Abusus sane aderant, attamen ordo Capuccinorum quoque iam durantibus primis decenniis exsistentiae suae conqueri debebat abusus inter fratres suos inveniri, quod saeculis posterioribus idemtidem acerbioribus verbis repetiit. Numquid Capuccini moderni probarent, si quidam fratres sui ordinis novam congregationem cum novis vestibus fundarent et ordinem, qui eos aluit, eisdem opprobriis afficerent ac illi, qui saeculo XVI schisma adduxerunt? Et tamen Observantia saeculi XVI ineuntis quoad regulae observationem et disciplinam communem ordini Capuccinorum, quemadmodum durante tempore se evolvit, minime inferior censenda est.

Haec evolutio, quae inevitabilis erat, circa medium saeculi XVI apparere coepit, cum, immoderantiis periodi initialis superatis, congregatio novo sanoque informaretur spiritu, qui pristinas ideas Spiritualisticas abstulit et Capuccinos magis magisque ad principia Observantiae reduxit. Statuta anni 1535 et 1552 quidem adhuc postulant, ut regula sine declarationibus Pontificiis observetur, sed iam 1608 decretalis „Exivi" et paulo post etiam decretalis „Exiit" admittitur [1]. Cumque anno 1619 ordo a Conventualibus independens fieret, *constitutiones,* quae annis praecedentibus iuxta mutatas circumstantias modificatae et auctae fuerant, ab Urbano VIII anno 1638 confirmandas curavit [2]. *Constitutiones, quae anno 1643 in novam formam redactae sunt,* usque ad hodiernum diem valent [3], etsi multae ordinationes earundem exigentiis novis concessae sunt. Constitutiones

---

[1] OD 18 48. BC I 57. *Boverius* I 465.

[2] Anal. Cap. VI 68 136 167 204.

[3] Capitulum generale anni 1896 decrevit, ut ipsae iuxta exigentias temporum corrigerentur, quod opus quasi perfectum est. Cf. Anal. Cap. XII 183; XXIV 167

Urbanae, quae vivacem Franciscanum redolent spiritum, declarationes regulae a Nicolao III et Clemente V editas simul cum testamento S. Francisci recipiunt, syndicum vero Martinianum (§ 61) agnoscere recusant. Postea quoque Capuccini valde dubitaverunt, num syndicus stabilis recipiendus et quibus facultatibus ipse instruendus sit[1]; sed circa medium saeculi XVIII hinc inde praxis Observantium recepta est, quod paulo post non obstante contrario decreto capituli anno 1775 edito omnes provinciae imitatae sunt[2]; immo tempore sequenti Capuccini limites, intra quas Observantes se continent, longe excesserunt[3]. Ordinatio, qua constitutum erat, ut singulis diebus in singulis conventibus una tantummodo missa legeretur, et interdictum receptionis stipendiorum missae iam a constitutionibus Urbanis omissa sunt, sed interdictum audiendarum confessionum saecularium adhuc retentum est. Attamen hoc quoque mox a maiori parte provinciarum neglectum est, quamquam aliquot provinciae illud adhuc medio saeculo XVIII retinerent[4]. Ita factum est, ut decurrente tempore omnes graviores differentiae inter Capuccinos et Observantes disparerent, totaque discrepantia, quae hodie inter ambos ordines intercedit, in vestibus et usibus vitae particularibus consistat.

Sed hanc rerum evolutionem Capuccinis crimini non damus, econtra magni successus, quibus ubique gavisi sunt, ab ipsa dependent. Capuccini magis quam ceterae congregationes reformatae ingenium acre in percipiendis eis, quae conditiones temporum exigebant, et facilitatem in accommodatione ad eadem ostenderunt, qua in re magna eorum popularitas non postremo fundata est. Hi enim non putaverunt leges sibi ipsis esse finem, quapropter easdem prudenter circumveniebant vel omnino auferebant, si obeundis muneribus impedimento erant. Ita factum est, ut Capuccini ceteras congregationes reformatas agilitate et successibus longe superarent exceptis missionibus externis et scientiis, in quibus Observantibus inferiores manserunt.

Praeter hanc evolutionem, quae mitiorem regulae observantiam spectabat, durante saeculo XVIII periculosa *relaxatio disciplinae* apparuit, quod ex multis decretis capitulorum generalium patet. Igitur

---

[1] OD 48 76 108 190 200.

[2] OD 229 252 275 294. Anal. Cap. VIII 272. BC IX 367.

[3] BC X 613 650 662. Anal. Cap. I 134.

[4] BC I 138. OD 208. Anal. Cap. XIX—XX passim.

anno 1732 aliquot fratres Luxemburgenses a curia Romana id impetrare studuerunt, ut a ceteris fratribus in propria domo segregati secundum praecepta ordinis vivere possent[1]. Haec studia separationis in Hispania magis se manifestarunt, ubi circa annum 1770 „aliqui religiosi ad puriorem nostrae seraphicae regulae, ordinis constitutionum ac generalium ordinationum observantiam spiritus fervore anhelantes" Pontificem adierunt, qui eis ius fundandi severas domus recollectionis concessit[2]. Anno 1806 Michael Angelus pulchram encyclicam ad suos subditos direxit, in qua libere confitetur: „Peccavimus et merito haec patimur."[3] Ordinem rebellione Gallica eiusque consequentiis multa esse passum patet[4], attamen vigorem internum minime amisit et ex medio saeculo XIX bonum sumpsit incrementum. Gloriari quoque potest se schisma separatione Hispanorum versus finem saeculi XVIII ortum penitus superasse, quod ordini Fratrum Minorum nondum contigit. Anno 1884 *Ioachim a Llevaneras*, commissarius Capuccinorum Hispanorum, consilio cum suis subditis inito coram ministro generali sincerum revelavit desiderium plenariae subiectionis[5]. Papa et ordo gaudentes huic voto annuerunt, quod nobile est testimonium spiritus Franciscani, qui in Capuccinis Hispanis viget.

§ 117. Evolutio provinciarum[6]. Statistica.

Ordo Capuccinorum imprimis per totam Italiam, deinde ab anno 1574, cum decretum Pauli III, quo Capuccini extra Italiam residentias fundare prohibebantur, abolitum esset, etiam per maiorem partem Europae extraordinaria celeritate propagatus est[7]. Huius rei causa praecipue n magna popularitate fratrum inquirenda est et in eorum agilitate, quae nondum infinito decretorum numero vinciebatur, quaeque partim in ipsa constitutione ordinis fundata erat. Saeculo XVI enim tam receptio conventuum quam erectio provinciarum a superioribus ordinis exsequi consueverat. Proprie erat definitorii generalis ordinationes hac de re edere, quae semper erant observandae, nisi Sedes Apostolica aliter decerneret[8]. Demum a medio saeculo XVII erectio

---

[1] *V. Haute,* Misc. X 555. [2] BC IX 18 25 30; X 750.
[3] BC IX 303. [4] Cf. BC X 251 295. [5] Anal. Cap. I 111.
[6] Brevis historia omnium provinciarum, in qua omnes domus et tempus, quo fundatae sunt, designantur, invenitur in BC II—VII. Bibliographiam operum historicorum de singulis provinciis conscriptorum vide in Anal. Cap. XXI 211.
[7] BC I 22 30 35. [8] BC V 77. OD 93.

provinciarum beneplacito Apostolico obnoxia facta est[1]. *Praecedentia provinciarum* inter se, cui tamen nunquam magnum pondus allatum est, disposita est iuxta prioritatem fundationis, quae sane non semper accurate erat assignanda. Initio prioritas provinciae computata est a die, quo fratres primum regionem illam ingressi sunt, vel, si perbene accidit, erectio primi conventus momentum faciebat. Si provincia quaedam dividebatur, filia immediate post matrem praecedentiam accepit[2].

In *Italia*[3] durante saeculo XVI iam ultra 20 provinciae ortae sunt, quae nomine et situ magnam ad partem cum provinciis Observantium conveniebant. In *Italia media* provinciam *Umbriae* (S. Francisci), *Romanam*, *Marchiae* (Picenam) et *Tusciensem* (Hetruriae) invenimus, quarum termini usque ad nostra tempora vix sunt mutati. Sola regio Lucensis saeculo XIX a provincia Tusciensi separata est, primum tamquam custodia S. Seraphini, deinde ab anno 1884 tamquam *provincia Lucensis*[4].

In *Italia superiori* anno 1679 *prov. Lombardiae* (Parmensis) a prov. Bononiensi discessit et anno 1587 *prov. Brixiensis* a prov. Mediolanensi (prov. S. Caroli). A prov. Veneta anno 1734 *custodia Tridentina* separata est, quae postea anno 1749 cum domibus circa Mantuam sitis *prov. Mantuanam* constituit. Demum post rebellionem Gallicam prov. Tridentina sui iuris facta est, cum prov. Mantuana et Brixiensis non amplius reviviscerent. Pars prov. Genuensis (Ligusticae), quae inter septentrionem et occasum solis spectabat, anno 1618 in *prov. Pedemontanam* erecta est et anno 1730 ab eadem provincia conventus circa Montemferratum siti tamquam custodia sui iuris secesserunt, qui tamen iam anno 1750 cum domibus circa Alexandriam (Alessandria) et Novaram exsistentibus, quae hucusque ad prov. Mediolanensem pertinuerant, ad *prov. S. Iosephi a Leonissa* coadunati sunt. Quia vero in hac provincia pax continuo desiderabatur, anno 1786 ex custodia Novarae et aliquot conventibus Helvetiae meridionalis *prov. S. Laurentii a Brundusio* constituta est, quae tamen non diu stetit. Circa annum 1815 reliquiae custodiae Novarae prov. Pedemontanae adiunctae sunt et conventus exstructi in pago Helvetico, qui vocatur Ticinus, *provinciam* sui iuris sub titulo *S. Fidelis* constituerunt.

---

[1] BC I 99. [2] OD 160.

[3] BC II—III; X 725. Antiquissimae provinciae nominantur in Anal. Cap. XXI 337.

[4] Anal. Cap. I 75.

Maior erat numerus provinciarum *Italiae inferioris,* ubi etiam nomina earundem magis a nominibus provinciarum Observantium differunt. Prov. Terrae Laboris nomen *prov. Neapolitanae* accepit, prov. S. Bernardini appellata est *prov. Aprutina,* cum prov. S. Angeli, quae usque ad annum 1575 ad prov. Romanam pertinuerat, vetus nomen retineret. Huic versus meridiem *prov. Barensis* confinis est, a qua anno 1590 extrema paeninsulae pars, quae inter meridiem et orientem solem spectat, tamquam *prov. Hydruntina* (Otranto) separata est. Etiam provincia Basilicatae, quae postea *prov. Lucaniae* vocari consuevit, usque ad annum 1560 cum prov. Barensi coniuncta fuerat. Calabria initio unam continuit provinciam, usquedum anno 1584 in *prov. Cosentinam* et *prov. Rheginensem* divideretur.

In *Sicilia* iam anno 1574 tres exsistebant provinciae, *Panormitana* videlicet, *Messanensis* et *Syracusana,* a qua (Syracusana) anno 1740 domus in insula Malta exsistentes tamquam custodia et ex anno 1840 tamquam *prov. Melitensis* separatae sunt. Provincia Sardiniae anno 1695 in partem septentrionalem et meridionalem divisa est; illa nomen *prov. Turritanae,* haec nomen *prov. Calaritanae* accepit. *Prov. Corsicae* a saeculo XVI non est divisa, quamquam aeque ac ceterae provinciae, quas descripsimus, rebellione Gallica et saecularisatione saeculi XIX varias subiit mutationes.

Prima ditio extra Italiam sita, quae Capuccinos recepit, erat *Gallia* [1], ubi versus finem saeculi XVI iam *prov. Parisiensis, Turonensis, Lugdunensis* (S. Bonaventurae), *Provinciae* (S. Ludovici), *Burgundiae* et *Tolosana* exsistebant; huius (Tolosanae) pars, quae inter septentrionem et occasum solis spectabat, anno 1640 in *prov. Aquitaniae* erecta est. Circa initium saeculi XVII *prov. Sabaudiae* accessit. Anno 1629 a provincia Parisiensi *prov. Normandiae* separata est et a provincia Turonensi *prov. Britanniae.* Eodem fere tempore ex domibus in Lotharingia sitis, quae hucusque ad diversas provincias pertinuerant, *prov. Lotharingiae* constituta est, a qua anno 1684 *prov. Campaniae* discessit, quae iam ab 1662 custodia sui iuris fuerat. Anno 1750 prov. S. Ludovici in *prov. Avenionensem* et *prov. Massiliensem* divisa est [2]. Ex causis politicis anno 1683 ex domibus antea Belgicis *prov. Insulensis* erecta est et anno 1728 *prov. Alsatiae,* cuius conventus praecipue ad provinciam Helveticam pertinuerant. Post rebellionem Gallicam [3] anno 1844 *prov. S. Ludovici* revixit,

---

[1] BC V 23; X 747. [2] BC VII 413; VIII 153.
[3] Anal. Cap. XVII—XX passim.

quae celeriter per totam Galliam propagata est, quare etiam *prov. Franciae* vocabatur. Anno 1870 ipsa in tres provincias divisa est: *Lugdunensem* videlicet, *Parisiensem* et *Tolosanam,* quae non obstante persecutione moderna exsistentiam suam prorogant aeque ac provincia Sabaudiae et Corsicae.

Paulo postquam ordo in Gallia pedem fixerat, etiam in *Germaniam* penetravit[1] idque in parte meridionali per Helvetiam et in parte septentrionali per Belgium. In Belgio mature provincia erat orta, quae anno 1615 in prov. *Flandro-Belgicam* et *Gallo-Belgicam* vel *Wallonicam* divisa est. Praeter conventus circa Insulam (Lille) sitos prov. Belgii etiam domus circa Leodium (Liège) exsistentes amisit, ex quibus anno 1704 *prov. Leodiensis* erecta est. Conventus in Hollandia aedificati vexationibus Iosephinismi anno 1782 adducti sunt, ut *custodiam SS. Trinitatis* constituerent, quam anno 1845 sub nomine *custodiae Hollando-Belgicae* invenimus, quaeque anno 1882 in *prov. Belgicam* et *prov. Hollandicam* divisa est. Fratres Belgae saeculo XVII ineunte *prov. Coloniensem* fundaverunt. Ab hac anno 1668 pars meridionalis tamquam *prov. Rhenana* discessit et anno 1770 *prov. Westphalica.* Haec et prov. Rhenana saeculo XIX in *prov. Rhenano-Westphalicam* unitae sunt, cum provincia mater durante rebellione Gallica dispareret.

In parte meridionali Germaniae Capuccini Itali adhuc saeculo XVI *prov. Helveticam, Tirolensem* et *Bohemicam* fundaverunt. Amplitudo earum necessitatem divisionis induxit. Igitur anno 1668 *prov. Austriae anterioris* (Vorderösterreich) ab Helvetia et *prov. Bavarica* a Tiroli discessit. A prov. Bavarica anno 1711 pars septentrionalis tamquam *prov. Franconica* separata est, quam anno 1771 mandante gubernio reliqui conventus extra limites ducatus siti secuti sunt. Ex his *custodia Immac. Conceptionis* originem duxit, quae anno 1789 in provinciam erecta est, cuiusque domus in Suevia, Palatinatu superiori et quibusdam liberis urbibus Imperialibus exsistebant. Conventus in dioecesi Salisburgensi siti anno 1782 etiam ex causis politicis tamquam *custodia Salisburgensis* a Tiroli divisi sunt. Post rebellionem Gallicam tres administrationes, quas modo nominavimus, et provincia Austriae anterioris non amplius revixerunt.

Mater ceterarum provinciarum in ditionibus Austriae exsistentium provincia Bohemica facta est, a qua anno 1673 prov. Viennensis discessit, quae *Austriaco-Hungarica* vocari consuevit, et septem decenniis

---

[1] BC IV 26; X 735.

ante *prov. Styriensis* separata erat, quae anno 1783 conventus Croaticos mandante Imperatore relinquere debuit, ex quibus anno 1847 *prov. Croatiae* erecta est. Anno 1783 domus in Moravia sitae tamquam *prov. Moraviae* a prov. Bohemiae secesserunt; sed anno 1847 ambae iterum sub nomine *prov. Bohemo-Moravae* coniunctae sunt. *Prov. Poloniae,* quae etiam a prov. Bohemiae originem duxit, versus finem saeculi XVII sui iuris facta, sed iam anno 1740 iterum cum provincia matre coniuncta est; demum anno 1754 iterum propriam constituit provinciam. Anno 1772, quo regnum Poloniae divisum est, conventus in Galicia Austriaca siti *prov. Gallicianam* formaverunt. Praeter hanc saeculo XIX etiam *prov. Russiaca* orta est.

In *Hispania* [1] ordo saeculo XVI ad finem properante aliquot residentias possidebat, quae fundamentum *prov. Cataloniae* factae sunt. Ab hac anno 1602 pars meridionalis discessit, quae anno 1613 *prov. Valentiae* constituit; anno 1607 ab eadem prov. Cataloniae pars occidentalis sub nomine *prov. Aragoniae* separata est. In mediterranea parte paeninsulae anno 1617 *prov. Castellae* orta est, cuius conventus contra meridiem siti *prov. Baeticae* (Andalusiae) constituerunt. Omnes hae provinciae versus finem saeculi XIX restitutae sunt [2]; sola *prov. Navarrae,* quae anno 1679 ab Aragonia divisa erat, iterum cum provincia matre coniuncta est sub titulo *prov. Navarro-Aragoniae.*

Series provinciarum Europaearum in duabus provinciis *Britanniae maioris* [3] terminatur, videlicet in *prov. Hiberniae,* quae anno 1733, et *prov. Angliae,* quae anno 1873 orta est. Hic demum commemoranda sunt collegia studiorum in regione Smyrnae erecta, quae tamquam *Institutum Orientis* [4] a proprio reguntur commissario, quaeque educandis missionariis Orientis Europaei et Asiatici destinantur.

Extra Europam demum saeculo XIX provinciae Capuccinorum ortae sunt. In *Statibus foederatis Americae septentrionalis* [5] anno 1882 *prov. Calvariae* ex domibus in statibus Milwaukee et New York sitis erecta est et *prov. Pennsylvaniae* [6], quam fratres Bavari in statibus Pennsylvania et Maryland fundaverunt. Paulo post residentiae in Ecuador aedificatae *prov. Aequatorianam* constituerunt.

---

[1] BC V 306; X 750.
[2] Anal. Cap. VI 11; XIV 360; XVI 170.
[3] BC X 751.
[4] PP. Capuccinorum Instituti Apostolici Orientis annus XXV, Oeniponte 1908.
[5] BC X 752.
[6] *A. Eberl,* Geschichte d. bayr. Kapuziner-Ordensprovinz, Freiburg 1902, 629.

Provinciae	1650		1712		1847		1908	
	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
1. S. Angeli	28	306	28	299	24	261	11	149
2. Aprutina	29	370	35	302	32	435	13	133
3. Barensis	29	333	29	351	26	300	7	60
4. Bononiensis . . .	48	711	25	395	17	347	19	277
Brixiensis . . .	33	510	33	608	—	—	—	—
5. Calaritana . . .	—	—	10	190	9	122	4	30
6. Cosentina	37	400	36	407	22	236	6	26
7. Genuensis . . .	47	658	37	588	34	518	32	267
8. Hydruntina . . .	32	427	32	464	30	534	8	44
9. S. Iosephi . . .	—	—	—	—	12	165	10	91
10. Lucaniae (Basilicatae) .	42	452	41	413	36	382	9	86
11. Lucensis	—	—	—	—	4	93	6	74
12. Mediolanensis (S.Caroli)	44	693	53	966	8	102	14	303
13. Messanensis (Mamertina) . . .	34	496	37	531	43	634	23	270
14. Neapolitana . . .	38	552	37	656	31	350	13	130
15. Panormitana . . .	33	471	34	699	41	528	11	127
16. Parmensis (Lombardiae)	—	—	25	415	10	221	12	112
17. Pedemontana . . .	39	526	41	617	28	495	13	121
18. Picena (Marchiae) .	52	681	52	694	52	842	30	315
19. Rheginensis . . .	35	436	35	440	21	186	12	74
20. Romana	41	555	41	694	45	696	46	575
Sardiniae . . .	16	258	—	—	—	—	—	—
21. Syracusana . . .	31	429	36	435	44	406	19	212
22. Turritana	—	—	11	177	13	180	1	17
23. Tusciensis . . .	38	429	38	576	40	518	40	501
24. Umbriae (S. Francisci)	42	508	41	484	32	405	16	147
25. Veneta	43	697	45	809	12	288	11	222
Aragoniensis . .	24	417	19	410	—	—	—	—
26. Baeticae (Andalusiae) .	16	299	20	496	—	—	6	122
27. Castellae	12	306	16	501	—	—	13	218
28. Cathalauniae . . .	31	438	26	515	—	—	12	178
Navarrae . . .	—	—	8	211	—	—	—	—
29. Navarro-Aragoniensis .	—	—	—	—	—	—	13	340
30. Valentina	15	295	16	340	—	—	8	200
Aquitaniae . . .	26	418	36	500	—	—	—	—
Britanniae . . .	20	514	30	624	—	—	—	—
Burgundiae . . .	17	204	21	320	—	—	—	—
Campaniae . . .	—	—	15	280	—	—	—	—
31. Corsicae	14	202	18	260	—	—	2	26
Franciae . . .	—	—	—	—	5	58	—	—
Insulensis . . .	—	—	19	473	—	—	—	—
Lotharingiae . .	31	438	26	363	—	—	—	—
Transferendum	1017	14429	1102	17503	671	9302	440	5447

Provinciae	1650		1712		1847		1908	
	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres	Domus	Fratres
Transferendum	1017	14429	1102	17503	671	9302	440	5447
32. Lugdunensis . . .	42	845	53	1003	—	—	5	183
Normandiae . .	25	490	27	510	—	—	—	—
33. Parisiensis . . .	39	748	42	814	—	—	15	304
Provinciae (S. Ludovici) . . .	30	473	37	573	—	—	—	—
34. Sabaudiae . . .	20	271	21	300	6	91	9	148
35. Tolosana	24	422	37	536	—	—	18	245
Turonensis . . .	33	611	33	549	—	—	—	—
36. Belgica	—	—	—	—	—	—	13	323
Flandriae . . .	25	585	22	640	—	—	—	—
37. Hollandiae . . .	—	—	—	—	—	—	10	282
Hollando-Belgica .	—	—	—	—	2	45	—	—
Leodiensis . . .	—	—	9	285	—	—	—	—
Wallonica . . .	24	600	10	215	—	—	—	—
38. Anglica	—	—	—	—	—	—	8	97
39. Hiberniae	1	70	—	—	3	14	4	79
40. Melitensis	—	—	—	—	4	69	4	82
41. S. Fidelis	—	—	—	—	5	82	4	45
42. Helvetica	32	450	36	654	31	287	30	362
43. Bavarica	—	—	20	634	15	141	25	522
Coloniensis . . .	27	434	26	574	—	—	—	—
Franconica . . .	—	—	14	212	—	—	—	—
Rhenana . . .	—	—	24	393	—	—	—	—
44. Rhenano-Westphalica .	—	—	—	—	—	—	15	287
Austriae anterioris .	—	—	30	494	—	—	—	—
45. Austriaco - Hungarica (Viennensis) .	—	—	24	590	16	210	13	178
Bohemica . . .	27	436	29	570	—	—	—	—
46. Bohemo-Morava . .	—	—	—	—	21	245	21	130
47. Croatiae	—	—	—	—	3	30	3	42
48. Styriensis	21	300	31	600	13	74	15	153
49. Tirolis septentr. . .	32	554	21	410	25	318	28	441
50. Tridentina . . .	—	—	—	—	6	101	11	212
51. Galiciana	—	—	—	—	6	37	7	67
52. Poloniensis . . .	—	—	2	35	6	106	2	14
53. Russiaca	—	—	—	—	—	—	—	16
54. Institutum Orientis .	—	—	—	—	—	—	2	125
55. Aequatoriana . . .	—	—	—	—	—	—	7	37
56. Calvariensis . . .	—	—	—	—	—	—	11	134
57. Pennsylvaniae . . .	—	—	—	—	—	—	10	128
Summa	1419 [1]	21718 [1]	1650	28094	833	11152	730	10083

[1] Secundum Anal. Cap. VI 266 numerus domorum erat 1428, fratrum 21840.

Tabella praecedens[1] provincias, quatenus fieri potest, iuxta modernum situm politico-geographicum recensere conatur ita, ut primum exhibeatur Italia, deinde Europa occidentalis, media, orientalis. In unoquoque provinciarum circulo series alphabetice disponitur. Provinciae numeris designatae adhuc exsistunt.

Ex *summis statisticis* hodie notis sequentes adducemus: Anno 1587 ordo Capuccinorum 5953 membra numerabat, deinde anno 1605 in 757 domibus 9525 fratres, denique anno 1625 iam 16 966 religiosos in 1192 conventibus[2]. Culmen evolutionis suae ordo Capuccinorum anno 1754 attigisse videtur, cum in 63 provinciis et 1715 residentiis 32 821 fratres degerent[3]. Hic numerus continuo diminutus est, usquedum sequelis rebellionis Gallicae et saecularisationis saeculi XIX anno 1889 ad 7582 perveniret[4]. Sed iam die 1 Ianuarii anni 1908 iterum ultra 10 000 fratres numerabantur, in quibus 5074 erant sacerdotes.

§ 118. Constitutio Capuccinorum.

Caput ordinis Capuccinorum, quod initio a magistro generali Conventualium confirmandum erat, *vicarius generalis* appellabatur, usquedum anno 1619, quo omnino independens factus est, nomen *ministri generalis* acciperet[5]. Eius *officium* primum per tres annos *durabat*, deinde ab anno 1608 per quinque annos, ab anno 1618 per sex, ab anno 1667 per septem et ab anno 1859 per duodecim, denique anno 1908 iterum ad sexennium reductum est[6]. In ordine studium se manifestavit iura ministri generalis, quatenus fieri potuit, restringendi, praecipue eadem consensui definitorii generalis, immo ad tempus etiam consensui capituli provincialis obnoxia reddendi[7]. Sed minister generalis has restrictiones ad irritum redegit facultatibus a Pontifice impetratis, quibus ei ex anno 1633 continuo licuit,

---

[1] *Prima* columna desumpta est ex: Chorographica descriptio provinciarum et conventuum Fr. Min. Capuc., Augustae Taur. 1649, ubi singulae provinciae in chartis geographice delineatae sunt. Ultima pagina statisticam anni 1650 exhibet, cuius numeri respectu quarundam provinciarum miro modo a censu in paginis praecedentibus descripto differunt. *Altera* columna ex altera editione eiusdem operis deprompta est, Mediolani 1712. *Tertia* columna continetur in Statistica dell' ordine dei Capuccini nel Capit. generale celebrato in Roma 1847, et *quarta* in Anal. Cap. XXIV (1908) 104.

[2] Anal. Cap. V 107 224; VI 67. [3] Ibid. VIII 219. [4] Ibid. VI 123.

[5] BC I 17 62.

[6] OD 39 51 308. BC I 112; X 373. Anal. Cap. XXIV 171.

[7] BC I 64; VIII 244.

guardianos vel aliquot definitores, immo et ministros singularum provinciarum, si opus esset, propria auctoritate instituere [1]. In *honoribus,* qui ei iure competunt, ex anno 1637 titulus „Admodum Reverendi“ invenitur, qui anno 1702 in titulum „Reverendissimi“ mutatus est; deinde ex anno 1633 etiam praecedentia prae ceteris, dum est in officio, atque praecedentia immediate post definitores generales actuales, si officio functus est [2]. Hunc locum retinuit non obstante contradictione quorundam fratrum, qui in capitulo anni 1667 efficere studuerunt, ut ex-ministris generalibus et provincialibus ultimus locus inter sacerdotes assignaretur [3].

Ministro generali defuncto dignior definitor generalis tamquam *vicarius generalis* [4] gubernacula ordinis suscipit, cum procuratoris generalis sit quamprimum capitulum generale cogere. Exceptio erat, si Papa ipse vicarium generalem nominabat, quo in casu ipse tempus ministri decedentis perficere debebat [5]. Significationem strictiorem accepit notio vicarii generalis, cum Hispani a reliqua parte ordinis versus finem saeculi XVIII discederent; tunc enim alternis vicibus pars ordinis Hispana et non-Hispana ministrum generalem accepit vel vicarium generalem, cuius vices *provicario generali* committebantur [6].

Stabile consilium ministri generalis erat *definitorium generale,* quod initio e quattuor et ab anno 1541 e sex membris constabat, quorum officium sequenti capitulo generali exspirabat, ita tamen, ut media pars eorum denuo eligi posset [7]. *Iura* definitorii generalis Capuccinorum facultates definitorii Minoritarum et Conventualium longe superant, quia minister generalis in omnibus rebus alicuius momenti non solum consilio, sed etiam consensu eorundem indiget. Omnes causae, quae ab ordine ad congregationes diriguntur, imprimis definitoribus proponendae sunt, quorum saltem tempore anteacto etiam erat ordini leges imponere et decreta capitulorum generalium confirmare [8]. Ex his iuribus definitorum generalium sponte officium Romae apud ministrum generalem residendi ortum est, quod si quis facere noluit vel non potuit, alius eiusdem nationis a definitorio eligendus erat [9]. Momentum definitorum generalium etiam eo manifestatur, quod aeque ac minister generalis titulo „Reverendissimorum“ honorati sunt, immo simul cum ministro generali *superiores*

---

[1] BC I 89 92 178; VIII 235. [2] OD 58 82.
[3] BC I 112. [4] Ibid. 90. [5] Ibid. 157.
[6] BC IX 366. OD 322. [7] OD 11 14. Constitutiones 83.
[8] BC I 112 122 191. OD 7 336. [9] BC I 191.

generales appellantur. Praeterea ius suffragii in capitulis generalibus acceperunt et officio functi aeque ac ex-minister generalis magnis privilegiis practicis[1] gavisi sunt, in quibus erat ius comparendi ad capitula provinciae propriae.

Eadem iura competunt *procuratori generali*[2], cuius officium initio guardiano conventus Romani demandari consueverat, sed ab anno 1558 proprio committebatur fratri, quem in principio vicarius generalis, ab anno 1567 definitorium generale et ab anno 1629 universum capitulum generale instituebat[3]. *Duratio muneris* eius eisdem mutationibus erat obnoxia ac duratio muneris ministri generalis. Ipse per se non est membrum definitorii, nisi, priusquam ad officium procuratoris assumatur, iam in numero definitorum fuerit, quod sane quasi semper accidit. Praeter facultatem, qua procurator ministro generali defuncto capitulum generale convocare poterat, ab ineunte saeculo XVII aliud ius magni momenti accepit: fungitur enim munere *commissarii generalis* provinciarum Italarum, cum minister generalis extra Italiam moratur. Prius etiam commissarius provinciarum ultramontanarum fuerat, quamdiu minister generalis in his regionibus non inveniebatur[4]. In utroque casu ipsi minister generalis totam plenitudinem potestatis suae demandare debebat, quamquam adhuc constitutiones anni 1643 contrarium decreverant. Versus finem saeculi XVI procurator aeque ac minister generalis tres *secretarios* adiutores accepit, quibus decurrente tempore aliquot privilegia adiudicata sunt[5].

Capitulum generale ordinis initio quarto quoque anno cogi consueverat, deinde sexto, septimo, octavo, decimo tertio quoque anno celebratur, denique ordinatum est, ut septimo quoque anno convocaretur. Attamen terminus hic legitimus initio non servabatur, si minister generalis ante tempus e vita discesserat, quo in casu quam primum capitulum generale erat celebrandum. Facultates capituli in summa cum facultatibus capitulorum generalium ceterarum congregationum ordinis conveniunt, excepto quod definitorium generale, cuius etiam erat extra tempus capituli leges universales ferre, saepius suprematum suum obtinuit probando et confirmando decreta capituli[6]. In *ratione negotiorum gerendorum* capitulum generale Capuccinorum a capitulis aliarum congregationum praecipue eo differt,

[1] OD 82 233.
[2] Catalogum eorum vide Anal. Cap. XII 150.
[3] OD 12 23. BC I 80. [4] BC I 191; VIII 244. [5] OD 34 178.
[6] OD 7 336.

quod superiores maiores non primi eliguntur, sed sex definitores generales, quorum manibus minister generalis resignans sigillum ordinis tradere debet, quo facto minister et procurator generalis eliguntur[1]. Analogo modo electiones in capitulis provincialibus celebrantur. Si minister generalis e gremio definitorum desumitur, quod fieri consuevit, sextus definitor eligendus est, cuius locum procurator generalis obtinet, nisi iam antea in definitorium receptus sit. Praeter electiones munus capituli generalis erat novas constitutiones condere et consultationibus respondere, quam ob causam commissiones „ex gravioribus Patribus nec non theologis ordinis" formabantur[2]. Num hi fratres exclusive e numero membrorum capituli iure suffragii gaudentium desumendi sint, non patet ex constitutionibus. Multae consultationes et desideria cuiusque generis ad capitulum generale directa sunt, quia capitulis provincialibus non licuit eadem decidere, immo neque statuta propria provinciae condere[3]. Hoc supposito unitas quidem legislationis et usuum vitae servari potuit, sed simul capitulo generali labor ingratus obtigit.

Membra capituli generalis initio soli ministri provinciales et custodes erant, paulo tamen post definitores generales eis adiuncti sunt. Ius suffragii custodum decurrente tempore plurimas mutationes subiit, quae in peculiari conditione horum officialium fundata erat. *Custodes ordinis Capuccinorum* neque custodes in sensu regulae sunt, neque custodibus Conventualium aut Observantium comparari possunt. Capuccini absque dubio tenorem regulae servare volebant, quin eis placeret custodibus illam concedere independentiam, quae eis ab initio ordinis competebat. Divisio provinciarum in custodias saepe quidem commemoratur, attamen semper idealis permansit; custodibus enim nunquam vera conceduntur iura in conventus suae custodiae, ne praecedentia prae guardianis quidem gaudent, immo in conventum extra terminos suae custodiae situm transferri possunt[4]. His non obstantibus fictio diu retenta est. Initio divisione provinciarum in custodias id efficere studuerunt, ut quam plurimi vocales ad capitulum generale comparere possent, postea custodiae retentae sunt, ut diversae „nationes" aequo modo regiminis provinciarum participes essent[5]. Sensim sine sensu custodes provinciarum in duas discesserunt classes, illos, qui ad capitulum gene-

---

[1] OD 52. Constitutiones 83. [2] OD 103 114.
[3] Constitutiones 117. [4] OD 85 154 254.
[5] BC VIII 235; IX 97 116.

rale comparere poterant, quique *custodes generales* appellabantur, et illos, qui hoc iure non gaudebant, quique simpliciter custodes vel *custodes provinciales* audiebant. Secundum statuta anni 1549 adhuc omnes custodes singularum provinciarum, quae non ultra quinque custodias amplectebantur, ad capitulum generale convenire debebant praeter custodem custodum, qui syndicationes ministri provincialis proferret [1]. Demum anno 1643 Urbanus VIII declaravit, nullam provinciam ultra duos custodes ad capitulum generale mittere posse exceptis decem privilegiatis provinciis Italis, quibus maiorem numerum *(custodes supernumerarii)* delegare liceret, ne numerus vocalium Italorum a numero vocalium ultramontanorum nimis differret. Sed hoc privilegium mox abolitum est [2]. Ab anno 1643 maior pars provinciarum duos tantum custodes eligebat, idque per definitorium provinciale, nisi anno sequenti capitulum generale erat celebrandum, quo in casu a capitulo provinciali eligebantur [3]. In causa necessitatis autem, si capitulum inopinato erat congregandum, definitorium provinciale custodes generales vel eorum vicarios, qui *vicecustodes* appellabantur, eligere et ad capitulum generale mittere poterat [4]. Ut hae exceptiones supervacaneae redderentur, anno 1847 decretum est, ut in singulis capitulis provincialibus duo custodes generales eligerentur, quorum officium usque ad proximum capitulum provinciale duraret. Hi in capitulo provinciali ab anno 1747 iure suffragii gaudebant [5], quin tamen in definitorium provinciale reciperentur. Ab anno 1908 uni solummodo custodi generali ad capitulum generale comparere licet. Iam paulo ante custodes provinciales et divisio provinciarum in custodias paene ubique sublata sunt [6].

Praeter haec duo genera custodum inveniuntur et alii, qui custodibus regiminis Fratrum Minorum comparantur; sunt quippe veri praesides minorum administrationum, quae nondum ad dignitatem provinciae pervenerunt. Hi in ordine Capuccinorum modo custodes provinciales, modo *ministri custodes* (custodiales) vocantur, interdum quoque via privilegiorum nomen ministri provincialis impetrarunt [7]. Loco definitorum duos consultores vel *assistentes custodiarum* accipiunt et officio functi ex-ministris provincialibus annumerantur. A saeculo XIX ad capitula generalia admittuntur [8].

---

[1] OD 17. *Boverius* I 411. [2] BC I 100. OD 141 164.
[3] Constitutiones 81. [4] BC X 149. OD 61 85. [5] OD 228 240 340.
[6] Anal. Cap. I 119; II 144; VI 299; XXIV 171.
[7] BC IX 314; X 198 214 393 521. OD 175.
[8] BC IX 353; X 149. OD 175 260.

Superiores provinciarum initio *vicarii provinciales* vocabantur, postquam vero a Conventualibus independentes facti sunt, nomen *ministrorum provincialium* acceperunt. Simul durationi muneris eorum triennium assignatum est, cum usque ad hoc temporis momentum singulis annis confirmandi fuissent [1]. Unusquisque minister provincialis *secretarium provincialem* adiutorem accepit, qui iuxta usus provinciae praecedentiam habebat, sed gradu iuridico carebat [2], quapropter ministro defuncto gubernium provinciae suscipere non potest, ut apud Conventuales accidit, sed primus definitor in *vicarium provincialem* assumitur [3]. Facultates ministri provincialis aeque ac iura ministri generalis valde restringuntur a definitorio, absque cuius consensu etiam extra tempus capituli fratres non de uno conventu ad alium transferat [4]. Membra *definitorii provincialis* praeter ministrum illi quattuor fratres habentur, qui in capitulo provinciali electi sunt; privilegiati omnes excluduntur. Sola membra capituli in definitorium referri possunt, ita tamen, ut mediam partem definitorum veterum denuo eligere liceat [5]. Munus definitorum antea initio novi capituli exspirabat, sed ab anno 1818 etiam in hoc pleno iure suffragii gaudent sicut ceteri vocales [6]. Ut definitoribus generalibus, ita etiam definitoribus provincialibus certa concedebantur privilegia praecipue ius eligendi sibi conventum domicilii [7].

Capitulum provinciale, quod antea quotannis celebrari consueverat, ex anno 1618 solummodo quarto quoque anno convocandum erat. Hoc tamen decretum ante annum 1667 non ubique exsecutioni mandatum est; eodem anno ordinatum est, ut definitorium singulis annis *congregationem intermediam* haberet [8]. Quia vero pro quibusdam provinciis non opportunum erat hoc institutum introducere, minister generalis anno 1676 facultatem accepit, qua disponere poterat, ut loco congregationis generalis decimo nono quoque mense capitulum provinciale celebraretur [9]. Sed anno 1747 decretum anni 1667 pro omnibus provinciis renovatum est, ita tamen, ut provinciis liberum maneret tempore inter duo capitula intermedio semel vel bis congregationem convocare [10]. Prius praeter definitorium actuale soli guardiani et discreti conventuum *vocales capituli* erant. Ab anno 1770 etiam ex-ministri et ex-definitores generales admittebantur et ab

[1] *Boverius* I 123.
[2] OD 175.
[3] Constitutiones 87.
[4] OD 275.
[5] OD 116 127 154.
[6] BC IX 337.
[7] OD 127 161 283.
[8] BC I 112. OD 51 122.
[9] BC I 127.
[10] OD 223 236.

anno 1852 etiam ex-ministri provinciales, qui in multis provinciis iam dudum hoc privilegio gavisi erant[1]. Iam multo ante, versus finem saeculi XVII in illis provinciis, quae munus discretorum aboleverant, ius suffragii lectoribus concessum est, quod usque ad nostra tempora retinuerunt. Hinc inde etiam magistri novitiorum et secretarii provinciarum inter vocales relati sunt[2].

Sicut domus ceterarum congregationum ordinis, ita etiam conventus Capuccinorum a *guardianis* reguntur, qui iuxta constitutiones anni 1643 ad triennium eligendi sunt; sed pro alio conventu eorum munus ad aliud triennium prorogari potest[3]. Guardiani initio solummodo in capitulis provincialibus eligebantur, ab anno 1747 autem etiam in congregatione intermedia institui possunt[4]. Triennio muneris sui nondum finito eos tantum ex causa gravi et audita defensione deponere licet, sed ad guardianatum alterius conventus in casu necessitatis etiam extra tempus capituli transferri possunt[5]. Anno 1884 guardiano *duo discreti* consiliarii adiuncti sunt, quorum alter a definitorio alter a conventu ipso eligendus est[6].

Longe maioris momenti erat ius conventuum eligendi *discretos capituli provincialis*, ex quo tamen iam mature difficultates ortae sunt, quae innumeras decisiones reddebant necessarias. Igitur ordo imprimis ius suffragii laicorum restringere conatus est, at hi tam valide clamaverunt[7], ut Innocentius X eis anno 1647 iterum omnia iura pristina concederet, quo facto denuo cum clericis electionum participes esse poterant, dummodo per quattuor annos in ordine fuissent[8]. Quia vero mala his electionibus coniuncta continuo augebantur, discreti omnino sublati sunt anno 1694 pro Sardinia, anno 1747 pro Hispania, anno 1761 pro Gallia, anno 1801 pro Italia[9]. Tunc (anno 1801) ipsum definitorium generale abolitionem postulaverat dicens, „vix dici posse, quot confusiones, irritationes, vindictae privatae, simoniae occultae et alia gravissima mala in eiusmodi conventualibus electionibus occurrant“. His non obstantibus

---

[1] BC IX 15 217 337; X 270. [2] BC IX 277; X 303 386 447.

[3] Constitutiones 80. [4] OD 197 223.

[5] OD 130 236 306.

[6] Ordinationes et decisiones Capituli generalis LXV., auctoritate apostolica editae, Romae 1886, 19.

[7] *Paulin de Beauvais,* Défense de l'humilité séraphique ou Apologie pour le droit de voix active et passive qu'ont les Religieux Laïcs Capucins en toutes les élections de leur Ordre, Paris 1642.

[8] BC I 95 102. [9] BC VIII 319; IX 277 289.

iam anno 1803 in Italia iterum discreti eligebantur, usquedum anno 1863 ministro generali contingeret, ut a curia Pontificia decretum acciperet, quo discreti in toto ordine auferebantur, quorum loco lectores inter vocales relati sunt [1]. Sed iam paucis annis post in quibusdam provinciis iterum discretos invenimus, cum aliae provinciae hodiedum omnes lectores triennales ad capitulum admittant, idque in perpetuum, si per duodecim annos legerunt [2].

§ 119. Industria Capuccinorum.

Ordo Capuccinorum in *missionibus internis* miram benedictamque explicavit industriam [3]. Praeter ordinarium adiumentum, quod curatis animarum praestitit, optime meritus est missionibus popularibus, exercitiis spiritualibus, cura aegrotorum praecipue tempore pestis, introductione ac propagatione *adorationis quadraginta horarum* [4] et validis studiis reducendi haereticos tempore antireformationis. Multa municipia in terris Germanicis et Gallicis fidem catholicam conservatam vel recuperatam Capuccinis debent. Mirum igitur non est, si hic ordo praecipue durante saeculo XVII tanti est aestimatus, ut etiam multi nobiles Capuccinorum habitum sumerent [5]. Multi principes fratribus ad *missiones diplomaticas* usi sunt et saepe eorum zelo et prudentiae contigit, ut difficiles conditiones politicas ad bonum ducerent exitum. *S. Laurentius a Brundusio* [6] († 1619) tamquam legatus Pontificis et principum saecularium Italiam, Germaniam ac Hispaniam peragravit et victoriae de Turcis anno 1601 reportatae non modice particeps fuit. Non minoris momenti fuit *Marcus ab Aviano* [7] († 1699), consiliarius Leopoldi I, qui in bellis contra Turcas saeculo XVII ad finem properante susceptis saepe angelus salvator christianorum factus est. His annumerari potest *Iosephus Leclerc de Tremblay* [8] Parisiensis († 1638), qui vulgo Père Joseph appellabatur;

---

[1] BC X 447. [2] Anal. Cap. XVIII 145.

[3] Cf. *Heimbucher,* Geschichte der kathol. Orden II² 395.

[4] BC I 54 63 98 109 134 sq. Anal. Cap. XIII 178.

[5] *Heimbucher* II² 410.

[6] *Gerardo da Radkerspurgo,* Vita del B. Lorenzo da Br., Roma 1783. *N. Stock,* Leben und Wirken des hl. Laur. v. Br., Brixen 1882.

[7] EF X (1903) 136 403. *A. Eberl,* Geschichte der bayrischen Kapuzinerordensprovinz 219. *N. Stock,* P. Markus von Aviano, Brixen 1899.

[8] *G. Fagniez,* Le P. Joseph et Richelieu, Paris 1894. EF I (1889) 90 522; II—IX passim.

iudicium de valore interno operum eius iuxta iudicium de politica fautoris eius, Richelieu Cardinalis, mutatur.

Attamen longe maior numerus magnorum *praedicatorum popularium* tantummodo causam religionis agebat. E numero fratrum, qui vel extraordinaria fama concionum suarum gaudebant vel magnos successus habebant, adhuc commemoremus: *S. Iosephum a Leonissa* († 1612), *S. Fidelem a Sigmaringa*[1] († 1622), *B. Didacum a Cadiz*[2] († 1801), „Apostolum Hispaniae durante saeculo XVIII", *Matthiam Bellintani*[3] († 1611), *Michelangelum Venetianum* († 1612), *Procopium a Templin*[4] († 1680), *Bonaventuram Barberini* († 1743) et *Vincentium Thuille* († 1878), scriptorem homileticum. Magni oratores populares etiam duo Capuccini erant, qui saeculo XIX magno cum successu actioni sociali allaborabant, videlicet *Theobaldus Mathew*[5] († 1856), „Apostolus sobrietatis in Hibernia", et *Theodosius Florentini*[6] († 1865), „maximus philanthropus Helvetiae".

Postquam ordo eam partem constitutionum suarum, quae ei impedimento erant, reiecit, etiam *missionibus paganorum* incumbere potuit, quod ab ineunte saeculo XVII magno cum zelo et successu in diversis partibus terrae fecit. Utilissimum erat institutum, iuxta quod singulae missiones singulis provinciis committebantur et ministri provinciales simul praefecti missionum constituebantur, qui congregationi de Propaganda rationem reddere debebant[7], quapropter eorum intererat missionem suam florere. Cum versus finem saeculi XVII zelus missionum remitteret et in prima parte saeculi XIX iniuria temporum missiones ordinis grave paterentur damnum, plura collegia missionum fundata sunt, quae immediate congregationi de Propaganda suberant[8]. Simul ordinatum est, ut minister generalis singulis annis ministros provinciales et guardianos hortaretur, ut missionibus consulerent[9].

---

[1] Biographiae conscriptae a *Ferdinando della Scala*, Mainz 1897, et *Fidèle de la Motte-Servoleix*, Paris 1901.

[2] Biographiae conscriptae a *N. Stock*, Brixen 1894, et *Damase de Loisy*, Paris 1902.

[3] MF III (1888) 22 39 85.

[4] Histor.-polit. Bl. LXXIX (1877) 165 262.

[5] Anal. Cap. V—VI passim. EF IV (1900) 26 133. *J. F. Maguire*, Father Mathew, London 1863. *O. Kamshoff*, Ein Wohltäter der Menschheit, Warnsdorf 1904.

[6] EF XX (1908) 623. Histor.-polit. Bl. CIV (1889) 797; CXIII (1894) 185. *J. Oesch*, P. Theodosius Florentini, eine biogr. Studie, Ingenbohl 1897.

[7] BC IV 25. [8] BC X 56 100 631. Cf. IX 201.

[9] BC X 102.

Econtra officium *procuratoris missionum* ab ordine quasi independentis, quod anno 1858 introductum erat, malum se praebuit, quare *Bernardus Christen ab Andermatt,* minister generalis meritissimus, anno 1884 impetravit, ut auferretur. Hoc facto iuxta antiquam consuetudinem missiones iterum provinciis distributae sunt, supremum vero ius inspectionis ministro generali eiusque definitorio reservatur. Ad expedienda negotia ordinaria *secretarius missionum* instituitur, qui a congregatione de Propaganda confirmandus est. Plura continentur in egregio *statuto pro missionibus*[1], quod anno 1887 provisorie et anno 1893 definitive promulgatum est. Exinde missiones Capuccinorum indubium sumpserunt impetum[2]. Durantibus ultimis 20 annis numerus fratrum occupatorum in missionibus paganorum duplicatus est et anno 1907 circiter 700 fuerunt[3].

In *Europa*[4] sola paeninsula Balcani et insulae ditioni Turcarum subactae verae missiones permanserunt. Ibi Capuccini in vicariatu Apostolico *Philippopolitano* ex anno 1841 laborant, in insula *Creta* a medio saeculo XVII et in insulis Ionicis, praecipue in *Cephalonia,* ex anno 1793. Maximi momenti fuit missio *Constantinopolitana,* quam ordo ineunte saeculo XVII fundavit. Initio hic et in toto Oriente soli fratres Galli admittebantur, qui tamen anno 1795 fratribus Italis cedere debebant. Demum anno 1881 instante gubernio Galliae missio Constantinopolitana iterum provinciae Parisiensi demandata est, cum Itali ceteras missiones Orientis retinerent[5]. Institutum Orientis paulo post fundatum (§ 117) typum magis internationalem accepit.

Paulo postquam Capuccini Constantinopoli pedem fixerunt, etiam in *Asia*[6] missiones fundaverunt, idque primum *Smyrnae* et *Trapezi* in *Syria, Mesopotamia* et *Perside.* Ab anno 1707 usque ad annum 1741 in *Tibet*[7] laboraverunt, ubi praecipue *Horatius a Penna* propa-

---

[1] Anal. Cap. I 72; III 257 327; IX 291.

[2] *A. Steidl,* Die Missionen der Kapuziner in der Gegenwart, Meran 1890.

[3] Accurata statistica invenitur in Anal. Cap. XXIV 106. Ibi numerus universus 890 dicitur, sed simul computatis missionariis in Helvetia et fratribus in civitatibus catholicis Americae meridionalis laborantibus. Materia historiam missionum temporis praeteriti et praesentis spectans in omnibus voluminibus Anal. Cap. invenitur.

[4] BC VII 280. *Steidl* 12.

[5] BC IX 269.

[6] BC VII 236 250 297. *Steidl* 31. EF III (1900) 314.

[7] Missio apostolica Thibetano-Seraphica, das ist: Neue ... von denen PP. Capucinern aufgerichtete Mission ..., München 1740.

gatione librorum religiosorum in lingua vernacula conscriptorum optime meritus est. Ex Tibet expulsi iuxta limites consederunt et in *septentrionali parte Indiae anterioris* missiones suscipientes multas stationes in diversis dioecesibus aperuerunt, quas hodiedum occupant. Attamen missiones circa *Bombay* et *Madras*, quibus simul cum aliis missionariis incubuerant, saeculo XIX deficientibus operariis relinquere debuerunt. Novus est vicariatus Apostolicus *Arabiae* meridionalis, ad quem etiam septentrionalis pars litoris pertinet, quod a gente Somali incolitur. Novissimis temporibus Capuccini etiam in extremam Orientem fratres mittunt, videlicet in *meridionalem* partem insulae *Borneo* et in *insulas Carolinas* et *Marianas*[1].

In *Africa*[2] ordo missiones *Tuneti* ab anno 1624 usque ad finem saeculi XIX coluit, item litus occidentale usque ad *Kongo* et *Angola*[3] ab anno 1640 usque ad rebellionem Gallicam. In Africa orientali Capuccini in *Abessinia* loborabant, ubi *B. Agathangelus* Vindocinensis (Vendôme) et *B. Cassianus* Nanetanus (Nantes) anno 1638 martyrio coronati sunt. Usque ad nostra tempora missionem *insularum Seychelles* in oceano Indico retinuerunt, quam anno 1852 susceperunt; similiter missionem apud populum *Gallas* in meridionali parte Abessiniae, quam heroicus *Guilelmus Massaja*[4] († 1889 tamquam Cardinalis) anno 1845 fundavit. Accessit anno 1894 missio in colonia Itala, quae vocatur *Erythraea*.

In *America*[5] durante saeculo XVII in *Canada, Louisiana*, in *insulis Indiae occidentalis*, ad flumen *Orinoko*, in *Guayana* et *Brasilia* missionarios Capuccinorum invenimus. In Brasilia hodiedum laborant praecipue ad flumen Rio de Janeiro, circa Bahia et Pernambuco et in statu Maranhão, sed magis curae animarum catholicorum insudant, quam conversioni gentium adhuc ethnicarum. Magis haec valent de residentiis, quae durante saeculo XIX in *Montevideo, Venezuela* et *Ecuador* erectae sunt. Stationes vero, quae ab anno 1888 in *Columbia* et ab anno 1848 in *Chile* meridionali ortae sunt, praecipue missionibus paganorum incumbunt. Ibi in convertendis Indianis, qui

---

[1] *Heimbucher* II[2] 399 402.

[2] BC VII 189 219 229 333. *Steidl* 69. EF VIII (1902) 628.

[3] *Cavazzi da Montecucculo*, Istorica descrizione de' regni di Congo, Matamba e Angola e delle missioni apost. esercitatevi da religiosi Cappuccini, Bologna 1687.

[4] *Massaja*, I miei 35 anni di missione nell' alta Etiopia, Roma e Milano 1885. EF IV (1900) 178.

[5] BC VII 223 226 322 328. *Steidl* 87.

vocantur Araucanos, primum Capuccini Itali laboraverant, deinde ex anno 1889 Hispani, demum ab anno 1894 Bavari eis bono cum successu incumbunt.

In campo *scientiae* Capuccini durantibus primis saeculis ceteris congregationibus ordinis inferiores fuerunt; constitutionibus Alvacinis quippe anno 1529 fratres directo prohibiti sunt studia erigere. Sed iuxta decretum concilii Tridentini anno 1564 in omnibus provinciis scholas theologicas fundare debuerunt[1]. Quo magis industria ordinis in cathedra et confessionali crevit, eo magis necessarium esse apparuit studia ordinare, quod in constitutionibus anni 1643[2] primum methodice factum esse videtur. Haec statuta definierunt, ut scholae provinciales constituerentur, in quibus candidati per tres annos in philosophia et per quattuor annos in theologia erudirentur, ut praedicatores boni exsisterent. His non obstantibus scholae ordinis non sufficienter florescere potuerunt[3], immo quaedam provinciae progressum scientiae directo impedire conatae sunt, ne plures praedicatores acciperent. *Seraphinus a Capricolle* (Ziegenhals), minister generalis, his inimicis scientiarum in suis statutis studiorum[4], quae anno 1758 a Pontifice approbata sunt, exprobravit: „Sanctarum constitutionum nostrarum finis non est multiplicare ignorantes et otiosos ac simplices sacerdotes." Simul tristem studiorum conditionem in quibusdam provinciis vigentem describens praecipit, ut coram communitate congregata disputationes haberentur et lectores stricte probarentur, priusquam ad legendum admitterentur. Omisso defectu studiorum generalium, quae studia intensiora reddere potuerunt, haec erat ratio ultima conditionum superius descriptarum. Exinde vero lectores, priusquam instituerentur, coram definitorio provinciali et quibusdam lectoribus periculum subire debebant; nescimus autem, qualia studia examini praecesserint. Lectorum, quorum singulae provinciae ab anno 1847 saltem tres habere debebant[5], simul erat tamquam magistros educare discipulos. Privilegia, velut praecedentia et liberatio ab officio chori, lectoribus initio negabantur, sed ius participandi capitulis provincialibus, quod iam commemoravimus, acceperunt, et saeculo XIX etiam titulum *lectoris emeriti* antea reiectum invenimus, qui lectoribus duodennalibus simul cum aliquot privilegiis conceditur[6].

---

[1] OD 22. [2] Constitutiones 90 sq. Cf. OD 36 42 57.
[3] OD 145 196 213 220.
[4] BC VIII 269. [5] OD 355.
[6] Constitutiones 92. OD 296 355. BC VIII 185 275.

Scholam theologicam ordinis Capuccinorum exstitisse vix affirmari poterit, quamvis maior pars lectorum S. Bonaventuram secuta sit, et quidam etiam S. Thomam Aquinatem[1]. Ratio studiorum anni 1758 solummodo postulat, ut lectores philosophiae vestigiis S. Bonaventurae insistant; libris vero deficientibus eos doctrinam Scoti ab universo ordine receptam vel alterius auctoris similis proferre posse. Sed capitulum generale anni 1884 decrevit, ut philosophia et theologia iuxta doctrinam SS. Bonaventurae et Thomae legeretur[2]. Simul institit pristino studiorum curriculo, quod triennium philosophiae et quadriennium theologiae complectitur, et valde inculcavit cultum eloquentiae sacrae, cui iam dudum magnum pondus afferebatur. Temporibus novissimis aliquot provinciae, praesertim Helvetiae et Galliae ampliora studia saltem pro lectoribus introduxerunt, quae iam optimos produxerunt fructus. Anno 1908 etiam Romae *collegium internationale* fundatum et tamquam studium generale incremento scientiarum destinatum est[3].

In *fratribus doctis*[4] ordinis commemorandi sunt: *Carolus Iosephus Tricassinus* († 1681), „theologus magister ordinis", versatissimus in scriptis S. Augustini, *Thomas a Charmes* († 1765) et *Ieremias de' Benetti* († 1774), uterque theologus insignis. In exponendis sacris scripturis *Bernardinus a Picquigny*[5] († 1709) excelluit; egregii moralistae fuerunt *Iacobus a Corella* († 1699) et *Gabriel a Varceno* († 1893). *Ambrosius a Lombez* († 1778) bona opuscula ascetica conscripsit et *Martinus a Cochem*[6] († 1712) praedicationibus et scriptis suis popularibus ubique maximum bonum produxit. In scientiis naturalibus versatissimi erant *Franciscus M. Parisiensis*[7] († ca 1710), inventor photometri, et *Chrysologus de Gy*[8] († 1808), astronomus. In *historiam ordinis* temporibus anteactis *Zacharias Boverius* († 1638) maximum exercuit influxum

---

[1] *Prosper de Martigné,* La scolastique et les traditions franciscaines, Paris 1888, 25 442.

[2] Ordinationes et decisiones, ed. 1886, 12. Anal. Cap. III 102.

[3] Anal. Cap. XXIV 171 363.

[4] Bibliotheca Scriptorum Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum, conscripta a *Dionysio a Genua,* Genuae 1680, denuo edita et aucta a *Bernardo a Bononia,* Venetiis 1747, continuata a *Ioanne M. a Ratisbona,* Romae 1852. Cf. *Heimbucher* II[2] 404.

[5] De expositoribus sacrae Scripturae Parisiensibus vide EF VIII (1902) 449.

[6] EF III (1900) 448. *Maria Bernardina,* P. Martin v. Cochem, sein Leben, sein Wirken und seine Zeit, Mainz 1886.

[7] EF X (1903) 655.

[8] EF V (1901) 399.

conscribendo annales ordinis[1]. Quicumque eius volumina legerit, concedet iudicium „Boverium scribendae historiae omnino imparem fuisse“ non esse durius aequo[2]. Invidia sua relationes inter Observantes et Capuccinos valde turbavit et Capuccinis maximum attulit detrimentum, quia multas partes pulchras historiae eorum descriptione sua insipida pro lectoribus eruditis ingustabilem reddidit. Historiae periti posteriores cum maiori quiete et obiectivitate scripserunt; temporibus novissimis multi fratres docti historiae scribendae incumbunt.

---

[1] In libris contra eum scriptis praeter W XVI commemorentur *Iacobus de Riddere,* Speculum apologeticum fratrum Minorum, Romae 1651; *A. Lopez,* Manifiesto cronologico y satisfactorio, Madrid 1679.

[2] Cf. iudicium in Anal. Cap. XXI 57.

Liber II.

Secundus Ordo (Clarissae).

§ 120. Sancta Clara eiusque monasterium ad S. Damianum.

Evangelium imitationis Christi et paupertatis evangelicae, quod S. Franciscus in valle Spoletana praedicabat, etiam inter mulieres magnam excitaverat commotionem. Iacobus a Vitriaco[1] hac de re anno 1216 tamquam testis ocularis scribit: „Mulieres vero iuxta civitates in diversis hospiciis simul commorantes nihil accipiunt, sed de labore manuum vivunt. Valde autem dolent et turbantur, quia a clericis et laicis plus quam vellent, honorantur." Ex his patet has mulieres iam penitius sensum Sancti penetrasse. Nullibi tamen traditur Franciscum earum curam gessisse; etiam vitae eius scriptores *unam* solummodo fundationem S. Francisco assignant, residentiam ad S. Damianum, cui S. Clara praefuit. Ne dubia, quae initia ordinis Clarissarum involvunt, augeantur, imprimis graviora colligamus, quae circa S. Claram eiusque monasterium scripta sunt.

Clara[2] circa annum 1194 orta erat ex genere Sciffi, quod nobilissimis Assisii annumerabatur. Quae a Francisco viderat et audierat, in eius teneram animam talem fecerant impressionem, ut eo duce eandem viam sibi proponeret insistendam. Sponsione facta dominica Palmarum anni 1212 sero comitata fideli famula Portiunculam se contulit, ubi Franciscus eius capillos totondit eamque veste aspera induit, quae similis erat vestibus fratrum. Hoc facto eam statim in vicinum monasterium Benedictinarum S. Pauli prope Bastiam deduxit et inde paucis diebus post in monasterium eiusdem ordinis, quod vocatur S. Angeli in Panzo. Quidquid consanguinei Clarae

---

[1] *H. Böhmer,* Analekten zur Geschichte des hl. Franz, Tübingen 1904, 98.

[2] A. SS. Aug. II 739. *Ricard,* Sainte Claire d'Assise, édition illustrée, Lille-Paris 1895. *Chevalier*[2] 935.

susceperunt, ut eam a proposito suo deterrerent, ad irritum cecidit, immo eius exemplum tantum exercuit influxum in suam familiam, ut *Agnes*[1], eius soror, iam post 16 dies Claram sequeretur. Aliquanto post *Beatrix,* tertia soror, eis se adiunxit et post mortem patris etiam *Hortulana*[2], mater.

Igitur Franciscus Clarae eiusque paucis sociis domicilium proprium providere debuit, quo in negotio eum monachi montis Subasio iterum adiuverunt, concedentes ei monasterium et capellam ad S. Damianum extra moenia Assisii. Illuc Clara paucis hebdomadibus post vestitionem suam se contulit, mansitque per 41 annos in loco hoc amoeno, qui maxime omnium iucunditatem veris Seraphici ad nostra usque tempora servavit. Sorores ibi orantes et laborantes in summa paupertate et rigida poenitentia, in serena concordia et gaudio interno vitam degebant. S. Franciscus eis *formam vivendi* dedit, quae conformis indoli auctoris simpliciter et breviter praecipiebat, ut viverent iuxta sanctum evangelium[3]. Paulo tamen post ei difficile obtigit officium: ipse enim hucusque pro sua ratione agendi facultatem non habuerat, quare, ut varias difficultates evaderet, communitatem S. Damiani a Pontifice confirmandam curare debuit, quod adhuc sub Innocentio III anno 1215 vel 1216 fecit. Papa *privilegium paupertatis* Clarae approbavit[4], sed simul ei regulam Benedictinarum imposuisse videtur. Certum saltem est Franciscum S. Claram coegisse, ut nomen abbatissae acciperet, atque formam vivendi S. Francisci expressis verbis non esse confirmatam[5], saltem non ante annum 1253. Quatenus harum disceptationum Hugolinus Cardinalis particeps fuerit, non liquet. Dubium autem non est, quin idem amicitia cum S. Francisco aucta etiam in ordinanda Clarissarum causa primas egerit partes. Iam anno 1219 „Observantiae regulares iuxta ordinem Dominarum S. Mariae de S. Damiano de Assisio“ [6] commemorantur, quae a Pontifice confirmatae erant, ideoque non eaedem esse potuerunt ac forma vivendi S. Francisci. Igitur Hugolinum auctorem habuisse videntur, et confundi consueverunt cum eius

---

[1] AF III 173.

[2] *[Ortolani] Ciro d. P.,* La beata Ortolana d'Assisi, Roma 1904.

[3] Seraphicae legislationis textus originales 62. *Böhmer,* Analekten 35.

[4] Hoc factum non solum testamento S. Clarae confirmatur, cuius integritas gratis in dubium vocata est, sed etiam a Thoma a Celano vitae eius scriptore: A. SS. Aug. II 757. Ad textum in Firm. V 5 cf. BF I 5, ubi Hugolinus eisdem verbis claudit, quae Sbaraleae (BF I 50 nota) dubia videntur.

[5] BF I 243; II 82. [6] BF I 4.

accurata regula, quae „regula ordinis beati Damiani“ [1] appellatur. quaeque ab Honorio III approbata et a S. Francisco recepta erat atque adhuc anno 1238 S. Claram eiusque sorores obligabat. Ita saltem Gregorius IX in litteris ad B. Agnetem a Bohemia missis affirmat [2]. Etiam ex aliis verbis Gregorii patet eum se legislatorem novae societatis putasse [3].

Videtur igitur dubium non amplius moveri posse, quin Hugolinus Cardinalis tamquam protector ordinis S. Clarae eiusque sociis regulam dederit; quaeritur autem, quomodo S. Franciscus et Clara ipsa ad eandem se habuerint. Nescimus, num S. Franciscus regulae compilandae interfuerit, et si postea audimus eum regulam Hugolini recepisse, parum proficimus; aliud quippe facere non potuit, quia secundum ius canonicum ei nulla facultas in monasteria monialium competebat, praesertim cum eius forma vivendi non esset approbata. Neque quis demonstrare poterit Franciscum libenter et ex corde huic regulae consensisse. Ipse saltem influxum suae indoli proprium in monasterium S. Damiani exercere non destitit, cum a ceteris monasteriis monialium se suosque, quatenus fieri potuit, abstineret. Clara vero solummodo discipulam S. Francisci se putavit, quare in omnibus litteris et scriptis suis nullibi commemorat se ab aliquo alio ordinationes recepisse. Ideas et monitiones solius Francisci aliis commendat, cetera omnia de industria reticet.

Nemo tamen putet Hugolinum malevole intentiones Francisci et Clarae ad irritum redegisse, sed quia cognovit fore, ut normam paupertatis, quae in ambabus Sanctis resplendebat, maior numerus dominarum imitari non posset, ideo ipse societatem organisandam suscepit. Patet eum haec agentem pro S. Clara eiusque monasterio exceptionem statuere non potuisse, attamen ei molestiae non fuit semperque cessit, si Clara protestabatur, cum a ceteris monasteriis stricte exigeret, ut regulam suam observarent. Ipse libenter ad S. Damianum morabatur et S. Clarae litteras pulcherrimas sincera reverentia et amicitia plenas transmisit [4]. Cum Papa esset factus, ei possessionem bonorum obtulit, ut cum sororibus suis vitam curis non perturbatam degere posset, simul promittens se eam libenter esse dispensaturum, si propter votum paupertatis, quod in manus S. Francisci spopondisset, id acceptare dubitaret. At Clara statim

---

[1] BF I 263. W I 313. [2] BF I 243.
[3] BF I 37. *I Celano* (ed. Eduard. Alenc.) 23.
[4] AF III 183. BF I 37.

respondit: „Beatissime pater, in aeternum non desidero dispensari ab imitatione Christi", neque rogare destitit, priusquam Gregorius IX privilegium paupertatis iterum confirmaret[1]. Alias Gregorius commercio Minoritarum cum monasterio S. Damiani modum imponere, i. e. ipsum expressae licentiae Pontificiae obnoxium facere voluit. Cum vero Clara haec audisset, fratres eleemosynarios, qui pro sororibus eleemosynas colligebant, ministro provinciali remisit dicens se fratres victum corporalem comparantes resignare posse, si fratres victum spiritualem subministrantes demerentur. Cumque haec ad aures Pontificis pervenissent, statim mandatum suum pro monasterio S. Damiani urgere cessavit[2].

Revera hae duae res erant, in quibus Clara facillime offendebatur: videlicet conservatio privilegii paupertatis, vi cuius cogi non potuit bona recipere, et continuatio commercii, quod S. Franciscus inter monasterium S. Damiani et Fratres Minores aperuerat. Ipse quidem sorores monuit, ut caverent nimiam familiaritatem et interdum eas severe hortatus est, ut praepararentur ad diem separationis, attamen in summa vitae S. Francisci scriptor rem recte describit dicens: „Non eas vocasse, nulla esset iniuria; non curare vocatas, summa est inclementia." [3] Accessit, quod sancta amicitia, quae Franciscum cum Clara coniungebat, non in mutua cura pro necessitatibus corporalibus terminabatur. Clara spiritum S. Francisci profundissime omnium perceperat, quare ipse eam in gravissimis negotiis adibat eamque consulebat, prope eam canticum fratris solis composuit et poposcit, ut mortuus ad eam deferretur. Merito igitur S. Clara idemtidem dicere potuit S. Franciscum fidelem pro se curam gessisse suisque fratribus praecepisse, ut eodem spiritu idem facerent[4].

Quae Clara sibi ipsi vindicabat, videlicet facultatem reverendi et observandi voluntatem patris spiritualis prae ceteris praeceptis, id etiam ceteris monasteriis comparare studebat. Hoc maxime patet ex eius commercio litterarum cum *B. Agnete a Bohemia*[5], quam „dimidium animae" appellat. Huic Clara, quasi regula accurate definita non adesset, scripsit: „Sequaris consilia Reverendi Patris nostri fratris Eliae, Ministri generalis totius ordinis"; ceteros non esse audiendos. Deinde Agneti modum communicat, quo ad S. Da-

---

[1] A. SS. Aug. II 758. Textus originales 97.
[2] A. SS. Aug. II 762. [3] *II Celano* (ed. Eduard. Alenc.) 323.
[4] Textus originales 62 275. [5] A. SS. Mart. I 507.

mianum iuxta consilium S. Francisci ieiunia observabantur, quamvis ipse a regula Hugolini discreparet. Cum vero Agnes iuxta communicationes S. Clarae pro monasterio suo leges exararet easque anno 1238 Gregorio IX confirmandas proponeret, ipse his precibus non annuit[1], quin consuetudines ad S. Damianum observatas mutaret, quamquam affirmaret ibi non formam vivendi a S. Francisco datam observari, sed regulam suam. Hac occasione desiderium pater sententiae fuisse videtur.

His omnibus consideratis vix negari poterit monasterium ad S. Damianum a regula Hugolini fuisse exceptam; nam licet haec iure valuerit, tamen practice praecipue ordinationes S. Francisci observabantur. Ut haec rerum conditio etiam tempore futuro conservaretur, Clara eandem legibus sanciendam curare cogitavit, quod demum anno 1252 assecuta est, cum Reinaldus Cardinalis protector eam confirmaret; die 9 Augusti anni 1253, duobus diebus ante mortem Clarae, etiam a Pontifice approbata est. Haec regula, quae *regula S. Clarae*[2] vocari meretur, prout est, S. Franciscum auctorem non habet, quod multi usque ad nostra tempora censuerunt, sed S. Clara ipsa eam compilavit ex instructionibus a Sancto datis, ex observantiis sensim sine sensu in monasterio S. Damiani ortis et ex regula Franciscana anni 1223, quam in materia disponenda et tenore verborum imitatur. Haec imprimis in quaestione paupertatis patent et in abdicatione proprietatis, in qua tamen Clara exceptionem admittit, concedens tot latifundia circa monasterium, quot necessaria sunt, ut strepitus mundanus ab eo arceretur. Attamen hoc latifundio sorores tantum pro necessitatibus propriis uti possunt. Commercium cum Minoritis firmare conatur postulans, ut sorores eundem protectorem haberent ac fratres, simulque petens, ut Minoritae consuetum officium visitatorum, capellanorum et eleemosynariorum S. Damiani suscipere continuarent; nam huic tantum monasterio haec regula concessa erat, cetera interim regulam Hugolini observare debebant.

Eadem ratio cogitandi etiam ex testamento manifestatur[3], quod S. Clara versus finem vitae suae imitando testamentum S. Francisci composuit. In hoc ipsa se praesentat his verbis: „Ego Clara, Christi et Sororum pauperum monasterii S. Damiani ancilla et plantuncula sancti Patris Francisci." Franciscus tunc temporis adhuc ita eius

---

[1] BF I 243. [2] Textus originales 49. BF I 671. W II 78.
[3] Textus originales 273. W III 299.

cordi prope erat, ut antea: „Erat columba nostra, unica consolatio post Deum et firmamentum.“ Eum expressis verbis vocat „fundatorem, plantatorem et adiutorem nostrum in servitio Christi et in iis, quae Deo et ipsi Patri nostro promisimus“. Neque in regula sua, neque in testamento se fundatricem ordinis putat, sed tantummodo praesidem monasterii S. Damiani, quod a solo Francisco non solum fundatum, sed etiam gubernatum sit. Conditionem iuris omittens vehementer inculcat conditiones revera exsistentes, quae ratio sunt, quare ordo Clarissarum tempore posteriori *secundus ordo S. Francisci* appellatus sit.

Postquam conatus, quos Clara regulae approbandae gratia suscepit, bonum sortiti sunt exitum, ipsa gaudens mortem poterat exspectare. Iam per tot annos toleraverat morbos, ut frater Reinaldus, qui ei moribundae astitit, necessarium esse putaret eam hortari, ut diuturnos hos dolores patienter sustineret. At illa respondit: „Carissime frater, ex quo gratiam Iesu Christi per Franciscum eius servum cognovi, nulla poena mihi gravis erat, nulla poenitentia molesta nullaque passio dura.“ Magnum ei paravit gaudium, quod Innocentius IV paucis diebus ante mortem eam visitavit, quodque veteres socii S. Francisci convenerunt, videlicet Leo, Angelus et Iuniperus, qui ei „novitates de Deo“ narrare debuit. Ita gaudens et hilariter inter amicos circumstantes mortua est die 11 Augusti anni 1253. Haec „plantula beati Francisci“ revera pulcherrimus erat flos horti Seraphici.

Ad exsequia Papa ipse iterum comparuit, postulans, ut fratres non consuetum officium defunctorum, sed officium B. Mariae V. persolverent, quod demum Cardinali quodam dissuadente retractavit. Quia ipse paulo post mortuus est, Alexander IV, eius successor, eam anno 1255 solemniter catalogo Sanctorum accensuit[1]. Duobus annis post ecclesia S. Clarae aedificari coepta est simul cum monasterio, in quod sorores anno 1260 translatae sunt. Ibi reliquiae S. Clarae asservabantur, usquedum anno 1852 iterum reperirentur et in nova crypta deponerentur.

§ 121. Historia ordinis Clarissarum durante saeculo XIII et XIV[2].

De vita et organisatione originali dominarum, quae exemplum monasterii S. Damiani imitantes congregabantur, adhuc parum novi-

---

[1] BF II 81. W III 373.

[2] Gub. II 593. *E. Lempp:* Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XIII (1893) 181; XXIII 626. *L. Lemmens,* Die Anfänge des Klarissenordens, Rom

mus. Praeter verba, quae Iacobus a Vitriaco anno 1216 scripsit, quaeque iam commemoravimus, solae litterae subsunt, quae Hugolinus Cardinalis anno 1218 ad Pontificem dedit. Ex his comperimus multas dominas mundum fugisse et domicilia sibi erigere studuisse, ubi in totali paupertate viverent absque ulla possessione, exceptis residentiis ipsis. Latifundia in hunc finem saepe ecclesiae oblata esse, attamen multos his studiis obstitisse, quare timendum esset, ne prospere non possent evolvi. Igitur Papa decrevit, ut Hugolinus haec latifundia nomine ecclesiae Romanae acciperet et residentias ibi erectas immediate iurisdictioni Pontificis subderet. Si vero praeter aedificia necessaria alia reciperent bona, exemptio iterum desineret.

Franciscus et Clara in his litteris non commemorantur, sed Hugolinus ab initio tamquam organisator novae societatis consideratur. Quomodo hoc opus perfecerit, patet ex fundatione, quae hodie prima Hugolini habetur, scilicet monasterium Monticellense prope Florentiam anno 1219 erectum[1]. Sorores ibi iuxta regulam S. Benedicti et observantias S. Damiani vivebant in stricta clausura. Simul a iurisdictione Episcopi dioecesani exemptae et immediate Pontifici subiectae erant, ut vexationes facilius vitarent. Simili modo Hugolinus eodem anno adhuc tria constituit monasteria[2], sed in litteris haec concernentibus non observantias S. Damiani commemorat, sed „formulam vitae, quam a nobis recepistis", quae simul cum regula S. Benedicti erat observanda. Quia Hugolinus litteras ad haec quattuor monasteria tempore inter diem 27 Iulii et 1 Augusti anni 1219 direxit, conicimus formulam vitae eandem esse ac observantias S. Damiani. Ast, quae erant in eis contenta? Modo censemus easdem convenire cum textu edicti a Gregorio IX anno 1239 editi[3], iuxta quod regula S. Benedicti tantum secundario modo erat observanda, i. e. ubicumque formula vitae nihil praescribebat. Formula ipsa praecipue perpetuam clausuram et rigidum ieiunium inculcans quaestionem possessionis et relationis cum ordine Minoritarum omnino omittit.

1902 (Exemplar separatum a Röm. Quartalschrift XVI, 1 et 2 fasc.). *E. Wauer*, Entstehung und Ausbreitung des Klarissenordens, besonders in den deutschen Minoritenprovinzen, Leipzig 1906. Histoire abrégée de l'ordre de Sainte Claire d'Assise, 2 vols, Lyon-Paris-Lille 1906.

[1] BF I 3.

[2] BF I 10 11 13.

[3] Valde tamen mirum est tenorem formulae vitae toties commemoratae ante annum 1239 nullibi esse descriptum. Mihi possibile esse videtur textum anni 1239 novam redactionem prioris formulae brevioris continere.

Num Hugolinus haec consentiente S. Francisco egerit, iuridice nullius est momenti; attamen etsi rem solummodo historice considerabimus, affirmare non poterimus eum contra voluntatem S. Francisci has societates feminarum constituisse. Franciscus enim fundator monialium fieri minime intendit, quare Hugolino manum operi admoventi libenter concessit. Ad veritatem prope accedere videntur, quae Waddingus tradit[1], videlicet Cardinalem cum Francisco in Orientem profecturo de regimine S. Damiani ceterorumque novorum monasteriorum tractasse. Statimque Sanctus: „Praeter S. Damianum", ait, „quo Claram deduxi, nullum monasterium erexi vel erigendum curavi. Solius Clarae curam suscepi et displicet mihi, si fratres ceteris monasteriis inserviunt." Hugolinus his compertis propria auctoritate cum Pontifice disceptationes iniit et confirmationem consiliorum suorum impetravit. Simul voluntatem Francisci observans non Minoritam, sed Cisterciensem visitatorem dominarum pauperum instituit, quibus iuxta praeceptum concilii Lateranensis regulam approbatam ordinis iam exsistentis dedit, scilicet regulam Benedictinarum, quia regula Minoritarum tunc nondum erat approbata. Cum Hugolinus post mortem primi visitatoris Philippo Longo, Minoritae, hoc munus demandaret, Franciscus graviter erat offensus, quia fratres suos ab hac cura liberos esse volebat. Igitur in regulam anni 1221 haec verba recepit: „Nulla penitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad oboedientiam, sed dato sibi consilio spirituali, ubi voluerit, agat poenitentiam."[2] Similiter interdictum regulae definitivae anni 1223: „Ne ingrediantur monasteria monacharum, praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis", S. Francisco adhuc vivente exclusive de monasteriis Clarissarum interpretatum est[3]. Non errabimus, si dicemus hoc regulae praeceptum continere compromissum inter Franciscum et Hugolinum, qui viam reservare volebat, qua Minoritis tutelam Clarissarum demandare posset. Revera post mortem S. Francisci, anno 1227, vix Papa erat factus, cum ministro generali eiusque successoribus sub oboedientia mandavit, ut Clarissarum aeque ac fratrum sibi subditorum curam susciperent[4]. His tamen ordini nondum officium pastorale monasteriorum Clarissarum commissum erat, quod praecipue de monasteriis valet, quae a iurisdictione Episcopali non erant exempta[5].

---

[1] W I 311. [2] *Böhmer,* Analekten 13.

[3] BF I 70. Modus, quo Gregorius IX hoc praeceptum percepit, ab Innocentio IV relictus est (BF I 402), sed a Nicolao III iterum reassumptus (BF III 414).

[4] BF I 36. *Wauer* 49. [5] *Lempp* 228.

Quod attinet *possessiones* monasteriorum, id Hugolinus omnino reticet, idque probabiliter reverentia sensuum Clarae et Francisci ductus. Quibusdam residentiis privilegium paupertatis concessit, sed simul studiis aliorum monasteriorum favebat, quae ampliori possessioni victui providere intendebant[1]. Quamquam igitur duae classes Clarissarum exsistebant, tamen omnes respectu ceterarum monialium vere pauperes erant et parce vivebant[2]. Praeter ea, quae possessiones tangunt, decurrente tempore etiam in aliis rebus diversitas inter singula monasteria Clarissarum crescere debuit, quia regula Benedictinarum non ubique eodem modo cum ordinationibus Hugolini coniungebatur et quia Clara litteris et sororibus missis ideas Franciscanas praecipue inculcabat. Igitur Agnes a Bohemia Gregorio IX defuncto directe postulavit, ut obligatio regulae Benedictinarum auferretur, quo comperto Innocentius IV exemplum praedecessoris sui imitans declaravit, obligatione hac nihil aliud exprimi, quam observantiam trium votorum oboedientia, paupertatis et castitatis[3]. Attamen, quia studia contra regulam Hugolini in dies crescebant, Innocentius IV anno 1247 *novam* edidit *regulam*[4], in qua locum regulae S. Benedicti quoad tria vota essentialia regula S. Francisci occupat, quapropter et nomen S. Francisci in formulam professionis receptum est. Ministri generales et provinciales Minoritarum monialibus praefecti sunt, et omnia monasteria Clarissarum denuo fundanda a capitulo generali erant approbanda. Praeterea Clarissae privilegiorum ordinis Franciscanorum participes factae sunt. Possessio bonorum et proventuum eis concessa est, libere tamen ea resignare poterant. Exceptis quibusdam mitigationibus ieiunii regula Innocentii IV in omnibus rebus maioris momenti cum regula Hugolini conveniebat.

Quia vero Innocentius Clarissas non coegit, ut regulam suam acciperent, immo regulam Hugolini pro aliquot monasteriis expresse confirmavit[5], ab anno 1247 duo regulae a Pontifice approbatae exsistebant, quae regula S. Clarae anno 1253 pro monasterio S. Damiani confirmata auctae sunt (§ 120). Haec regula (S. Clarae) iam anno 1252, postquam a Cardinali protectore approbata est, a quibusdam aliis monasteriis recepta est, idque consentiente Pontifice[6].

Eodem fere tempore in Gallia apparuerunt studia introducendi observantiam mitiorem saltem in quaestione paupertatis. Beata *Isa-*

---

[1] *Wauer* 39.

[2] *I Celano* (ed. Eduard. Alenc.) 23. BF I 148.

[3] BF I 315 350. [4] BF I 476. W III 482.

[5] *Lemmens* 113. [6] Firm. V 8.

bella[1] († 1270), soror Ludovici Sancti, anno 1255 in *Campolongo* (Longchamps) prope Parisios monasterium fundavit, cui titulum „monasterii humilitatis beatae Mariae Virginis" imposuit, ubi Clarissae Remenses dominas maximam ad partem nobiles in sua ratione vivendi instruere debebant. Aliquot magistri ordinis Minoritarum regulam compilabant, quae anno 1259 ab Alexandro IV approbata est, quare hae sorores etiam *Alexandristae* appellabantur[2]. Cognoscimus hanc regulam solummodo ex redactione, quam Urbanus IV mense Iulio anni 1263[3] instante S. Ludovico edidit. In ipsa sorores Campilongi nomen *sororum Minorum inclusarum* acceperunt et arcte cum ordine Minoritarum coniunctae sunt. In formula professionis suae praeter tria vota essentialia etiam perpetuam clausuram verbis expressis vovebant. Possessiones et proventus eis concedebantur. Ceterum haec regula magnam ad partem regula Innocentii IV innixa erat et in quibusdam partibus regula S. Clarae.

Quia vero his conditio rerum adhuc difficilior erat facta, *Urbanus IV* mense Octobri eiusdem anni 1263 *novam regulam*[4] edidit, quam ab omnibus monasteriis recipi voluit. Maior pars huius regulae ex regula Innocentii IV desumpta est, quaedam ex regula Campilongi et S. Clarae. Imprimis exigit, ut nomen uniforme introducatur, videlicet titulus officialis *„ordinis S. Clarae"*, qui hucusque parum adhibitus erat; nam Dominae ordinis S. Damiani, Moniales inclusae, Pauperes Dominae vel similiter appellari consueverant, etiam nomen Sororum Minorum vel Minorissarum audiebatur, idque iam ante fundationem Campilongi, quae appellatio non obstante interdicto Pontificis adhuc diu in usu permansit[5]. Ceterum regula Urbani possessionem bonorum et proventuum stabilium concedit et commercium cum ordine Minoritarum servat tradendo eas protectori Franciscanorum, concedendo ministro generali licentiam ingrediendi clausuram et destinando imprimis sacerdotes ordinis pro sacramentis administrandis. Sed a cura sororum, quae Innocentius IV et Alexander IV ordini imposuerant, Minoritae per hanc regulam absolvuntur. Haec erat consequentia reactionis, quam inter Franciscanos ipsos contra gubernium monialium orta erat[6], quaeque vehementissima erat tempore capituli generalis anni 1263, in quo ordo duce S. Bonaventura curam Clarissarum omnino resignavit

---

[1] Histoire abrégée I 153. [2] *Huber*, Dreyfache Cronickh 1050.
[3] BF II 477. W IV 507.
[4] BF II 509; IV 517. Acta IV 86 103 122.
[5] *Lempp* 245. AF III 370. BF II 574; VI 40.
[6] *Wauer* 49.

et impetravit, ut proprius protector pro sororibus institueretur, quod tamen decretum instante Cardinali protectore exsecutioni non est mandatum. Hoc tamen fratres assecuti sunt, ut sorores servitia fratrum non amplius tamquam debita sibi vindicare possent, sed ea tamquam obsequia libere praestita considerare deberent[1].

Regula Urbani, quam in singulis monasteriis propagari Minoritarum valde intererat[2], finem desideratum non adduxit, nam Urbanus ipse quibusdam monasteriis licentiam dedit recipiendi regulam Campilongi et successores huius Pontificis regulam S. Clarae pro monasterio S. Damiani et pro aliis residentiis approbarunt; rigida sane paupertas etiam in his domibus mox mitigata est[3]. Quamquam igitur regula Urbani ceteras non omnino auferre poterat, tamen versus finem saeculi XIII praevalebat. Postea ipsa *secunda regula* vocari consueverat eiusque asseclae *Urbanistae* audiebant, cum sub nomine *primae regulae* regula S. Clarae intelligeretur[4].

Cum paucis decenniis post Franciscani iterum regimen Clarissarum relinquere conarentur, Bonifatius VIII anno 1296 ordinationes Innocentii IV renovavit[5] et anno sequenti Matthaeus Rossi, Cardinalis protector, duas instructiones accuratas edidit[6], quibus ordini tota cura Clarissarum magis ac antea imponebatur. Mandabatur, ut ministri provinciales monasteriis monialium eodem modo invigilarent ac conventibus fratrum. Ut visitatores facilius munus suum exsequi possent, non exiguas dispensationes a praeceptis clausuram spectantibus acceperunt. Ex iisdem instrumentis comperimus in multa monasteria abusus irrepsisse, praecipue quoad receptionem sororum, in qua interdum crimen simoniae committebatur, quia deerant, unde sorores viverent. Ideoque protector fratres hortabatur, ut, si fieri posset, omnia monasteria ad receptionem regulae Urbanae inducerent. Idem anno 1370 Philippus Cabassole, Cardinalis protector, eisdem fere verbis ordinavit[7]. Arcta Clarissarum cum ordine coniunctio effecit, ut in multis capitulis generalibus ordinationes de monialibus confici deberent et in diversas editiones constitutionum generalium unum capitulum de Clarissis reciperetur, quod iam in constitutionibus Benedictinis factum est[8].

---

[1] ALKG VI 37. BF II 574. *S. Bonaventura*, Opera omnia VIII 369. *Papini* II 170.

[2] ALKG VI 44. [3] *Wauer* 59 sq. [4] Histoire abrégée I 181.

[5] W V 570. [6] Firm. V 13.

[7] W VIII 597. Gub. II 668. BF VI 504 nota 2.

[8] BF VI 40.

Iudicium universale de *disciplina* in monasteriis Clarissarum durante saeculo XIII et XIV vigente vix ferri poterit, quia singulae domus ad invicem nullo vinculo cohaerebant, quare factum est, ut in altero monasterio optima inveniretur disciplina, cum in alterum relaxatio irrepsisset. Dicere vero possumus numerum domorum, in quibus disciplina remissa vigebat, durante saeculo XIV aeque ac in ordine Minoritarum crevisse, quare versus finem huius saeculi pauca tantum monasteria exsistebant, quae disciplinam primam conservaverant. Haec rerum conditio magnam ad partem a schismate occidentali causata erat [1]. Quamvis haec ita sint, tamen bona pulchraque, quae monasteria Clarissarum durantibus duobus primis exsistentiae suae saeculis produxerunt, oblivisci non debemus. Multae *virgines virtutibus heroicis insignes* [2] in abscondito florentes Clarissis magnam auctoritatem apud coaetaneos suos comparaverunt, multaeque filiae regum et principum totius fere Europae a saeculo XIII usque ad saeculum XIX velum S. Clarae sumpserunt [3].

Quod *propagationem* ordinis Clarissarum durantibus primis duobus saeculis attinet, pauca novimus. Cum S. Clara moreretur, iam versus septuaginta monasteria exsistebant; numerus incolarum in eisdem degentium inter 20 et 100 fluctuabat [4]. Tunc ordo iam in Hispania, Gallia et Germania pedem fixerat et durantibus decenniis sequentibus per totam Europam propagatus est; immo etiam in insula Cypro et in Terra Sancta residentias fundavit [5]. Bartholomaeus Pisanus non immerito: „Per omnes partes christianitatis“, ait, „hic ordo diffusus reperitur.“ [6] Quidam Bartholomaei aequalis numerum monasteriorum anno 1384 in unaquaque provincia exsistentium accurate designavit [7],

---

[1] Gub. II 720. *Eubel,* Avignonesische Obedienz XVIII.

[2] Nomina Sanctarum et Beatarum ordinis Clarissarum vide sub Tabella XI.

[3] Nomina apud *Patrem* 9 13 23 63 71 93; Giard. I 215; *Heimbucher* II² 480. *F. Reineccius,* Hundert hohe heilige Keyserliche Königliche und Fürstliche Frawen... welche in dem andern und dritten Orden S. Francisci recht und heilig gelebt, Ynsprugg 1660. *Prinzessin Ludwig Ferdinand von Bayern*, Emanuela Therese vom Orden der hl. Klara, Tochter des Kurfürsten Max Emanuel von Bayern, München 1902.

[4] *Lempp* 230 A. 5. *Wauer* 70.

[5] *Wauer* 72 sq. Pro Germania: *Huber,* Dreyfache Cronickh 1059.

[6] AF IV 360.

[7] EF X (1903) 95. Statistica satis accurata pro quovis tempore huius epochae ex indicibus (Monasteria) annalium Waddingi excerpi potest. Ibi etiam communiter Clarissae a Tertiariis regularibus distinguuntur, quod de aliis statisticis dicendum non esse videtur. — De relatione numerica utriusque generis monasteriorum vide *Eubel,* Oberdeutsche Minoritenprovinz 12.

quo comperimus numerum universum domorum 404 fuisse, quarum 251 in Italia inveniebantur. Igitur numerus Clarissarum ordini subditarum versus finem saeculi XIV ad 15 000 censendus esse videtur. Notitiae statisticae Clarissarum, quae eodem tempore sub iurisdictione Episcoporum vivebant, adhuc desiderantur.

§ 122. Historia ordinis Clarissarum ex saeculo XV.

Ineunte saeculo XV querelae de disciplina ordinis collapsa etiam quoad monasteria Clarissarum increbruerunt, quare Innocentius VII res ad meliorem statum reducere cupiens decrevit, ut abbatissae non amplius ad tempus vitae, sed ad decennium eligerentur [1]. Tempore sequenti post aliquantam dubitationem durationi muneris triennium assignatum est, sed usus uniformis non potuit introduci. Maior quidem monasteriorum pars triennium retinuit ea conditione, ut eadem soror officio functa denuo posset eligi, attamen aliae communitates abbatissas suas ad tempus vitae eligere continuaverunt [2].

Eugenio IV regnante, qui anno 1431 *Guilelmum Casalensem,* ministrum generalem, extraordinariis facultatibus pro reformatione Clarissarum instruxit, restauratio disciplinae maiores fecit progressus [3]. Ministro generali, qui causam hanc magno cum zelo suscepit, quaedam monasteria praecipue Galliae meridionalis tam pertinaciter restiterunt, ut ei Papa recursum ad brachium saeculare commendaret, ut sorores obstinatae oboedientiam discerent. Eodem tempore Eugenius IV praecepit, ut omnia monasteria omissis aliis nominibus simpliciter titulum Ordinis S. Clarae acciperent [4], quo tamen decreto diversitas regularum intacta permansit. Etiam *Observantes* regulas non mutabant, sed contenti erant disciplinam regularem restaurare. Initio quidem Observantia curam mulierum fugiebat; ita quidam priorum chronistarum scripsit: „Cura mulierum bona est et valde meritoria, sed gravis et periculosa." [5] Attamen Observantes huic muneri se subtrahere non poterant, praesertim cum Papa eis id mandaret vel monasteria ipsa eos in adiutorium vocarent, ut se ad

---

[1] BF VII 181.

[2] Gub. II 767; III 107. W XI 504. Histoire abrégée II 99.

[3] W X 491; XI 341.

[4] W XI 342. Monasteria iuxta regulam S. Clarae viventia vetus nomen Ordinis S. Damiani retinuerant et domus regulam Campilongi observantes sese Sorores Minores vel Minorissas appellare continuaverant.

[5] *L. Lemmens,* B. Bernardini Aquil. Chronica, Romae 1902, 26.

vitam ordinatam reducerent. Iam S. Capistranus optime de reformatione Clarissarum meritus est, quamquam leges, quas pro eisdem condidit, omnino ineptae erant, quo factum est, ut Eugenius IV anno 1447, cum monialibus quasdam dispensationes maioris momenti concederet, severam expositionem regulae a Capistrano propositam corrigere deberet[1]. Duobus annis post Cardinalis protector *Franciscum a Saxoferrato,* Observantem, reformatorem omnium Clarissarum Italarum instituit eumque plenitudine potestatis instruxit. Omnes sorores, quae reformationem accipere nolebant, domum suam relinquere et monasterium non reformatum ingredi debebant[2]. Clarissae reformatae interdum nomen *sororum S. Clarae de Observantia* audiebant[3], sive primam regulam profitebantur, sive alteram. Quia praeter residentias ab Observantibus reformatas multae novae fundatae sunt, ineunte saeculo XVI monasteria Clarissarum reformatarum omnino praevaluerunt[4]. Quam tristis vero conditio monasteriorum non reformatorum fuerit, satis ex ordinationibus constitutionum Alexandri VI et Iulii II[5] patet.

Praeter hanc reformationem in sensu proprio, i. e. reductionem ad observantiam legum iam dudum latarum, durante saeculo XV studia apparuerunt, quae *novas congregationes* intra ordinem produxerunt. Huc ad partem *Coletanae* pertinent, quae *S. Coletam*[6] (Nicolettam Boylet, † 1447) Corbaci in Flandria ortam, auctorem suam venerantur. Postquam Coleta Niciae (Nizza) anno 1406 in manus Benedicti XIII, Pontificis oboedientiae Avenionensis, professionem emisit, facultatem impetravit fundandi aliquod monasterium iuxta regulam S. Clarae et postulandi duos Minoritas tamquam confessarios, quorum loco, si non conveniebant, alios exigere poterat[7]. Quia fundationi monasterii in Gallia septentrionali, ubi Coleta illud excitare intenderat, insuperabiles difficultates obstiterunt, licentiam accepit illud in dioecesi Genevana erigendi. Anno 1412 ipsa iam abbatissa monasterii Bisuntini (Besançon)[8] fuit eratque facultate in-

---

[1] W XI 272. [2] W XII 42; XIII 145; XV 396.

[3] AF II 410.

[4] Histoire abrégée II 94 97. De monasteriis Clarissarum reformatarum Germaniae vide *Huber,* Dreyfache Cronickh 1110.

[5] Gub. III 202. Firm. V 15.

[6] Cf. § 20 et 26. Histoire abrégée I 214. *Chevalier*[2] 972.

[7] BF VII 342 345 347. *F. Gohiet,* Esquisse historique sur la venue de S. Colette à Nice et les origines de la réforme franciscaine en 1406, Paris 1907.

[8] BF VII 352 358 377.

structa alia quoque monasteria eiusdem observantiae fundandi, ea visitandi et confessarium eligendi, cui super haec monasteria Cardinalis protectoris iura competerent. Ita Coletae contigit, ut adiuvante *Henrico de Baume,* confessario suo, durantibus tribus decenniis 17 domus novas fundaret[1], quibus praeter regulam S. Clarae proprias ordinationes et constitutiones dedit. Hae *constitutiones S. Coletae*[2], quae anno 1434 a ministro generali approbatae et anno 1458 a Pio II confirmatae sunt, in summa quidem a regula non differunt, nihilominus quaedam adiungunt, quae S. Clara non exegerat. Minoritis regimen reservatum est, quatenus ordo singulis monasteriis quaternos fratres promptos expositosque praebere debebat, in quibus bini erant sacerdotes. Studia unionis monasteriorum Galliae cum domibus reformatis Italiae anno 1435 a S. Capistrano suscepta resistentia Coletae ad irritum ceciderunt[3]. Tempore quoque sequenti usque ad annum 1517 residentiae a S. Coleta fundatae non Observantiae se adiunxerunt, sed Conventualibus reformatis, qui nomen Coletanorum sibi imposuerant; Sixtus IV sub excommunicatione prohibuit, ne Observantes monasteriorum Coletae et ceterarum Clarissarum Galliae curam gererent[4]. Cum S. Coleta defuncta esset, in dies plures domus, partim novae partim reformatae, eius constitutiones acceperunt, quae hodiedum in summa eaedem permanserunt. Versus finem saeculi XV in plurimis urbibus Galliae Coletanae vivebant, unde mox in Belgium et Angliam, immo et in Americam propagatae sunt, ubique austeritate vitae auctoritatem sibi comparantes. Praecipue *sorores de Ave Maria* commemoremus, i. e. Coletanas nomen monasterii principalis anno 1485 Parisiis orti gerentes, quod „Ave Maria" appellabatur[5]. Hae aliquot speciales austeritates exercendas susceperunt.

Conceptionistae[6], vel sorores de Conceptione beatae Mariae Virginis initio non fuerant Clarissae. *Beatrix a Silva* († 1490), soror Amadei Lusitani (§ 26), anno 1484 Toleti monasterium in honorem

---

[1] Nomina earum vide in Histoire abrégée I 226. Cf. *Ubald d'Alençon:* Arch. II (1909) fasc. 2 vel 3. Iuxta haec influxus S. Coletae in reformationem Minoritarum maior fuisse videtur, quam in § 26 censuimus.

[2] Firm. V 19. Gub. II 731. Acta VI 140 157 168 182. Textus originales 99. Ibid. 298 *testamentum* S. Coletae.

[3] Histoire abrégée I 335. [4] Firm. II 68 70.

[5] Histoire abrégée II 6.

[6] Gub. II 692. *Angelico da Vicenza,* La storia cronologica dei tre ordini istituiti dal patriarca S. Francesco III, Vicenza 1761, 66.

immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis fundaverat ibique regulam Cisterciensium introduxerat. Fundatrice defuncta Franciscus Ximenes, Archiepiscopus, annuente Pontifice hoc monasterium gubernio Observantium subdidit et sororibus regulam S. Clarae imposuit. Pars tantummodo monialium his consiliis consensit, quas Ximenes in conventum S. Francisci, qui antea Conventualium fuerat, transtulit, ubi mox aliis sororibus auctae sunt. Anno 1511 approbavit Iulius II „regulam monialium Conceptionis beatae Mariae Virginis“ [1], quae regulam Clarissarum imitatur, sed proprietatem in communi admittit. Gubernium sororum Observantibus commissum est sub inspectione Cardinalis protectoris. Leo X Conceptionistis anno 1520 omnia privilegia Minoritarum et Clarissarum concessit, et Quiñones, minister generalis, peculiaria statuta pro eis condidit, in quibus sororibus professis omne commercium per colloquium cum saecularibus, etiam consanguineis necessariis, interdicitur, quod tamen mitigari debuit, cum plures domus (quarum una Parisiis erat) huic societati se adiunxissent. E numero Conceptionistarum fuit *Maria ab Agreda* [2] († 1665), quae sanctitate vitae et libro de civitate spirituali Dei, qui multis controversiis ansam praebuit, famam limites Hispaniae longe excedentem sibi comparavit.

Annuntiatae Gallicae [3], quae a beata *Ioanna Valesia* (a Valois, † 1505) et *Gilberto Nicolai* (Gabriele Maria) [4], eius confessario, fundatae sunt, Clarissis annumerari non possunt. Commemorantur vero hoc loco, quia regimini Observantium subditae et privilegiorum Clarissarum participes factae sunt.

Ab anno 1517 gubernium maioris partis Clarissarum, Coletanis non exceptis, Observantibus demandatum est [5]. Cum Pius V anno 1566 Conventuales Hispaniae supprimeret, monasteria Clarissarum ipsis subdita Observantibus tradidit mandans, ut eadem reformarent. Duobus annis post idem Papa Conventuales Italiae a regimine Clarissarum submovit et monasteria earum Episcopis commisit [6]. Solum monasterium Assisiense S. Clarae Sixtus V anno 1590 iterum Conventualibus tradidit, sed Leo XIII anno 1880 illud Cardinali protectori Minoritarum subdidit [7].

---

[1] Gub. II 699. [2] *Jeiler:* KL VIII² 740. Acta IX 5 40.

[3] Gub. II 706. *Angelico da Vicenza* III 75.

[4] *Othon,* Gabriel Maria O. F. M. 1462—1532, Rodez 1907.

[5] W XVI 500. Gub. II 679. [6] W XX 180 435.

[7] W XXII 640. *Iosephus Card. Vives,* Instituta franciscana monumentis benevolentiae R. R. Pontificum laudata magnificata defensa, Romae 1904, 766.

Ut munus demandatum bene perficeretur, Lichettus, minister generalis, numerum monasteriorum, in quibus disciplina regularis non bene potuit conservari, quia non habebant, unde viverent, diminuere cogitavit. Igitur anno 1518 decrevit, ne quod monasterium imposterum reciperetur, ex cuius proventibus 50 sorores ali nequirent atque ut omnes novitiae dotem congruentem afferrent[1]. Ergo regula Urbanistarum aeque ac durante saeculo XIII ubique introducenda erat, saltem quoad receptionem possessionum. Sed minister generalis in hoc negotio magnas difficultates expertus est praecipue ex parte Coletanarum[2]. Neque post concilium Tridentinum, quod omnibus monasteriis Clarissarum latifundia et proventus concesserat et ordinationes regulae contrarias aboleverat, unitas orta est, quia pars domorum theoretice saltem veterem statum retinuit, quamquam usus antiquus colligendi quotidie victum ostiatim pro monasteriis monialium amplius servari non poterat[3]. Practice vero differentiae inter diversas congregationes Clarissarum post concilium Tridentinum permanentes non tam in quaestione possessionum consistebant, quam in aliis praeceptis regularum et constitutionum.

Attamen non solum respectu paupertatis ordo Minoritarum intercessit, sed ceteras quoque causas Clarissarum ordinare conatus est ubique veterem disciplinam regularem restaurare studens, quod difficile erat opus. Iam anno 1532 capitulum generale conquestum est: „Ordo noster multa sustinet gravamina magnasque habet occupationes in praeiudicium spiritualis profectus propter regimen Monialium." [4] Igitur decretum est, ne qua domus nova acciperetur absque consensu capituli generalis, simulque monasteria monialium prohibita sunt curam rerum temporalium fratribus imponere, quia huic muneri saeculares satisfacere possent. Anno 1565 pristini visitatores totaliter sublati sunt demandato eorum officio ministris provincialibus. Quia vero timendum erat, ne multa monasteria resisterent, simul ordinatum est (quod iam saepius factum erat), ut regimen illarum domorum, quae consiliis capituli generalis non oboedirent, statim concederetur[5]. Inter ampliora edicta, quae tempore sequenti pro monialibus publicata sunt, maioris sunt momenti ordinationes, quas Gonzaga, minister generalis, anno 1582 edidit, et decreta capitulorum generalium anni 1593 et 1639[6].

---

[1] Gub. II 728. [2] Histoire abrégée II 168.

[3] *Angelico da Vicenza* III 60.

[4] Gub. III 277. [5] Gub. II 691; III 353.

[6] W XXI 349. Gub. III 533; IV 51.

Ut Observantes curam monialium onus grave censebant, ita multo magis congregationes reformatae, quae absque ulla exceptione initio tale munus suscipere recusabant. Immo *Reformati* ineunte saeculo XVII Pontifici persuadere conati sunt, ut curam monasteriorum ab ordine ad Episcopos transferret [1]. Sed quia alii eidem Pontifici proponebant hoc ordini Minorum quidem emolumento esse, Clarissis vero detrimento, hoc consilium exsecutioni non est mandatum. Reformati quoque mox hoc munus subire debebant, quamquam numerus monasteriorum ipsis subiectorum nunquam erat magnus [2]. Minus prospere *Recollectis* haec res successit, qui identidem quidem facultatem acceperunt relinquendi curam monialium, sed denique multas moniales regere debebant, quae etiam nomen *Recollectarum* accipiebant [3]. Etiam nomen *Clarissarum strictioris observantiae* audiebatur [4], quas anno 1631 Francisca a Iesu Maria e dynastia Farnese fundaverat, quae tamen parum propagatae sunt. Eadem valent de *Discalceatis* [5] vel „sororibus eremitis discalceatis S. Petri de Alcantara", quas Franciscus Barberini, Cardinalis († 1679), fundavit et Clemens X anno 1676 approbavit. Haec erat rigidissima congregatio Clarissarum, quasi semper sorores nudis pedibus absque sandalis incedebant et in omnibus S. Petrum imitari studebant. Praeterea adhuc *Capuccinae* [6] ortae sunt, quae etiam „filiae passionis" appellantur. M. Laurentia Longa Neapolitana monasterium Tertiariarum, quod aedificaverat, Capuccinis regendum tradidit, quo facto sorores praeter regulam S. Clarae etiam constitutiones et, quatenus fieri potuit, habitum Capuccinorum accipiebant. Membrum huius congregationis fuit *S. Veronica de Iulianis* (Giuliani) [7].

Quodcumque sentiendum sit de nimia ordinis S. Clarae divisione, quae partim in schismatibus ordinis Minorum fundata erat, certum est omnes congregationes Clarissarum multum boni produxisse et adhuc producere. Ut omittamus merita, quae sibi clausura mitigata de *educatione puellarum* comparaverunt [8], novimus, omnes domus, quae spiritum pristinum servaverunt vel durante saeculo XV

---

[1] Gub. II 663.

[2] Cf. Methodus mittendi epistolas ad conventus Fr. Reformatorum (ca 1763) 65.

[3] Gub. II 663. *V. Haute,* Misc. XII 189.

[4] Gub. IV 79. *N. J. Cornet,* Les anciennes communautés Franciscaines de femmes dans la Belgique Wallonne soumises aux Récollets, Louvain 1871.

[5] *Angelico da Vicenza* III 59.

[6] Ibid. III 57. *Heimbucher* II² 486.

[7] Histoire abrégée II 322.

[8] BF VII 704. Gub. IV 82. Histoire abrégée II 505.

renovaverunt, contemplatione, paupertate et poenitentia pulcherrimos flores aluisse et mulieres fortes educasse, quae ingenio temporis sui resistere audebant. Hoc maxime in terris septentrionalibus durante *reformatione ecclesiastica* apparuit, quo tempore Clarissae reformatae maiorem ostenderunt fortitudinem ac multi monachi[1]. Eandem constantiam praestiterunt durante *rebellione Gallica*, cum mirantibus Iacobinis, qui portas monasteriorum aperuerant, domus suas non relinquerent, usquedum vi cedere cogerentur[2].

De *propagatione* ordinis Clarissarum a saeculo XV ad nostra usque tempora paucae subsunt notitiae accuratae. Novimus solummodo ordinem in Europa crevisse et in terra nova multas residentias fundasse. Anno 1587, postquam reformatio multa delevit monasteria, adhuc 600 circiter domus numerabantur[3]. Deinde ordo iterum crevit et circa annum 1680 culmen evolutionis externae attigisse videtur comprehendendo 925 monasteria et 34 100 moniales ministro generali subiectas[4]. Si credimus chronistae contemporaneo[5], adhuc plures sorores sub regimine Episcoporum aderant, ut numerus universus circiter 70 000 comprehenderet. A fine saeculi XVII numerus monialium paulisper decrevit, sed numerus monasteriorum auctus est[6]. Rebellio Gallica et saecularisationes subsequentes ordinem ubique terrarum quasi totaliter deleverunt excepta Hispania, ubi domus monialium intacta permanserunt. Saeculo tamen XIX praeter exspectationem convaluit, quo factum est, ut anno 1907 iam iterum 518 monasteria cum 10 204 sororibus numerarentur[7]. Accedunt domus *Conceptionistarum*, quarum 80 in Hispania, circiter 5 in America meridionali et 3 in Belgio inveniuntur[8].

[1] Cf. §§ 91 94 et Histoire abrégée II 133 182. *Gaudentius*, Beiträge zur Kirchengeschichte des 16. und 17. Jahrhunderts 356 390. *Huber*, Dreyfache Cronickh 1158. *N. Paulus*, Kaspar Schatzgeyer 75.

[2] Histoire abrégée II 390 410.

[3] W XXII 101..

[4] Menologium 185. Ibi etiam Tertiariae regulares computatae esse videntur.

[5] Gub. I 481.

[6] Giard. I 49. Census in Chron. IV 451 valde mancus est.

[7] Acta XXVII 111. [8] Acta XXVI 347.

Liber III.

Tertius Ordo (Tertiarii).

§ 123. Tertii ordinis pro saecularibus evolutio[1].

Tertii ordines, i. e. societates saecularium utriusque sexus, quae finis alicuius religiosi vel socialis adipiscendi causa ordinibus virorum vel feminarum iam exsistentibus tamquam tertium membrum se adiunxerunt, iam saeculo XI apud quasdam congregationes Benedictinorum invenimus[2] et saeculo XII apud Praemonstratenses et Humiliatos[3]; a saeculo XIII denique in dies numero creverunt. Nullus tamen tertio ordini S. Francisci valore vel propagatione aliquo modo par erat.

---

[1] Gub. II 783. *I. Carillo*, Historia de la tercera Orden de San Francisco, 2 vols., Çaragoça 1610—1613. *F. Bordoni*, Archivium bullarum, privilegiorum, instrumentorum et decretorum fratrum et sororum tertii ordinis S. Francisci, Parmae 1658. *Idem*, Chronologium fratrum et sororum tertii ordinis S. Francisci tam regularis quam saecularis, Parmae 1668. *Jean M. de Vernon*, Histoire générale et particulière du Tiers-Ordre de S. François, 3 vols., Paris 1667. *Hilarion de Nolay*, La gloire du Tiers-Ordre de S. François ou l'histoire de son établissement et de son progrez, Lyon 1694. *Angelico da Vicenza*, Storia cronologica dei tre Ordini III, Vicenza 1761. *Hilarius Parisiensis*, Liber tertii ordinis S. Francisci, Genève-Bruxelles 1888. — De initiis tertii ordinis disserunt: *K. Müller*, Die Anfänge des Minoritenordens und der Bußbruderschaften, Freiburg 1885; *Idem*, Zur Geschichte des Bußbrüderordens: Briegers Zeitschrift für Kirchengeschichte XXIII (1902) 496; *W. Götz* ibid. 97. *P. Sabatier*, Regula antiqua fratrum et sororum de Poenitentia, Paris 1901 [Opuscules de critique hist. I 1]; *P. Mandonnet*, Les règles et le gouvernement de l'ordo de Poenitentia au XIIIe siècle, Paris 1902 [Opusc. I 4]; *R. Davidsohn*, Forschungen zur Geschichte von Florenz IV, Berlin 1908, 67. Ad haec *M. Bihl:* Arch. I (1908) 642.

[2] *Schnürer*, Franz von Assisi 106.

[3] *Pastor*, Geschichte der Päpste III 41. *Müller*, Anfänge 162. *Böhmer*, Analekten 96.

Nihil fortasse melius influxum demonstrat, quem persona amabilis S. Francisci et praedicatio filiorum eius in aequales exercuit, quam innumeri hi viri et feminae, qui libere consociati sunt et certis legibus se subdiderunt, ut mediis in hominibus alia studentibus vitam profunde religiosam ad mentem S. Francisci ducerent. S. Franciscum in originem et evolutionem *collegiorum Poenitentium* (ut initio dicebantur) influxum exercuisse decisivum, dubium non est. Hoc non solum omnes vitae eius scriptores testantur, sed etiam Gregorius IX, huius inceptionis adiutor, qui iam anno 1230 „tertium ordinem S. Francisci“ commemorat et anno 1238 „collegia Poenitentium“, quae S. Francisco originem suum debent[1]. Primus, qui iuxta institutionem S. Francisci poenitentiam in saeculo agere coepit, *B. Luchesius a Castro Bonitii*[2] (Poggibonsi, † 1260) fuisse traditur. Difficile vero est dictu, ubi homines eiusdem studii primam societatem inierint et difficilius adhuc, ubi S. Franciscus primam dederit regulam. Maxime tamen verisimile est Franciscum adiuvante Hugolino Cardinali primam regulam *scriptam* societati Florentinae vel Faventinae dedisse. Ipsa inscribitur: „Memoriale propositi fratrum et sororum de Poenitentia in domibus propriis exsistentium.“[3] Omissis additionibus posterioribus, conicere licet hoc memoriale duodecim capitula comprehendens antiquissimam esse regulam scriptam tertii ordinis. Praeter praecepta orationes et ieiunia concernentia exigit haec regula, ut membra societatis simplices portent vestes, ut a choreis et spectaculis abstineant, sibi invicem auxilium praestent, praecipue pauperibus et aegrotis subveniant, aes alienum solvant, testamentum suo tempore conficiant, rixas componant, armati incedere omittant neve absque necessitate iurent. Quicumque vere catholicus est, bona aliena restituit, debita sua solvit et adversariis suis reconciliatus est, ad hanc societatem recipi potest. Uxores vero praeterea consensu mariti sui indigent. Quod attinet organisationem societatis, duo ministri praesunt, qui, aeque ac thesaurarius, quotannis aliis locum cedere debent; praeterea commemoratur visitator, cui ius inspectionis competit et „religiosus“, qui coram membris conferentias religiosas habeat.

Quamquam haec regula longe lateque propagata esse videtur, tamen decurrente tempore inter singulas societates per diversas urbes dispersas magnae differentiae oriri debebant; nam praeter brevem

---

[1] BF I 65 242. [2] A. SS. April. III 594. *Chevalier*[2] 2929.

[3] Textum vide apud *Sabatier*, Regula antiqua. *Böhmer*, Analekten 73. Memoriale absque additionibus vide *Mandonnet* 35 (177).

regulam initio omnis ratio uniens deerat. Ideoque singulae communitates additiones vel mutationes inducere poterant, sicut conditioni locali convenire credebant. Accessit diversitas regiminis superioris, quod erat penes visitatorem. Non patet, utrum hic clericus an laicus fuerit; sed quia societati ius eundem instituendi non conceditur, ipse probabiliter iuxta ius commune ab Episcopo nominandus erat[1]. Denique nomen vagum „religiosi“ diversitates adducere debuit. Ubi enim Minoritae non erant, vel hoc munus non suscipiebant, vel eis hoc officium non offerebatur, alius religiosus illud suscipere potuit. Mirum igitur non est, si societates regimini Minoritarum subditi in dies magis cum ordine coniungebantur, cum ceterae sensim sine sensu oblitae sint se aliquando cum ordine cohaesisse.

Ordo Franciscanorum ipse mox regimen Tertiariorum tamquam officium suscipere recusavit. S. Bonaventura[2] contra adversarios non minus quam duodecim rationes adducit „Cur Fratres non promoveant ordinem Poenitentium“. Praeter alia scribit ordinem, si totalem curam Tertiariorum susciperet, libertatem suam omissurum esse et in innumeras difficultates cum clero et magistratibus civilibus implicatum iri. Hoc praecipue maximi videtur fuisse momenti. Fratres Poenitentes enim partim vi communis legis canonici, partim vi regulae suae privilegio gaudebant, quo neque militiae inseri neque ad magistratus publicos assumi poterant[3]. Quantumvis bonum hae ordinationes quoad pacem in communi produxerint, tamen municipia in singulis casibus hoc moleste ferebant, quare fratres Poenitentes vexabant, ut saepius Pontificem auxilii gratia adire deberent[4]. Mirum igitur non est, si Minoritae his in casibus odium suscipere nolebant. Tertiarii vero ipsi haud ambigue unionem cum ordine quaerebant. Iam anno 1247 ab Innocentio IV mandatum impetraverant, ut ministri provinciales pro collegiis Poenitentium Italiae visitandis et instruendis curarent[5]. Quatenus hoc praeceptum exsecutioni mandatum sit, non patet. Certe tempore S. Bonaventurae praxis contraria praevalebat.

Medio circiter saeculo XIII singulae communitates Tertiariorum arctius coniunctae esse et provincias constituisse videntur, quibus ministri provinciales praeerant, quos iam S. Bonaventura commemorat[6]. Immo in Italia superiori vicarii provinciarum *capitula generalia* celebrabant, velut anno 1289 Bononiae[7], in quo ministri provinciales

[1] Cf. BF I 142. [2] Opera omnia VIII 368.
[3] *Mandonnet* 27 (169).
[4] BF I 8 30 39 99; II 42. [5] BF I 464. [6] Opera omnia VIII 369.
[7] *H. Golubovich:* Arch. II (1909) 63.

iam accurate a ministris civitatum distinguuntur. Ibi quoque decretum est, ut fratres municipiis quoad receptionem magistratuum publicorum magis quam hucusque obsecundarent. Maioris tamen momenti est, quod capitulum generale cuidam Hugolino Medici Ferrariensi gratias agit, quia in curia cum zelo et successu „pro *confirmatione* regulae nostrae“ laboravit. Agitur hic de regula viginti capitulorum, quam *Nicolaus IV* tribus mensibus ante, die 18 Augusti anni 1289, pro tertio ordine S. Francisci confirmaverat[1], quaeque inde usque ad Leonem XIII immutata permansit. Tenor huius regulae neque Nicolaum IV neque S. Franciscum auctorem habet, summa vero eiusdem nihil aliud est, quam nova magisque evoluta redactio Memorialis anni 1221. Quando perfecta sit, nondum patet. Fieri potuit, ut in altera parte saeculi XIII in quodam capitulo generali fratrum Poenitentium compilata sit, quo facto ipsi approbationem Pontificis accipere studuerunt. Nicolaus IV in summa hanc tantummodo adiunxit sententiam: „Quia vero praesens vivendi forma institutionem a beato Francisco praelibato suscepit, *consulimus,* ut visitatores et informatores de fratrum Minorum ordine assumantur, quos custodes et guardiani eiusdem ordinis, *cum super hoc requisiti fuerint,* duxerit assignandos. Nolumus tamen congregationem huiusmodi a laico visitari.“ Quamquam durantibus annis sequentibus aliquot communitates instigantibus probabiliter visitatoribus prioribus huic contradixerunt[2], tamen verisimile est fratres Poenitentes ipsos Pontifici hoc suggessisse, alioquin confirmationem non tam grate recepissent. Nicolaus IV, qui antea fuerat Minorita ideoque sensum ordinis non ignorabat, diplomaticam hanc inseruit sententiam, quae utrique parti aliquam reliquit libertatem.

Visitatio neque durante saeculo XIV uniformi ratione fiebat, quamquam Minoritae regimini tertii ordinis repugnare desierant, e contra maiorem eiusdem curam gerebant ac antea, quod praecipue pro Germania valet, ubi Tertiarii gravibus obnoxii erant persecutionibus, quia partim cum Beghinis uniti erant ideoque cum ipsis confundebantur[3]. Hac occasione Franciscani semper pro Tertiariis contra diversos eorum adversarios pugnabant. Sed saeculo XIV Minoritae in regimine tertii ordinis aemulos acceperunt illos Tertiarios,

---

[1] BF IV 94. Textus originales 77. Eius tenorem ante annum 1289 referunt *L. Waddingus,* B. P. Francisci Opuscula, Antwerpiae 1623, 223. W II 9. Gub. II 784.

[2] BF IV 167.

[3] Plura vide apud *Eubel,* Oberdeutsche Minoritenprovinz 221. Cf. ALKG III 27.

qui societates regulares constituerant et ius sibi vindicabant regendi exclusis ceteris membra saecularia tertii ordinis. Haec controversia, quae usque ad saeculum XVI durabat, modo in favorem Minoritarum modo in favorem Tertiariorum regularium decisa est[1]. Simul sensim sine sensu alia mutatio magni momenti accidit. Iuxta regulam Nicolai IV facultas recipiendi nova membra solis ministris, i. e. praesidibus a fraternitate electis competit. Sed superiores Tertiariorum regularium, qui etiam titulum ministrorum acceperant, officium praesidum Tertiariorum saecularium continuasse et ius recipiendi obtinuisse videntur. Ideoque et praesides conventuum Minoritarum idem ius sibi vindicabant, quod iam anno 1390 a Pontifice pro singulari quodam casu confirmatum est[2]. Ineunte saeculo XVI superiores Conventualium, Observantium et Tertiariorum regularium practice eisdem facultatibus quoad receptionem utebantur[3]. Legislatio temporis posterioris saepius quidem hanc rerum conditionem mutare conata est, quin tamen practice aliquid assecuta esse videatur. Certum saltem est Franciscanos iure visitandi et recipiendi a saeculo XVI in plurimis ditionibus nullo interpellante usos esse, cum clerus saecularis idemtidem prohiberi deberet influxum in tertium ordinem exercere[4]. Singulare quid accidisse videtur, cum aliquando Tertiariae *saeculares* a viris eiusdem societatis discederent et ministras independentes eligerent, quae etiam facultate sorores recipiendi utebantur[5].

Saeculo XVII et XVIII schismata in ordine gliscentia etiam in tertium ordinem influxum exercebant perniciosum stultasque dissensiones produxerunt. Imprimis Capuccini, postquam vetus statutum contrarium reliquerunt, eadem iura in tertium ordinem consequi studuerunt ac Observantes et Conventuales, quae etiam anno 1620 impetrarunt[6]. Deinde Benedictus XIII anno 1725[7] divisioni et zelotypiae in dies crescenti — modo omnino insipido tertius ordo dicebatur Conventualium, Capuccinorum etc. — finem facere voluit Tertiarios omnes ministro generali Observantium submittens, quem „ipsius fundatoris legitimum successorem atque trium ordinum beati Francisci primarium Generalem“ agnoscerent et honorarent. Simul decrevit, ne in locis, in quibus iam aliqua congregatio tertii ordinis exsistebat, nova congregatio fundaretur. Annis sequentibus Papa ipse ordinationes suas iterum infregit declarans tertium ordinem, quatenus rege-

---

[1] Gub. II 801 887. *Angelico da Vicenza* III 169.
[2] BF VII 13. [3] Firm. V 34. [4] Chron. III 1, 536.
[5] W XI 382. [6] BC I 63 124 144 174 203. [7] BD III 307.

retur a Conventualibus et Capuccinis, a ministro generali totius ordinis esse independentem. Praeceptum vero, ut in singulis civitatibus *singulae* tantummodo congregationes admitterentur, intactum permansit [1], sed exsecutioni non est mandatum. Praecipue Discalceati illud penitus neglexerunt fundantes collegia in locis, ubi iam Observantes congregationem tertii ordinis regebant, quod rixas scandalosas produxit [2].

Saeculo XIX opposita in dies sunt diminuta. Simul apparuit praecepta, quae tertio ordini saeculi XIII fuerant apta, tempore moderno modificatione indigere, ne ordo ipse vigorem et influxum suum amitteret. Igitur Leo XIII, qui ipse fuit Tertiarius zelosus, constitutione „Misericors Dei filius" die 30 Mai anni 1883 [3] novam regulam edidit, quae nervosa lingua et moderno stylo iuridico conscripta est. Omnes ordinationes graviores regulae Nicolai IV, quae pro tempore nostro adhuc alicuius sunt momenti, retentae et indigentiis modernis accommodatae sunt. Praecepta orationes et ieiunia concernentia essentialiter mitigata sunt, sed loco confessionis antea ter in anno peragendae ordinatum est, ut Tertiarii singulis mensibus confiterentur. Magni momenti pro vita sociali et religiosa sunt, quae disponuntur contra luxum vestium et vitae, contra frequentiam spectaculorum ineptorum et contra litteraturam fidem et mores corrumpentem. Gubernium ordinarium singulis congregationibus primi ordinis et Tertiariorum regularium commissum est servata iurisdictione Episcoporum. Liberali delegatione ex parte rectorum ordinariorum etiam parochi congregationem tertii ordinis constituere et regere possunt. Praeterea aliquis membrum tertii ordinis fieri potest, quin congregationi in certo loco exsistenti annumeretur.

Consequentia naturalis edicti Leonis XIII erat *magnum incrementum* tertii ordinis, prout tempore praeterito fortasse nunquam accidit. Novimus quidem durante saeculo XIII paene ubique, praecipue in urbibus Italiae Tertiarios exstitisse. Si credimus adversario, circa medium saeculum XIII in Italia vix inveniebantur, qui non alicui societati Tertiariorum annumerarentur [4]. Accuratior tamen statistica desideratur. Sed ex anno 1384 [5] adest diploma, in quo praeter sta-

---

[1] BD III 343 347 396. [2] BD IV 227 249 478 503.

[3] *M. Fernández García,* Leonis XIII. Acta ad tertium franciscalem ordinem spectantia, Quaracchi 1901, 72. Acta II 89.

[4] *Michael,* Geschichte des deutschen Volkes II 96.

[5] EF X (1903) 95. Possibile est, ut hae congregationes societates regulares fuerint.

tisticam ordinis etiam „congregationes Tertiariorum Poenitentium" recensentur, quarum 244 erant, 145 in Italia. Ex hoc coniciendum esse videtur tertium ordinem saeculo XIV decrevisse, cuius rei causa etiam in eo sita erat, quod multi Tertiarii ordinibus se adiunxerunt. Saeculo XV tertium ordinem propagare studuerunt: *S. Coleta* in Gallia, *S. Capistranus* in Germania et Polonia, *Bernardinus a Bustis* in Italia[1]. Saeculo XVI, excepta Hispania et America, valde diminutus est, partim ratione agendi ordinis[2], partim tristi temporum conditione. In Italia circa annum 1600 tertius ordo pro saecularibus paene totaliter exstinctus erat; item in Germania inferiori, ubi praecipue *Nicolaus Vigerius* eundem denuo cum successu introducere studuit, ut vitam catholicam ad meliorem eveheret statum[3]. Saeculo XVII societates Tertiariorum novum sumpserunt impetum, cum capitula generalia idemtidem inculcassent, ut fratres eum ubique promoverent[4]. Versus finem huius saeculi Tertiarii saeculares iterum ad centena milia numerabantur[5]. Considerato zelo, quo inde omnes congregationes primi ordinis curam Tertiariorum gerebant, durante saeculo XVIII adhuc valde aucti esse videntur. Quidam apud christianos rituum Orientalium quoque hunc ordinem propagare studuerunt[6]. Tempore rebellionis Gallicae et diminutionis primi ordinis usque ad ultima decennia saeculi XIX durantis etiam tertius ordo iterum decrevit; regula vero a Leone XIII reformata denuo inopinatum sumpsit impetum. Modo numerus membrorum saecularium tertii ordinis censendus est ad vicies et quinquies centena milia[7].

§ 124. Momentum tertii ordinis pro saecularibus.

Si Christus in cordibus omnium hominum viveret et evangelium ab omnibus membris ecclesiae vere observaretur, ordines religiosi et praecipue tertius ordo pro saecularibus omnino supervacanei

---

[1] Histoire abrégée de l'ordre de Ste Claire I 226. W XII 309. Firm. V 37.
[2] Gub. III 222. [3] Histor.-polit. Bl. CXXXVI (1905) 812.
[4] Gub. III 653; IV 29. Chron. III 1, 315. Giard. I 226.
[5] Gub. II 916. *I. Franchini,* Status religionis franciscanae 25.
[6] Chron. IV 246.
[7] Secundum Acta XXVII 111 mense Octobri anni 1907 sub regimine Fratrum Minorum ultra 6000 congregationes cum circiter 1 140 000 membris inveniebantur. Secundum Anal. Cap. XXIV 105 Capuccini ineunte anno 1908 ultra 850 000 Tertiarios gubernabant. Accedunt congregationes sub Conventualibus et Tertiariis regularibus constitutae et societates sub regimine cleri saecularis exsistentes; de numero membrorum eorundem statistica accurata non adest.

essent, quia magna organisatio ecclesiae a Deo data sufficeret solvendis omnis suis muneribus. Cum vero haec non ita sint, omnibus temporibus animae a Deo inspiratae homines eiusdem indolis collegerunt, ut certos assequerentur fines. S. Franciscus igitur nihil aliud quaesivit, quam homines verbo et exemplo ad vitam evangelicam reducere. Ubicunque eius verba audiebantur, cognoscebatur tota amplitudo praeceptorum evangelii, quae non semper legibus universalibus comprehendi possunt, sed saepe singulis tantummodo hominibus tamquam officium inviolabile se manifestant. Hominum naturae consentaneum est, ut illi arctius coniungantur, qui eodem spiritu aguntur eosdemque fines consequi student. Hoc modo enim voluntas singulorum contra difficultates externas et internas roboratur, ut influxui hominum vicinorum omnino alia studentium facilius resistant. Praeterea leges, quae tales consociationes semper aliquo modo comitantur, saepe appetitui obscuro claros praebent fines vel media certa ad assequendos hos fines.

Leges, quas S. Franciscus illis dedit, qui evangelium observare studebant, maxime simplices, tempestivae et practicae erant. Primum inculcavit officium *sanctificandi seipsum* cultu orationis et poenitentiae, sine quo vita vere christiana exsistere non potest. Ceterae ordinationes in magno praecepto *caritatis christianae* comprehenduntur, quam S. Franciscus severe exigebat ab omnibus, qui eum sequi volebant. Postulavit enim, ut concordiam servarent, inimicitias finirent, adversariis suis reconciliarentur, obligationes iustitiae suis proximis praestarent, pauperibus, aegrotis et derelictis pecunia et aliis caritatis operibus subvenirent. Haec omnia in ultima analysi nihil aliud erant, quam implere ea, quae evangelium omnibus imponit hominibus, quae tamen revera a paucis tantum praestantur. Accessit interdictum portandi arma et praeceptum vitandi iuraiuranda non necessaria, quod erat antidotum factionum tunc urbes Italiae scindentium.

Quomodo igitur tertius ordo decurrente tempore scopum suum consecutus est? Ut initium faciamus ab eis, quae ultimo descripsimus loco: dubium non est, quin durante saeculo XIII maximi fuerit momenti pro politica ecclesiastica, quod Fridericus II ipse expertus est. Tertiarii ubique dominis feudum pro libertate ecclesiae et urbium restiterunt et ubique, quatenus fieri potuit, inimicitiis privatis et bellis urbium inter se aggerem opposuerunt[1]. Quamvis hac oc-

[1] *Michael*, Geschichte des deutschen Volkes II 95. *P. Allard:* Revue des quest. hist. XLVIII (1890) 567. *A. Cristofani,* Delle storie di Assisi libri sei[3], Assisi 1902, 87.

casione errores sint commissi, tamen studia pacis faciendae tempore perturbato saeculi XIII ex parte cultus laudabilia sunt[1].

Momentum vero universale consecuta sunt, quae tertius ordo pro *sanctificandis suis membris* et pro *augmento et incremento vitae et rationis ecclesiasticae* praestitit[2]. Spiritus S. Francisci vel potius spiritus evangelii mediante tertio ordine per omnes classes generaque hominum propagatus est. Hic ordo diversitatem conditionis socialis abstulit: „Servi et ancillae, mariti et uxores, iuvenes et virgines, nobiles, principes et reges eius regulam acceperunt“[3] et sic produxit „fraternitatem universalem, in qua cliens domino suo, subditus regi, humilis christianus Pontifici manum porrigebat et in conditione ac vocatione a Deo sibi indita permanens religionem officii sui in cultum Divinum mutabat consecratus foedere cum Deo inito“[4]. Haec non vanum solummodo flatum vocis continere patet ex *magno numero Sanctorum* et egregiorum hominum cuiusque conditionis, qui membra tertii ordinis fuerunt. Gloriari potest, quod 80 fratribus et sororibus suis virtutum heroicarum ergo honos altarium adiudicatus est[5], qua in re nulla societas saecularis similis indolis tertio ordini S. Francisci par fuit, immo ipse maiorem partem societatum regularium superat. Expressis verbis hic tantummodo commemoremus amabilem heroicamque *Elisabeth a Thuringia*[6] († 1231), sanctos reges *Ludovicum a Gallia* († 1270) et *Ferdinandum a Castilia* († 1252), *Margaritam a Cortona*[7] († 1297), magnam poenitentem, *Raymundum Lullum*[8] († 1315), profundum ingenium, et *I. Vianney ab Ars*[9] († 1859), parochum salutem animarum zelantem.

Multi quoque principes *ecclesiastici et saeculares*[10] a saeculo XIII usque ad Pium IX, Leonem XIII et Pium X tertio ordini S. Francisci se adiunxerunt. Vix thronus Europaeus exstitit, quem non

---

[1] *Schnürer,* Franz von Assisi 108.

[2] *Pastor,* Geschichte der Päpste III 41.

[3] *Koch,* Niederlassungen der Minoriten im Rheingebiete 82.

[4] *Hettinger,* Aus Welt und Kirche I 187.

[5] Nomina vide in Tabella XI.

[6] *Chevalier*² 1304; ad hoc *A. Huyskens:* Histor. Jahrb. der Görres-Gesellschaft XXVIII (1907) 499 729. Arch. II (1909).

[7] *Chevalier*² 3030; ad hoc *P. Thieman*, De H. Margarita van Cortona, Cuyk a. d. Maas 1906.

[8] *Chevalier*² 3891; ad hoc *O. Keicher,* Raymundus Lullus und seine Stellung zur arabischen Philosophie, Münster 1909.

[9] *A. Germain,* Le bienheureux J.-B. Vianney, le curé d'Ars, Paris-Couvin 1905.

[10] *Patrem* 9 15 23 65 71 85 93. *Heimbucher* II² 492.

aliquod membrum tertii ordinis decoravit. Etiam viri rerum civilium periti, velut *Thomas Morus* († 1535) Anglus, et *Garcia Moreno ab Ecuador* († 1875) egregia exempla Tertiariorum fuerunt. Accedit amplissimus catalogus *doctorum, poetarum, artificum et investigatorum*[1], quorum maximi fuere: *Dante*[2] († 1321), *Giotto* († 1336), *Petrarca* († 1374), *Columbus* (1506), *Vasco de Gama* († 1524), *Cervantes* († 1616), *Lope de Vega* († 1635), *L. Galvani* († 1798), *Al. Volta* († 1827), *Fr. v. Liszt* († 1886).

At tertius ordo non solum gloriari potest, quod in summas classes societatis humanae influxum exercuit et homines praestantissimos sibi conciliavit, sed merito etiam celebratur, quod semper humilium et miserorum, anima et corpore laborantium impigram gessit curam. In terris et urbibus, ubi tertius ordo bono utebatur rectore, egregia *societas caritativa* erat, semper parata, ut hominum inopiam levaret. Multis inserviebat nosocomiis, pauperibus subveniebat, exsecutionem legatorum piorum suscipiebat, funerum et exsequiarum celebrandarum curam gerebat, inimicitias auferre et puellas lapsas salvare studebat ac homines ad crebriorem Sacramentorum receptionem incitare satagebat[3]. Mirum non est membra tertii ordinis, quae nullo vinculo communi nectebantur, horum operum exercendorum causa arctius coniuncta esse, quo factum est, ut saepius societates regulares constituerent, quamquam nomen tertii ordinis retinebant. Tales societates durante medio aevo et tempore moderno ex regula tertii ordinis crebro ortae sunt (§ 126). Considerantibus praeterea multas alias societates caritativas et sociales durante saeculo XIX ortas esse, patebit tertium ordinem pro saecularibus magnam partem operum sibi antea impositorum resignare potuisse ac debuisse.

Numquid vero hac de causa tertius ordo pro nostris temporibus nullius factus est momenti? Omisso, quod iure historico affirmare potest innumeras societates regulares milia membrorum comprehendentes, quae tertiam observant regulam, suas propagines esse, quae, ut melius partem finium tertii ordinis assequerentur, coniunctae sunt, omisso hoc etiam nostris temporibus finis primarius tertii ordinis pro saecularibus, videlicet, ut *vita religiosa intimius cordibus insera-*

---

[1] *Heimbucher* II² 492. *L. de Kerval,* S. François d'Assise 342. L'Action Franciscaine IV (1907) 296. Haec quoad singulas personas adhuc pluribus confirmanda sunt argumentis.

[2] MF III (1888) 161; V 31; IX 61.

[3] Gub. II 818. *Angelico da Vicenza* III 123. Arch. I (1908) 543.

tur, nondum supervacaneus factus est. „Etiam pro pugnis nostrorum temporum“, ita modernus apologeta[1], „restauratio tertii ordinis factum maximi momenti erit. Si aliquatenus iuxta conditiones temporum modificabitur, catholicos in pugna dispersos colliget et exercitum bene organisatum faciet, quod singulis robur, scopum, disciplinam et animum ingeret. . . . Filii Sanctorum sumus, ideoque non more filiorum Luciani et Voltaire armis ludibrii pugnamus, neque ut discipuli philosophorum strepitu verborum dialecticae artificialis, neque more potentium huius terrae, qui gratias facere et vulnerare possunt, lenocinia vel terrores adhibemus; filii Sanctorum sumus, ideoque vita fideli, sancta et heroica mundum superabimus . . .; magnis nobis opus est viris; at magna solum cogitata homines educant magnos. Ubi hae cogitationes reperiuntur, docet historia tertii ordinis. Quod cupimus, quod toties desideratur, illam ‚causam et rationem efficientem magnos viros‘, ipse abunde possedit. Huic coniunctae et organisationi ecclesiasticae, videlicet dioecesibus et parochiis subditae, societates catholicae ab omni errore indemnes servabuntur et fontem inexhaustam vigoris semper novi possidebunt.“

Revera: fingamus parochiam, in qua 100 viri prompti et 100 feminae ad omne bonum paratae libera persuasione sese obligant singulis mensibus SS. Sacramenta recipere, ubique pacis faciendae studere, litteraturam corruptam arcere, omnem luxum vitare, a choreis et spectaculis periculosis abstinere, quatenus fieri potest conferre ad sublevandam inopiam proximorum etc., qui praeterea parati sunt, vicinis suis eadem studia ingerere: Talis societas absque dubio firmum adminiculum parochi sit, selecti milites, quibus confidere potest. Quod tertius ordo unitatem magnam, totum orbem amplectentem constituit, eum catholicum reddit et viribus auget, quae in societatibus locorum limitibus coarctatis minime possunt inveniri. Ita tertius ordo praesidium contra studia religioni inimica exsistere et demonstrare potest religionem esse rem in vitam socialem maxime influentem[2], dummodo rectores congregationum localium sibi conscii sint tertium ordinem non esse solam fraternitatem, cuius munus primarium est devotiones religiosas communes celebrare. Haec S. Franciscus fundando tertium ordinem minime intendit, sed omnes *christianos colligere* studuit, qui *propositi sui sibi conscii* vere vitam

---

[1] *Hettinger,* Aus Welt und Kirche I 220.

[2] *Schnürer* 107. *P. Timothée,* Le Tiers-Ordre et les Oeuvres: EF III (1900) 5 294 506. Les Frères Mineurs, Le Tiers-Ordre Franciscain et le mouvement social actuel, Marseille 1893 (Extrait du „XXe Siècle“).

evangelicam ducere volunt, pro qua et iacturas facere parati sunt. In hoc tota vis tertii ordinis recondita est, quae clare apparet, ubicumque societas ipsa vires suas non diminuit recipiendo membra, quae iuxta voluntatem fundatoris arcenda sunt.

Paucis de valore tertii ordinis pro nostris temporibus ita persuasum erat ac Leoni XIII, qui in officio Episcopi Perusini occasione visitationum expertus erat illas parochias esse optimas, in quibus tertius ordo florebat. Cum igitur S. Sedem conscendisset, nullam occasionem praetermisit, quin persuasionem suam aperiret. In encyclica „Auspicato" anno 1882 edita[1] omnes Episcopos hortatur, ut tertii ordinis promovendi curam gererent, simul officia eiusdem his pulcherrimis describens verbis: „Praeceptis Dei Ecclesiaeque obtemperetur: absint factiones et rixae: nihil detrahatur de aliena re: nisi pro religione patriaque ne arma sumantur: modestia in victu cultuque servetur: facessat luxus: periculosa chorearum artisque ludicrae lenocinia vitentur." Postquam eius regulam conditionibus temporum adaptavit, ubique nova vita in societatibus Tertiariorum florescere coepit et multi congressus celebrati sunt. In celeberrimo eorum, qui Romae anno 1900 habitus est, vir peritus haec verba notatu digna locutus est: „Tertius ordo non est machina bellica. Vocatus est, ut pacem faciat inter diversas societatis classes, ergo bellum inter eas excitare non intendit." [2]

Fortasse valorem internum tertii ordinis pro tempore moderno nihil magis declarat, quam quod novissimis temporibus etiam in *ecclesiam Anglicanam* introductus est, mutata sane regula, sed sub eodem nomine[3]. Iam in multis parochiis etiam coloniarum Angliae membra eiusdem inveniuntur, quorum opera valde laudantur.

§ 125. Tertius ordo regularis virorum.

Quamquam intentionibus S. Francisci certe non erat consentaneum, ut homines eiusdem sententiae, qui iuxta ordinationes ab eo datas in mundo vivebant, societates regulares constituerent, tamen iam durante saeculo XIII ex tertio ordine tales ortae sunt congregationes. Anno 1295 Bonifatius VIII permisit, ut Tertiarii Germaniae superioris, qui vitam communem ducebant, in residentiis suis ora-

---

[1] *Fernández,* Acta Leonis XIII tert. ord. spect. 19.

[2] EF IV (1900) 436.

[3] *L. Josa* (chaplain priest of the third order), S. Francis of Assisi and the third order in the Anglo-Catholic church[2], Oxford-London 1903.

toria erigerent, in quibus officium Divinum posset celebrari[1]. Num fratres et sorores in eadem domo habitaverint, non patet, neque vota monastica commemorantur. Censemus igitur ibi Tertiarios eiusdem indolis familia carentes cohabitasse. Similia facta sunt et alibi, praesertim cum vestis propria, quam multi Tertiarii portabant, talem congregationem redderet faciliorem[2]. Accedit, quod multae domus Beghinorum versus finem saeculi XIII regulam tertii ordinis accipiebant, quo facto multae societates regulares Tertiariorum iuxta diversitatem sexus separatorum ortae sunt[3].

Durante saeculo XIV haec studia creverunt, ut versus finem eiusdem saeculi societates antea voluntariae iam strictiorem exhibeant organisationem, quae in Hispania sub proprio ministro generali praeside concentratae erant[4]. Etiam Tertiarii et Tertiariae Hollandiae, qui vitam communem ducebant, unitatis normam consequi conatae sunt supplicantes Pontifici, ut sibi facultatem concederet eligendi superiorem generalem, qui quotannis capitulum generale celebrare posset. Nondum vero vota monastica emittere debebant; licebat vero castitatem solemniter vovere. Magni momenti pro posteriori evolutione est, quod ibi visitator, qui iuxta regulam ex ordine approbato desumendus erat, etiam sacerdos esse poterat, qui vitam communem cum Tertiariis ducebat[5]. Mutatio tertii ordinis in ordinem regularem valde promota est, cum anno 1412 „universi ministri et fratres de ordine tertio“ Pontificem adirent[6] exponentes Nicolaum IV prohibuisse, ne Tertiarii professione emissa in mundum reverterentur, sed decrevisse, ut, si tertium ordinem relinquere vellent, *alium* ordinem approbatum ingrederentur. Quia vero multi haec negligerent et societatem deserentes per mundum vagarentur, se Pontificem rogare, ut his malis remedium adhiberet. Ioannes XXIII eis obsecundans omnibus Episcopis mandavit, ut „inoboedientes“ Tertiarios per mundum vagantes ad suam congregationem reducerent, quo facto *vita communis hucusque voluntaria in debitam mutata est.*

Iam anno sequenti (1413) Tertiarii Flandriae Pontifici regulam propriam tria vota solemnia continentem proposuerunt, quam Papa approbavit[7]. Iuxta hanc regulam visitator adhuc ex alio ordine

---

[1] BF IV 356. [2] Cf. Gub. II 879.
[3] *Eubel,* Oberdeutsche Minoritenprovinz 11 221.
[4] BF VII 66 109 306 322. Cf. 129. [5] Ibid. 116.
[6] Ibid. 460. [7] Ibid. 471.

desumendus erat, sed gubernium magistro ex ipsa societate desumpto demandabatur, cui potestas imperandi communitatibus virorum et mulierum competebat; respectu sexus feminei ordinis „soror superior“ vices magistri gerebat, sed tantummodo casu, quo ille aberat. Martinus V eandem regulam etiam aliis congregationibus Galliae septentrionalis concessit[1], et Sixtus IV anno 1480 absolute declaravit vota a Tertiariis regularibus utriusque sexus emissa solemnia esse censenda[2]. Ex his vero nondum concludere licet talia vota ubique fuisse praescripta, sed praxis tam antea, quam postea diversa erat, quod auctoritati congregationum Tertiariorum non parum detrectavit. Martinus V anno 1428 omnes Tertiarios, saeculares et regulares, inspectioni ministri generalis totius ordinis submittens huic malo mederi conatus est[3], sed iam tribus annis post Eugenius IV hanc ordinationem iterum abstulit. Exinde quaestio, cui Tertiarii oboedire tenerentur, per integrum saeculum fluctuabat[4], quae mutatio continua eo periculosior erat, quod novellae societati religiosae gubernium commune deerat. Saeculo XV divisa erat in *multas congregationes ab invicem independentes*, quibus visitator ex eorum gremio desumptus praeesse consueverat, cuique facultates superioris generalis in domus virorum et mulierum sibi subditorum commissae erant[5]. Tales congregationes inveniebantur in Italia superiori, in Sicilia, Dalmatia, Hispania, Lusitania, Gallia, Germania superiori et inferiori (Congregatio de Zeppern)[6].

Leo X unitatem necessariam adducere studens anno 1521 *novam regulam edidit communem pro viris et feminis regularibus tertii ordinis*[7], quae decem capitula comprehendit et hodiedum in multis residentiis valet. Haec, quidquid pro communitatibus religiosis aptum erat, ex regula Nicolai IV deprompsit, cetera novis ordinationibus supplevit. Praecipue praescripsit emissionem trium votorum solemnium, introductionem clausurae vero consensui monialium obnoxiam fecit. Maximi momenti erat ordinatio, iuxta quam superiores residentiarum Tertiariorum ministris provincialibus ordinis Fratrum Minorum et visitatoribus ab eis constitutis omnino oboedire tenebantur. Ideo regulae Leonis X omnes illi restiterunt, qui principatum, quem

---

[1] Ibid. 736. [2] W XIV 256. Gub. II 836.
[3] BF VII 715. [4] Gub. II 890 sq. [5] Ibid. 832 sq.
[6] *Vernon* III 65 97 102.
[7] Textus originales 287. W XVI 127. Acta 82. Règle du Tiers-Ordre régulier de S. François approuvée par Léon X., Quaracchi 1889 (Latine-Italice-Gallice-Anglice).

hucusque inter Tertiarios occupaverant, relinquere nolebant. Pro Hispania *Antonius a Tablada*, visitator generalis domorum Tertiariorum ibi exsistentium, anno 1527 a Clemente VII impetravit, ut status iuris prior restitueretur[1]. Interpellante ordine Minorum Paulus III anno 1537 hoc decretum sui praedecessoris iterum abolevit[2], sed iam anno 1547 „minister generalis" Tertiariorum Hispanorum ab eodem Pontifice tres regulas confirmandas curavit[3], quia tertius ordo tres comprehenderet classes, videlicet fratres collegiales, moniales et ceteros fratres et sorores ordinis. Hi tamen omnes „ministro generali" fratrum collegialium oboedirent.

Quemadmodum Hispani regulae Leonis X restiterunt, ita etiam Itali, praecipue *congregatio Longobarda*[4], saltem quatenus domus virorum respiciuntur. Hae anno 1549 consentiente Cardinali protectore constitutiones condiderunt[5], quae regulam Leonis X omnino negligentes et regulam Nicolai IV parum respicientes Tertiariis plenam independentiam sub propriis superioribus generalibus et provincialibus comparant. Quia vero haec statuta non se praestabant bona et disciplinam collapsam non restaurabant, Pius V S. Carolo Borromaeo, Cardinali protectori, et ministro generali ordinis Minorum reformationem perficiendam commisit. Exitus erat, ut Pius V anno 1568 totum ordinem Tertiariorum Cardinali protectori et ministro generali totius ordinis Minoritarum subiceret. Omnibus visitatoribus vel superioribus generalibus omnium congregationum sublatis soli visitatores provinciales e gremio Tertiariorum desumpti admittebantur, qui tamen omnino a ministris provincialibus Observantium dependerent[6]. Sed iam anno 1586 Sixtus V maiori parte harum ordinationum pro Tertiariis *Italiae* iterum sublata[7], concessit, ut ipsi *visitatorem generalem* haberent, qui in capitulo generali a Tertiariis eligi et congregationem suam independenter regere posset. Ministro generali solummodo facultas remansit confirmandi visitatorem generalem et quinto quoque anno omnes domus Tertiariorum in propria persona visitandi. Simul haec congregatio eundem Cardinalem protectorem accepit ac ordo Minorum. Decurrente vero tempore iura ministri generalis totius ordinis respectu Tertiariorum desuetudine

---

[1] W XVI 593. [2] Gub. II 911. [3] W XVIII 437.

[4] *Antonius de Sillis,* Studia originem, provectum atque complementum tertii ordinis de Poenitentia concernentia, Neapoli 1621.

[5] Generalia Statuta sive Decreta fratrum tertii ordinis de Poenitentia nuncupati regularis observantiae Congregationis Langobardae. Venetiis 1551.

[6] Gub. II 852. W XX 469. [7] Gub. II 913. W XXII 361.

sublata sunt aeque ac iura eiusdem respectu Conventualium[1]. Cum Sixtus V haec decerneret, congregatio Longobarda iam *congregatio Itala* facta erat undecim provincias comprehendens[2], quia domus Siculae sub Paulo III cum ipsa erant unitae. Saeculo XVII congregationes Dalmatiae et Germaniae inferioris (Zeppern) familiae Italae adiunctae sunt[3]. Anno 1734 Clemens XII constitutiones interim compilatas (constitutiones Clementinas) confirmavit, quae anno 1888 praecipue respectu iuris constitutionis modificatae sunt[4].

Congregatio Hispana non statim conditionem decreto Pii V adductam aequo animo ferre poterat, cuius rei causa etiam imprudentia multorum ministrorum provincialium Observantiae fuisse videtur[5]. Denique Tertiarii Hispani facultatem impetrarunt eligendi proprios visitatores provinciales servata dependentia a ministro et commissario generali ordinis Minorum. Ex anno 1625 superiores trium provinciarum in paeninsula Pyrenaica exsistentium[6] capituli generalis Observantium cum iure suffragii participes facti sunt, et ab anno 1670 continuo definitorem generalem acceperunt[7], qui tamen semper ex Hispanis erat desumendus, non ex *congregatione Gallica,* quamquam haec plura comprehendebat membra, ideoque maiori iure hoc beneficium exspectare poterat. Haec congregatio, quae in disciplina regulari valde remiserat, a *Vincentio Mussart*[8] († 1637), efficaci praedicatore poenitentiae, ab interitu servata est. A conventu Parisiensi, qui appellabatur Picpus, septem provincias Gallicas Tertiariorum, ex quibus quattuor novas erexit[9], adiuvante ministro generali totius ordinis reformavit. Quia conventus, qui disciplinam recipere renuebant, novitios recipere prohibiti sunt, et difficultates, quas Tertiarii Itali eius operi parabant, ope regis Galliae superatae sunt, mox

---

[1] Gub. II 915.

[2] Nomina eorum vide in Giard. I 232.

[3] *Vernon* III 75 93 97 102.

[4] Omnia haec edicta cum constitutionibus inveniuntur in Regola del terz' ordine claustrale di S. Francesco d' Assisi, Roma 1889. Pag. 205 sq recensetur catalogus visitatorum generalium Italorum, qui in decursu temporis titulum ministri generalis acceperunt.

[5] Gub. II 914. Sed cf. W XX 166 452.

[6] Lusitaniae (in occidente), Baeticae (in meridie), Galiciae vel Legionis (in septentrione).

[7] Gub. II 915.

[8] *Bordoni,* Chronologium 487. *Vernon* III 110. Gub. II 856. W XXIII 170.

[9] S. Francisci (Paris), S. Ivonis (Rouen), S. Ludovici (Lyon), S. Elzearii (Toulouse).

omnes conventus erant reformati. Hoc facto *ordinem Tertiariorum strictioris observantiae* constituerunt propriaque statuta, substrata regula Leonis X, sibi condiderunt[1]. Constitutio eorum simillima est constitutioni Minoritarum; ad tempus visitatore generali utebantur, qui tamen ministro generali Minorum subditus erat; ceterum Vincentii Mussart intererat subditos suos cum capite ordinis coniunctos manere. Saeculo quidem XVIII, cum Tertiarii Itali magnis promissionibus propositis eos ad suas partes pertrahere conarentur, multi fluctuare coeperunt[2], attamen denique etiam hic conatus ad irritum cecidit. In viris egregiis congregationis Gallicae, quae vocatur etiam *de Picpus*, praecipue commemorandus est *Hippolytus Helyot* († 1716), qui tamquam auctor historiae universalis ordinis celebratur.

Praeter has congregationes multae aliae exsistebant, quae constitutionibus suis non minus ab invicem differebant ac congregatio Itala, Hispanica et Gallica; sed historia earum adhuc parum investigata est. Novimus tantummodo tales congregationes exstitisse in Germania superiori, ad Rhenum flumen; in Bohemia, Hungaria, Hibernia et Anglia. Multae residentiae durante reformatione ecclesiastica perierunt, nihilominus in Germania ineunte saeculo XVII ultra 200 conventus exstitisse dicuntur et in Hibernia initio saeculi XVIII adhuc circiter 30[3]. Eodem tempore congregatio Itala (simul cum Dalmatia et Belgio) solummodo 124 conventus cum 2250 fratribus possidebat, congregatio Hispana circiter 40 conventus cum 860 Tertiariis et congregatio Gallica versus 900 membra in 60 domibus[4]. Uberior materia statistica desideratur. In summa affirmare licebit Tertiarios regulares durante saeculo XV fuisse frequentissimos. Inde in plurimis ditionibus eorum numerus decrevit, quod partim circumstantiis externis causatum erat, velut reformatione ecclesiastica et transitu ad primum ordinem, partim debilitate interna, velut defectu disciplinae regularis, obscuritate mediorum et finis sui ordinis et defectu normae unientis, quam Leo X et Pius V frustra adducere conati sunt.

---

[1] Statuta Congregationis Gallicanae tertii ordinis S. Francisci de Poenit., Lugduni 1614. Constitutiones generales fratrum tertii ordinis S. Francisci de Poenitentia nuncupati Gallicanae strictae Observantiae, Rhotomagi 1627.

[2] *Othon* IV 303.

[3] *H. Helyot,* Geschichte der Klöster und Ritterorden. Deutsche Übersetzung VII 294. *Heimbucher* II² 497.

[4] Giard. I 44 232. Cf. Gub. II 916; *Haroldus,* Epitome Annal. II in Indice sub Domus fratr. III Ord.

Durante rebellione Gallica maxima pars ordinis interiit. Sola congregatio Itala in provincia Romana, Sicula, Umbro-Picena et Dalmata permansit continetque hodie 25 conventus cum 254 membris[1]. Huic anno 1906 congregatio laicorum in *Balearibus* insulis exsistens cum 4 domibus et 40 fratribus se adiunxit, porro novissimis temporibus duo conventus cum domibus studiorum in America septentrionali exstructi accesserunt, quo facto numerus universus anno 1908 circiter 360 religiosos comprehendit. Praeses prioris congregationis Italiae modo caput omnium Tertiariorum regularium factus est gaudetque titulo „ministri generalis tertii ordinis S. Francisci regularis observantiae".

Praeter hos Tertiarios regulares in sensu verbi stricto multae congregationes virorum ortae sunt, quarum membra vitam plus minusve claustralem ducunt, quamquam vota solemnia non emittunt, atque zelo et heroismo pleni caritatis operibus se impendunt. Huc pertinent ex vetustate *Obregones*[2] (fratres Minimi aegrorum curatores), qui anno 1566 a Bernardino *Obregon*[3] fundati in Hispania et Lusitania de cura pauperum aegrotorum optime sunt meriti. *Bonis filiis* (Bons-Fils)[4], qui anno 1615 in Gallia septentrionali orti sunt, eadem laus est tribuenda. Praeterea commemorandi sunt *Poenitentes grisei*[5] (Pénitents gris), qui versus finem saeculi XVI Parisiis pro educandis pauperibus iuvenibus sacerdotium aspirantibus fundati sunt. Constitutiones horum mediam tenent viam inter tertium ordinem saecularem et regularem.

Plurimae congregationes saeculo XIX ortae sunt[6], quarum maximi momenti habentur:

a) *Societas pauperum fratrum S. Francisci* cum domo matrice in loco Blyerheide Hollandiae, quae anno 1861 tamquam societas laicorum confirmata est et in Germania septentrionali, Belgio et America septentrionali praecipue curae iuventutis se impendit.

b) *Fratres Franciscani cum domo matrice Waldbreitbach* in ditione Rheni, qui anno 1860 orti sunt et praecipue curae virorum aegrotorum cuiusque generis incumbunt.

---

[1] Communicatio curiae generalitiae ordinis Romae exsistentis.

[2] Gub. II 940.

[3] *Fr. Herrera y Maldonado,* Vida y virtudes del Bernardino de Obr., Madrid 1634.

[4] *Helyot* VII 380. [5] Ibid. 384.

[6] *Heimbucher* II[2] 500. *P. Norbert,* Les Religieuses Franciscaines en France, Paris 1897, 456 461. Respectu statisticae cf. Acta XXVII 111.

c) *Fratres tertii ordinis S. Francisci in Hibernia,* qui anno 1830 pro iuventute educanda fundati sunt.

d) *Congregatio Fratrum griseorum* (Frati bigi), quam Ludovicus a Casoria (§ 96) pro cura aegrorum et educatione Nigritarum iuvenum instituit.

Denique illi Tertiarii commemorentur, qui, quin alicui congregationi annumerentur, tamquam eremitae vel fratres servientes in conventibus primi ordinis (Tertiarii commensales) commorantur[1].

§ 126. Tertius ordo regularis feminarum.

Ut in paragrapho praecedenti ostendimus, constitutio societatum regularium Tertiariarum, vel saltem mutatio harum societatum in ordinem regularem saepe simul cum studiis analogis Tertiariorum perfecta est, ideoque domus feminarum in multis terris solummodo pars communis congregationis tertii ordinis erant. Hoc praecipue ex Hispania et pluribus ditionibus Belgii atque Galliae septentrionalis patet. Denique durante saeculo XVI congregationes domus virorum et feminarum comprehendentes desiisse videntur, quia residentiae mulierum partim ordini primo partim Episcopis subiectae sunt.

Sed iam ab initio domus Tertiariarum exsistebant, quae cum congregationibus virorum non cohaerebant. Hoc certum est, quamquam saepe ambiguum manet, utri generi haec vel illa domus annumeranda sit. Vita semiclaustralis feminarum Florentiae[2], quae iam anno 1275 commemoratur, tempore prior exstitisse videtur ac fundatio residentiae Tertiariorum, neque ostendi potest numerosissimas *domus regulares* (Regelhäuser) Germaniae[3] a congregationibus virorum dependentes fuisse, immo novimus multas earum regimini Minoritarum subditas fuisse. Certissima est independentia evolutionis illarum domorum, quae originem ducunt a *B. Angelina a Corbara*[4] († 1435), quae iuxta nomen matris suae etiam Angelina a Marsciano appellatur. Cum haec anno 1397 Fulginei et paulo post etiam alibi residentias Tertiariarum fundasset, anno 1428 a Martino V facultatem impetravit, secundum quam singulis domibus licebat sibi ministram

---

[1] Ad statisticam anni 1700 cf. Giard. I 24.

[2] *Davidsohn,* Forschungen zur Geschichte von Florenz IV 78.

[3] *Huber,* Dreyfache Cronickh 1311 1350. *Eubel,* Oberdeutsche Minoritenprovinz 220.

[4] Gub. II 839. *L. Jacobilli,* Vita della b. Angelina, institutrice delle monache claustrali del terz' ordine di S. Francesco, Bologna 1659.

eligere, cuius erat novitias recipere et ad professionem admittere[1]. Ministrae domorum vero ministram generalem eligere poterant, cui facultas competebat visitandi singulas domus et membra aliarum congregationum similium recipiendi. Praeter oboedientiam debitam neque vota neque clausura[2] commemorantur. Sorores ipsae solis ministris subsunt, sed „ministri et visitatores praefati ordinis" has ministras visitare possunt. Iuxta nexum logicum hic soli superiores communitatum Tertiariorum intelligendi sunt, in medio autem relinquatur, utrum superiores congregationum saecularium an regularium fuerint. Ignoramus quoque, num hi revera iure inspectionis usi sint, sorores enim mature, probabiliter post edictum a Martino V anno 1430 editum, gubernio Observantium Italorum se subdiderunt. Ipsae in Italia saepe *Bizocchae* appellabantur, quamquam hoc nomen, aeque ac titulus *Pinzocharorum* Tertiariis saecularibus saepe impositus, etiam ad alias congregationes similes translatus est[3].

Ad congregationem ab Angelina fundatam decurrente tempore tot domus accesserunt, ut ipsa directo fundatrix Tertiariarum regularium haberetur. Quia vero crebra itinera ministrae generalis et ministrarum domorum ad capitula multas inconvenientias adduxerunt, Pius II anno 1461 officium ministrae generalis omnino abstulit[4]. Sed hoc quoque facto istae domus Observantibus tot paraverunt molestias, ut hi saepius decernerent deserendum esse gubernium illarum communitatum, quae strictam clausuram servare recusantes sororibus absque consilio per mundum vagari concederent. At, quamquam Sixtus IV decretum Observantium approbavit, tamen non ubique executioni mandatum est, quia sororibus contigit, ut ope potentium protectorum Pontificis animum flecterent. Igitur praxis diversa invaluit: pars domorum clausuram recepit, alia pars id recusans Amadeitis se subdidit[5], qui libertatem earum non adeo restrinxerunt, alia denique pars iurisdictionem Episcoporum praetulit. Etiam cum Leo X anno 1521 regulam suam edidisset (§ 125), iuxta quam omnes domus vota solemnia emittere debebant, quin ad clausuram recipiendam cogerentur, diversitas permansit. Adhuc in capitulis anni 1553 et 1583 decretum est, ut cura „Tertiariarum Italiae in communi viventium" omitteretur,

---

[1] BF VII 706.

[2] Econtra domus aliqua, quae non erat huius congregationis, iam anno 1429 clausuram accepit. BF VII 725.

[3] *L. Lemmens,* B. Bernardini Aq. Chronica 25. Gub. III 119. *Davidsohn* 79. *Heimbucher* II[2] 500.

[4] Gub. II 844. [5] *Helyot* VII 348.

nisi clausuram recipere paratae essent[1]. Denique abusus sublati sunt, cum Pius V anno 1568 omnibus domibus Tertiariarum vota solemnia emittentium mandaret, ut strictae clausurae se submitterent[2].

Quemadmodum in Italia, ita etiam in *Germania* multae domus Tertiariarum durante saeculo XV vota emittere et clausuram observare consenserunt, quae tempore innovationis religiosae monasteria Clarissarum reformatarum heroicis exemplis constantiae aemulatae sunt[3]. Uniformiter vero hoc institutum neque in Germania evolutum est. Ubique enim terrarum exsistebant Tertiariae, quae quamquam vitam communem agebant, tamen vota monastica non emittebant, ideoque nec obligatae erant clausuram recipere[4]. Etiam diversitas constitutionis et gubernii permansit, quia pars sub iurisdictione Episcoporum iuxta regulam Nicolai IV vel Leonis X vivebat, pars sub regimine Observantium iuxta regulam Leonis X et constitutiones a primo ordine compositas[5]. Praeter has societates durante saeculo XVII novae congregationes Tertiariarum regularium cum votis solemnibus et stricta clausura ortae sunt, quae certa quadam congregatione reformatae innitebantur. Huc pertinent domus, quae praeter regulam tertii ordinis etiam *constitutiones S. Petri de Alcantara* observabant[6], deinde *Tertiariae Capuccinae*[7] (sorores de Poenitentia tertii ordinis reformati, Capuccinae nuncupatae), quarum constitutiones Urbanus VIII anno 1630 confirmavit, denique *Poenitentes Recollectae*[8] (Pénitentes Récollectines), quarum institutum adiuvante Petro Marchant fundatum et anno 1634 confirmatum est, quaeque statutis aliquantulum mutatis hodiedum sub nomine *Franciscanarum Limburgensium* exsistunt. Simili modo aliae congregationes Tertiariarum regularium in multis domibus usque ad nostra tempora permanserunt. Vitam vero contemplativam, qua initio ordini Clarissarum simillimae reddebantur, ut multae domus directo ad secundum ordinem transirent, decurrente tempore reliquerunt suscipientes magis minusve opera externa, praecipue instructionem iuventutis.

---

[1] Gub. II 846; III 365. [2] W XX 471.

[3] *Gaudentius,* Beiträge 365.

[4] *Huber,* Dreyfache Cronickh 1311 1403.

[5] Cf. Gub. IV 51 79. [6] *Heimbucher* II² 488.

[7] BC V 239 245. Cf. *Heimbucher* II² 522.

[8] *N. J. Cornet,* Notices historiques sur l'ancienne congrégation de Pénitentes-Récollectines de Limbourg, Bruxelles 1869: Règle, Constitutions, Cérémonial et Coutumier des Pénitentes Récollectines de la Congrégation de Limbourg, Braine-le-Comte 1881.

Iam diximus non omnes communitates Tertiariarum vota solemnia recepisse, quare nec obligatae erant clausuram introducere. Hae libertatem sibi servantes maiora opera externa exercere poterant, quam Tertiariae in clausura viventes, ideoque etiam *sorores caritatis medii aevi* factae sunt et permanserunt usque ad nostra tempora. Nunquam uno eodemque modo organisatae erant, sed multas congregationes cum propriis statutis efformant. Partim vota non emittunt, partim solummodo vota ad tempus valentia, partim vota perpetua, sed simplicia tantum, ideoque nec clausuram observant et maximam ad partem iurisdictioni Episcoporum subsunt, quamquam multae quoque congregationes exsistunt, quae respectu privilegiorum vel certarum ordinationum iuridicarum ordini Franciscanorum aggregatae sunt. Tertius ordo gloriari potest has et congregationes virorum ipsis compares membra sua electa esse, quae Tertiarios saeculares parte scopi sui, videlicet cura sociali partim levaverunt.

Ex vetustate nominandae sunt *Hospitalitae*[1] iam saeculo XIII exsistentes, quae non obstante diverso colore habitus sui *sorores griseae* appellabantur, quaeque per Germaniam, Galliam et Belgium dispersae vivebant. Pars earum saeculo XVII clausuram recepit. Saeculo XIII quoque ortae sunt *Elisabethinae*[2], quae ab Hospitalitis non ubique poterant discerni. Haec congregatio, quae iuxta exemplum S. Elisabeth Thuringiae curam aegrotorum in hospitalibus suscipiebat, praecipue per Austriam, Germaniam et Galliam (Soeurs de la miséricorde) propagata erat. Medio saeculo XVI adhuc ultra 3800 sorores comprehendebat, et nostris quoque temporibus multas possidet residentias. Commemoranda quoque sunt priora membra *societatis S. Ursulae*[3], quam *S. Angela Merici* († 1540) tamquam congregationem sororum caritatis cum regula tertii ordinis fundavit. Multo post mortem huius Sanctae societas aliis fundamentis subnixa et in verum ordinem mutata est.

Longe maior numerus congregationum tertii ordinis durante saeculo XIX fundatus est. In Gallia sola circiter 50 societates ortae sunt et aliae ditiones huic terrae parum cesserunt[4]. Quantacumque merita hae congregationes sibi comparaverint, certum est unionem institutorum eiusdem regulae et finis saltem intra terminos unius eiusdemque terrae absque detrimento iurium Episcoporum fieri posse

---

[1] *Helyot* VII 350. [2] *Heimbucher* II[2] 504.

[3] Gub. II 849. KL XII[2] 498.

[4] *P. Norbert,* Les Religieuses Franciscaines en France, Paris 1897. *Heimbucher* II[2] 503.

ac desiderari. Nimia enim divisio multas absorbet vires, quae unitae meliorem usum invenirent. Omnes has congregationes, quae partim exiguae sunt, hoc loco enumerare non possumus; eas tantummodo commemoremus, quae *millena* membrorum continent, quaeque per plures terras disperguntur, quare valorem magis universalem adeptae sunt.

a) *Franciscanae Discalceatae,* quae anno 1835 in Hollandia fundatae sunt sub nomine „Sœurs du Tiers-Ordre de la pénitence et de la charité chrétienne". Hodie duae provinciae huius congregationis exsistunt, videlicet provincia Hollandiae et Germaniae, quae etiam residentias in Brasilia, America septentrionali et in coloniis Hollandiae et Germaniae possident.

b) *Sorores pauperum S. Francisci ex domo matrice Aquisgranensi* (Aachen). Haec societas, quae anno 1845 a *Francisca Schervier*[1] († 1876) fundata est, ut pro viribus miseriam sublevaret humanam, per Germaniam et Americam septentrionalem propagata est.

c) *Congregatio sororum S. Crucis ex domo matrice Ingenbohl,* quae anno 1852 studiis *Theodosii Florentini* (§ 120) orta est. Numerosae domus huius societatis in Germania et Austria exsistentes octo provincias constituunt; plures sorores etiam in missionibus occupantur.

d) *Pauperes Franciscanae adorationis perpetuae ex domo matrice Olpe* (dioecesis Paderbornensis) anno 1857 fundatae in Germania et America septentrionali curae aegrorum et educationi iuventutis, praesertim neglectae, incumbunt.

e) *Congregatio Stigmatinarum*[2] (sororum SS. Stigmatum), quam *Anna Lapini* († 1860) constituit, multo cum fructu in scholis et orphanotrophiis Italiae et paeninsulae Balcani laborat.

f) *Congregatio missionariarum Franciscanarum*[3] anno 1876 in Ootcumund Indiae orientalis ab *Helena de Chappottin* (Maria de Passione) fundata hodie in octo provinciis iam circiter 4000 sororum comprehendit, quae in residentiis per totum orbem dispersis operibus caritatis incumbunt et missionariis optime inserviunt. Sano, valido et genuino spiritui Franciscano constitutionum suarum conformes actionem universalem, omnia complectentem explicant, quae actionem Franciscanam saeculi XIII in memoriam revocat. Ut singulae sorores

---

[1] *J. Jeiler,* Die gottsel. Mutter Franziska Schervier[2], Freiburg 1897.

[2] Acta II 201; VII 178.

[3] Acta XXIII 268. L'abbé *Hamart,* Les Franciscaines Missionaires de Marie, Vanves près Paris 1903; Constitutions des Soeurs Franciscaines Missionaires de Marie, Vanves 1890.

iuxta indolem propriam in diversis locis occupari possint, saltem tres linguas perdiscere debent.

Praeterea multae aliae congregationes, velut sorores ex domibus maternis *Salzkotten* (dioecesis Paderbornensis), *Thuine* (dioecesis Osnabrugensis), *St Mauriz* prope Monasterium (Münster), *Gemona* etc. partim saltem in missionibus occupantur.

Accuratam *statisticam* Tertiariarum regularium designare ne hodie quidem contigit, multo igitur magis pro praeteritis desideratur temporibus. Saeculo XVII ad finem properante Gubernatis tradit moniales tertii ordinis (probabiliter ergo Tertiariae in clausura viventes) in infinitum crevisse [1]. Notitiae de ceteris feminis tertii ordinis [2] adhuc omnino desunt. Nostris temporibus numerus sororum in diversis domibus et congregationibus tertii ordinis viventium ad 60000 censendus est [3].

Conclusio.

Septem saecula ante nostros praeterlapsa sunt oculos. Semen, quod pauperculus Assisiensis dispersit, ubique terrarum enascens in decursu omnium saeculorum uberrimos produxit fructus usque ad nostra tempora. Non omnes quidem, qui nomine S. Francisci gloriati sunt, spiritum sui patris penetrarunt plurimique rebus minutissimis insistentes, ea, quae sunt gravissima, obliti sunt; attamen, numquid non idem committeremus vitium, si respicientes ad totam ordinis historiam in his solummodo immoraremur? Verum quoque est, omissis schismatibus durante tempore factis ordinem ita evolutum esse, ut *externa specie* non amplius idem videatur ac tempore S. Francisci. Quis vero affirmabit ordinem non ita evolvi debuisse, ut iuxta indolem sibi propriam perficeretur? Saltem spiritus S. Francisci, spiritus evangelicus simplicitatis, ingenuitatis, veritatis, pacis, laetitiae, heroismi, intimi amoris Christi et efficacis caritatis proximorum

[1] Gub. II 916. Collationes ad statisticam domorum inveniuntur in *Gonz.* sub rubrica „Monasteria“ post descriptionem singularum provinciarum adducta; praeterea indices singulorum tomorum annalium Waddingi sub Domus sororum III Ord. Cf. *Haroldus,* Epitome II sub Domus.

[2] 700 „Terziarie Collegiate“ in Giard. I 24 adductae probabiliter sorores erant, quae labores externas pro monasteriis clausuram servantibus suscipiebant.

[3] Acta XXVII 111 numerum pro anno 1907 ad 41106 assignant. Omissis vero partibus vacuis, quae in tabella ipsa inveniuntur, etiam illae domus desunt, quae extra terminos provinciarum ordinis Minorum exsistunt, velut domus in Helvetia erectae.

fundationem S. Francisci non deseruit. Hoc spiritu innixus ordo durante medio aevo admirabilem explicavit actionem idemque spiritus hodiedum eum tam aptum reddit ad alliciendos animos, ut innumeri homines partim in saeculo partim in claustris degentes circa vexillum S. Francisci congregentur praestantes opera pacis. Spiritus quippe sancti evangelii nunquam veterascet. „Hanc salutationem revelavit mihi Dominus“, ita Sanctus in suo testamento, „ut diceremus: Dominus det tibi pacem!“ Quamdiu ordo hoc desiderium sui patris adimplebit, tamdiu hominibus pacem sitientibus gratus erit multaeque miseriae humanae ei ignoscentur.

Aliud quoque documentum historia nobis subministrat, videlicet: non mundo solum filii S. Francisci pacem afferant, sed etiam propriae domui, fissuras temporum praeteritorum apposite ad indolem sui fundatoris reficientes, qua in re fratres iam bonum ceperunt initium. Ordo septimum exsistentiae suae saeculum celebrans in se ipso vegetior et validior est, quam ante 100 vel 200 annos. Utinam futura prosperum hoc initium feliciter perficiant!

„Pax huic domui!“

Tabellae.

I. Ministri generales totius Ordinis Fratrum Minorum [1].

1.	S. Franciscus			† 1226	X.	3.
	Vic. gen.: Petrus Cataneo			1220—1221	III.	10.
	Vic. gen.: Elias de Cortona			1221—1227	V.	29.
2.	Ioannes Parens	29.	V.	1227—1232	V.	29.
3.	Elias de Cortona	29.	V.	1232—1239	V.	14.
4.	Albertus a Pisis	14.	V.	1239—1240	I.	23.
5.	Haymo de Faversham	1.	XI.	1240—1244.		
6.	Crescentius Grizi Aesinus			1244—1247	VII.	13.
7.	B. Ioannes Buralli Parmensis	13.	VII.	1247—1257	II.	2.
8.	S. Bonaventura de Balneoregio	2.	II.	1257—1274	V.	19.
9.	Hieronymus Massi Asculanus	19.	V.	1274—1279	V.	20.
10.	Bonagratia Tielci a S. Ioanne in Porseceto	20.	V.	1279—1283	X.	3.
	Vic. gen.: Petrus de Falgario			1283—1285	V.	12.
11.	Arlottus de Prato	12.	V.	1285—1286	IV.	
	Vic. gen.: Petrus de Falgario		IV.	1286—1287	V.	24.
12.	Matthaeus ab Aquasparta	24.	V.	1287—1289	V.	28.
13.	Raymundus Gaufredi (Godefroy)	28.	V.	1289—1295	X.	29.
14.	Ioannes Mincio a Murrovalle	12.	V.	1296—1304	V.	16.
15.	Gonsalvus a Valboa	16.	V.	1304—1313	IV.	13.
16.	Alexander Bonini ab Alexandria	2.	VI.	1313—1314	X.	5.
17.	Michael Fuschi a Cesena	29.	V.	1316—1328	VI.	6.
	Vic. gen.: Card. Bertrandus a Turre	13.	VI.	1328—1329	VI.	10.
18.	Geraldus Odonis (Eudes)	10.	VI.	1329—1342	XI.	27.
	Vic. gen.: Fortanerius Vasalli	12.	XII.	1342—1343	V.	31.
19.	Fortanerius Vasalli	31.	V.	1343—1348	VI.	7.
20.	Gulielmus Farinier	7.	VI.	1348—1357	V.	27.
21.	Ioannes Bouchier	27.	V.	1357—1358	V.	28.
	Vic. gen.: Card. Gulielmus Farinier			1358—1359	VI.	8.

[1] Historiae et iuris canonici peritus in hanc tabellam illos ministros generales solos recipere potest, qui a quacumque alia instantia ordinis independentes fuerunt, quibusque etiam *iure* hic titulus cum praecedentia ante ceteros superiores ordinis competebat.

22. Marcus Viterbiensis	8. VI.	1359—1366	IX. 18.
Card. protector: Nicolaus a Bessa		1366—1367	VI. 5.
23. Thomas Frignano	5. VI.	1367—1372	VII. 19.
Vic. gen.: Card. Bertrandus		1372—1373	VI. 4.
24. Leonardus de Rossi a Giffone	4. VI.	1373—1378	IX.
Vic. gen.: Ludovicus Donatus		1378—1379	V. 28.
25. Ludovicus Donatus	28. V.	1379—1383	V. 29.
G. aven.: Angelus a Spoleto		1379—1391	IV.
26. Petrus de Conzano	29. V.	1383—1384.	
27. Martinus Sangiorgio	X.	1384—1387.	
Vic. gen.: Henricus Alfieri		1387—1387	V. 25.
28. Henricus Alfieri	25. V.	1387—1405	IV.
G. aven.: Ioannes a Chevegneyo	8. V.	1391—1402.	
(G. aven.: Ioannes Amici		?).	
G. aven.: Ioannes Bardolini		1403—1417.	
29. Antonius Angelus Vinitti a Pireto	6. VI.	1405—1408	XI. 20 (1421, cf. p. 90).
Vic. gen.: Angelus Salvetti de Senis	20. XI.	1408.	
30. Gulielmus Gianettini de Suvereto		1408—1409.	
31. Antonius a Cascia	14. II.	1410—1415.	
32. Angelus Salvetti de Senis	10. V.	1421—1423	X. 6.
Vic. gen.: Antonius a Massa	11. XI.	1423—1424	VI. 10.
33. Antonius a Massa maritima	10. VI.	1424—1430	VI.
34. Gulielmus Casalensis	VI.	1430—1442	II. 2.
Vic. gen.: Albertus a Sartiano	VI.	1442—1443	VI. 8.
35. Antonius Rusconi a Como	8. VI.	1443—1449	VIII. 10.
(Anti-Gen.: Matthias Doering		1443—1449.)	
Vic. gen.: Angelus Serpetri	26. VIII.	1449—1450	V. 23.
36. Angelus Serpetri de Perusia	23. V.	1450—1453	VIII. 20.
Vic. gen.: Iacobus Bussolini	10. IX.	1453—1454	VI. 8.
37. Iacobus Bussolini a Mozzanica	8. VI.	1454—1457	VII. 9.
Vic. gen.: Iacobus a Sarzuela	19. VIII.	1457—1458	V. 20.
38. Iacobus a Sarzuela	20. V.	1458—1464	V. 19.
39. Franciscus della Rovere a Savona	19. V.	1464—1469	V. 20.
40. Ioannes (= Zannettus) Dacre de Udine	20. V.	1469—1475	V. 13.
41. Franciscus Nani (Samson)	13. V.	1475—1499	X. 27.
Vic. gen.: Aegidius Delfini		1499—1500	X. 11.
42. Aegidius Delfini ab Amelia	11. X.	1500—1506	V. 30.
43. Raynaldus Graziani de Cotignola	30. V.	1506—1510.	
44. Philippus Porcacci de Bagnacavallo	18. V.	1510—1511	IX. 10.
Vic. gen.: Gometius Lusitanus		1511—1513	V. 14.
45. Bernardinus Prati de Chieri	14. V.	1513—1517	V. 30.
46. Christophorus Numai de Forlì	1. VI.	1517—1518	VII. 11.
47. Franciscus Lichettus de Brescia	11. VII.	1518—1520	XI.
Vic. gen.: Paulus a Soncino	8. XII.	1520—1521	V. 18.
48. Paulus a Soncino	18. V.	1521—1523	V. 28.
49. Franciscus de Angelis Quiñones	28. V.	1523—1527	XII. 4.
Vic. gen.: Antonius de Calcena	4. XII.	1527—1529	V. 15.

50. Paulus Pisotti a Parma	15.	V.	1529—1533	XII.	24.
Vic. gen.: Leonardus Publicio	24.	XII.	1533—1535	V.	15.
51. Vincentius Lunello a Balbastro	15.	V.	1535—1541	VI.	4.
52. Ioannes Maltei de Calvi	4.	VI.	1541—1547	I.	21.
Vic. gen.: Clemens Dolera a Moneglia			1547—1547	V.	28.
53. Andreas Alvarez (Insulanus)	28.	V.	1547—1553	V.	20.
54. Clemens Dolera a Moneglia	20.	V.	1553—1557	VI.	22.
Vic. gen.: Angelus de Aversa	22.	VI.	1557—1559	V.	13.
55. Franciscus Zamora de Cuenca	13.	V.	1559—1565	V.	9.
56. Aloysius Pozzo de Borgonuovo	9.	V.	1565—1571	VI.	2.
57. Christophorus a Capite Fontium	2.	VI.	1571—1579	VI.	6.
58. Franciscus Gonzaga Mantuanus	6.	VI.	1579—1587	V.	16.
59. Franciscus a Tolosa	16.	V.	1587—1593	VI.	5.
60. Bonaventura Secusi a Caltagirone	5.	VI.	1593—1600	V.	20.
61. Franciscus Susa de Toleto	20.	V.	1600—1606	V.	13.
62. Archangelus Gualterio Messanensis	13.	V.	1606—1612	VI.	9.
63. Ioannes Hierro	9.	VI.	1612—1613	XI.	1.
Vic. gen.: Antonius de Trejo		XI.	1613—1618	VI.	2.
64. Benignus a Genua	2.	VI.	1618—1625	V.	17.
65. Bernardinus de Sena	17.	V.	1625—1631.		
Vic. gen.: Petrus Jover	1.	XI.	1631— ?		
Vic. gen.: Antonius Henriquez			1632—1633	V.	14.
66. Ioannes Bapt. de Campanea	14.	V.	1633—1639	VI.	11.
67. Ioannes Merinero Matritensis	11.	VI.	1639—1645	VI.	3.
68. Ioannes Mazzara Neapolitanus	3.	VI.	1645—1648	IX.	26.
Vic. gen.: Daniel de Dongo			1648—1651	V.	27.
69. Petrus Manero	27.	V.	1651—1655.		
Vic. gen.: Iulianus Perez			1655—1656.		
Vic. gen.: Ioannes de Robles			1656—1658	VI.	8.
70. Michael Angelus Buongiorno de Sambuca	8.	VI.	1658—1664	V.	31.
71. Ildephonsus Salizanes	31.	V.	1664—1670	V.	24.
72. Franciscus Maria Rhini	24.	V.	1670—1674.		
Vic. gen.: Franciscus Maria Nicolis			1674—1674	X.	26.
73. Franciscus Maria Nicolis a Castel S. Pietro (de Cremona)	26.	X.	1674—1676	V.	23.
74. Iosephus Ximenez Samaniego	23.	V.	1676—1682	V.	16.
75. Petrus Marinus Sormano	16.	V.	1682—1688	VI.	5.
76. Marcus de Zarzosa	5.	VI.	1688—1690	I.	9.
Vic. gen.: Ioannes Aluin	24.	II.	1690—1690	VIII.	20.
77. Ioannes Aluin	20.	VIII.	1690—1694	V.	29.
78. Bonaventura Poerio de Taverna	29.	V.	1694—1697	IX.	5.
Vic. gen.: Matthaeus a S. Stefano	7.	IX.	1697—1697	IX.	19.
79. Matthaeus a S. Stefano	19.	IX.	1697—1700	V.	29.
80. Ludovicus Torres	29.	V.	1700—1701	X.	13.
Vic. gen.: Ildephonsus Biesma	5.	XII.	1701—1702	I.	23.
81. Ildephonsus Biesma	23.	I.	1702—1716	VIII.	20.
Vic. gen.: Iosephus Garcia	12.	IX.	1716—1717	VIII.	4.
82. Iosephus Garcia Vallisoletanus	4.	VIII.	1717—1723	V.	15.

83.	Laurentius Cozza a San Lorenzo	15.	V.	1723—1726	XII.	21.
	Vic. gen.: Matthaeus Basile	21.	XII.	1726—1727	I.	4.
84.	Matthaeus Basile de Pareta	4.	I.	1727—1729	VI.	4.
85.	Ioannes Soto Vallisoletanus	4.	VI.	1729—1736	II.	14.
	Vic. gen.: Ioannes Bermejo	7.	IV.	1736—1736	V.	4.
86.	Ioannes Bermejo	4.	V.	1736—1740	VI.	4.
87.	Caietanus Politi a Laurino	4.	VI.	1740—1744	III.	12.
	Vic. gen.: Raphael de Rossi	11.	VI.	1744—1744	VI.	22.
88.	Raphael de Rossi a Lugagnano	22.	VI.	1744—1750	V.	16.
89.	Petrus Ioannetius a Molina	16.	V.	1750—1756	VI.	5.
90.	Clemens Guignoni Panormitanus	5.	VI.	1756—1762	V.	29.
91.	Petrus Ioannetius a Molina (reelectus)	29.	V.	1762—1768	V.	21.
92.	Paschalis Frosconi a Varisio	21.	V.	1768—1791	VI.	5
	Praesidens Discretorii gen.: Carolus Iosephus a Genua			1791—1792	V.	15.
93.	Ioachim Compañy	15.	V.	1792—1806	V.	20
94.	Hilarius Cervelli a Montemagno	20.	V.	1806—1814.		
	Vic. gen.: Gaudentius Patrignani			?		
95.	Gaudentius Patrignani de Coriano	30.	IX.	1814—1817.		
96.	Cyrillus Almeda y Brea	28.	XI.	1817—1824	VI.	1.
97.	Ioannes Tecca a Capistrano	1.	VI.	1824—1830	V.	29.
98.	Ludovicus Iglesias	29.	V.	1830—1834	VIII.	10.
	Pro-Min. gen.: Andreas de Dos-Barrios			1834—1835	I.	30.
99.	Bartholomaeus Altemir	30.	I.	1835—1838.		
100.	Iosephus Maria Maniscalco ab Alexandria	13.	III.	1838—1844.		
101.	Aloysius Lauretanus	16.	VIII.	1844—1850	VIII.	30.
102.	Venantius a Celano	30.	VIII.	1850—1856	V.	10.
103.	Bernardinus Trionfetti a Montefranco	10.	V.	1856—1862	VI.	7.
104.	Raphael Lippi a Ponticulo	7.	VI.	1862—1869	IV.	23.
105.	Bernardinus dal Vago a Portugruaro	23.	IV.	1869—1889	X.	3.
106.	Aloysius Canali Parmensis	3.	X.	1889—1897	X.	5
107.	Aloysius Lauer	5.	X.	1897—1901	VIII.	21.
	Vic. gen.: David Fleming	31.	VIII.	1901—1903	V.	30.
108.	Dionysius Schuler	30.	V.	1903.		

II. Capitula generalia Fratrum Minorum[1].

Assisi	1212—1221 quotannis (?).	Rieti I	1232.
Assisi	1222 (?).	Roma I	1239.
Assisi	1223.	Anagni I	1240 XI. 1.
Assisi	1224 (?).	(Montpellier	1241.)
Assisi	1227.	Bologna I	1242.
Assisi	1230.	Genua I	1244 X. 4.

[1] Ea tantummodo capitula recensentur, quae iure eligendi „Ministros generales totius Ord. Fr. Min.“ gaudebant. Si dies et mensis non assignantur, capitulum generale tempore suo, videlicet in festo Pentecostes celebratum est.

Lyon I	1247	VII. 13.
Metz	1249.	
Genua II	1254.	
Roma II	1257	II. 2.
Narbonne	1260.	
Pisa I	1263.	
Paris I	1266.	
Assisi	1269.	
Pisa II	1272.	
Lyon II	1274.	
Padua I	1276.	
Assisi	1279.	
Straßburg I	1282.	
Milano I	1285.	
Montpellier I	1287.	
Rieti II	1289.	
Paris II	1292.	
Assisi	1295.	
Anagni II	1296.	
Lyon III	1299.	
Genua III	1302.	
Assisi	1304.	
Toulouse I	1307.	
Padua II	1310.	
Barcelona I	1313.	
Napoli I	1316.	
Marseille I	1319.	
Perugia I	1322.	
Lyon IV	1325.	
Bologna II	1328.	
Paris III	1329.	
Perpignan	1331.	
Assisi	1334.	
Cahors	1337.	
Assisi	1339	(1340 ?).
Marseille II	1343.	
Venetia I	1346.	
Verona	1348.	
Lyon V	1351.	
Assisi	1354.	
Barcelona II	1357.	
Genua III	1359.	
Straßburg II	1362.	
Firenze I	1365.	
Assisi	1367.	
Napoli II	1370.	
Toulouse II	1373.	
Aquila I	1376	VI. 13.

Gran	1379.
(Napoli	1379.)
(Paris	1382.)
Ferrara I	1383.
Padua III	1385.
(Genève	1385.)
Firenze II	1378.
(Perpignan	1388.)
Mantua I	1390.
(Montpellier	1391 ?)
Köln	1393 (1392 ?).
Rimini	1396.
Assisi	1399.
Assisi	1402.
(Avignon	1403 ?)
München	1405.
(Narbonne?	1406.)
Aquila	1408.
(?	1409; 1411.)
Roma III	1411 (Pis. Obed.).
Gaeta	1414 (Obed. Greg. XII.).
Lausanne	1414 X. 16 (Pis. Obed.).
(Pampelona	1415.)
Mantua II	1418.
Forlì	1421.
Ferrara II	1424.
Casale I	1427.
Assisi	1430.
Bologna III	1433.
Toulouse III	1437.
Genua IV	1440.
Padua IV	1443.
(Bern	1443.)
Montpellier II	1446.
Firenze III	1449.
Roma IV	1450.
Perugia II	1453.
Bologna IV	1454.
Milano II	1457.
Roma V	1458.
Dijon	1461.
Perugia III	1464.
Firenze IV	1467.
Venetia II	1469.
Ferrara III	1472.
Urbino	1475.
Roma VI	1479.
Brescia	1482.

Casale	1485.	
Cremona	1488.	
Assisi	1491.	
Bologna V	1495.	
Milano III	1498.	
Terni	1500	X. 11.
Troyes	1503.	
Roma VII	1506.	
Roma VIII	1510.	
Assisi	1513.	
Chieri	1516.	
Roma IX	1517.	
Lyon VI	1518	VII. 11.
Carpi	1521.	
Burgos I	1523.	
Parma	1529.	
Nizza	1535.	
Mantua III	1541.	
Assisi	1547.	
Salamanca I	1553.	
Aquila III	1559.	
Valladolid I	1565.	
Roma X	1571.	
Paris IV	1579.	
Roma XI	1587.	
Valladolid II	1593.	
Roma XII	1600.	
Toledo I	1606.	
Roma XIII	1612.	
Salamanca II	1618.	
Roma XIV	1625.	
Toledo II	1633.	
Roma XV	1639.	
Toledo III	1645.	
Roma XVI	1651.	
Toledo IV	1658.	
Roma XVII	1664.	
Valladolid III	1670.	
Roma XVIII	1676.	
Toledo V	1682.	
Roma XIX	1688.	
Victoria	1694.	
Roma XX	1700.	
Roma XXI	1723.	
Milano IV	1729.	
Valladolid IV	1740.	
Roma XXII	1750.	
Murcia	1756.	
Mantua IV	1762.	
Valencia	1768.	
Alcalá de Henares	1830.	
Roma XXIII	1856.	
Roma XXIV	1862.	
Roma XXV	1889	X. 3.
Assisi	1895.	
Roma XXVI	1903.	
Assisi	1909.	

III. Vicarii generales et capitula generalia Observantium usque ad annum 1517.

Familia cismontana			Familia ultramontana		
Vicarii generales	Annus[1]	Capitula generalia	Vicarii generales	Annus[1]	Capitula generalia
			Nicolaus Rodolphe[2]	1415	
				1416	Bressuire
			Thomas de la Cour[2]	1419	Cholet
	1431	Bologna			
S. Bernard. a Siena } Commissarii generales	1438				
Albert. a Sartiano } Commissarii generales	1442				

[1] Annus appositus tam inaugurationem vicarii generalis, quam tempus capituli designat. In familia cismontana vocales saepius etiam extra tempus capituli deliberationis causa convenerunt. Gub. III 108.

[2] In sensu stricto solummodo vicarius generalis Observantium Gallorum.

Familia cismontana			Familia ultramontana		
Vicarii generales	Annus	Capitula generalia	Vicarii generales	Annus	Capitula generalia
S. Ioannes a Capistrano	1443		Ioannes Perioche a Maubert	1443	
				1444	St-Omer
Iacobus a Primadizzi	1446	Roma			
				1447	St-Omer
				1448	Argenton
S. Ioannes a Capistrano 2º	1449	Firenze			
			Theodoric. Voiturier (Auriga)	1451	Barcelona
B. Marcus a Bologna	1452	Aquila			
			Ioannes Quiesdeber	1454	Basel
Baptista Tagliacarne	1455	Bologna			
Antonius a Montefalco	1457	Milano	Theodoricus Voiturier 2º	1457	Milano
Baptista Tagliacarne 2º	1458	Roma	Ioannes Mongin	1458	Roma
Ludovicus de Vicenza	1461	Osimo	Zegerus Duclair	1461	Salamanca
B. Marcus a Bologna 2º	1464	Assisi	Ioannes Maigrefort	1464	Mecheln
Baptista Tagliacarne 3º	1467	Mantua	Ioannes Philippi	1467	Montluçon
Iacobus de Corneto	1468	—			
B. Marcus a Bologna 3º	1469	Bolsena			
			Franciscus Blonde	1470	Palencia
B. Angelus a Chiavasso	1472	Aquila	Ioannes Croyn	1472	Basel
Petrus Neapolitanus	1475	Napoli	Ioannes Philippi 2º	1475	St-Omer
B. Angelus a Chiavasso 2º	1478	Pavia	Gulielmus Bertho(ld)	1478	Châteauroux
Petrus Neapolitanus 2º	1481	Ferrara	Ioannes Philippi 3º	1481	Montluçon
B. Angelus a Chiavasso 3º	1484	Alverna	Ioannes Croyn 2º	1484	Brügge
Ioannes de Sigestro	1487	Assisi	Oliverius Maillard	1487	Toulouse
B. Angelus a Chiavasso 4º	1490	Urbino	Ioannes Croyn 3º	1490	La Rochelle
Evangelista de Perugia	1493	Firenze	Oliverius Maillard 2º	1493	Florenzac
Hieronymus Tornielli	1495	Aquila			
			Franciscus Sagarra	1496	Toulouse
Ludovicus Turre de Verona	1498	Milano			
			Oliverius Maillard 3º	1499	Mecheln
Hieronymus Tornielli 2º	1501	Urbino			
			Martialis Boulier	1502	Albi
Franciscus Zeno	1504	Mantua			
			Ioannes Sauvage (Silvestris)	1505	Laval
Hieronymus Tornielli 3º	1507	Assisi			
			Martialis Boulier 2º	1508	Barcelona
Franciscus Zeno 2º	1509	Ferrara			
			Gilb. Nicolai (Gabriel Maria)	1511	Rabasteins
Timotheus de Lucca	1512	Napoli			
Bernard. Tolomeo (Commiss.)	1513	—			
Christophorus Numai	1514	Assisi	Martialis Boulier 3º	1514	Antwerpen
			Petrus de Occa	1515	—
			Gilbert Nicolai 2º	1516	Rouen

IV. Commissarii generales utriusque familiae Observantium ab anno 1517 usque ad annum 1838 (cum congregationibus generalibus).

Familia cismontana	Anni	Familia ultramontana
	1517—1521	Gilbertus Nicolai (Gabriel Maria) (Bordeaux 1520).
	1521—1523	Franciscus Quiñones.
Hilarion Sacchetti . . .	1523—1526	
Paulus Pisotti a Parma . . (Assisi 1526)	1526—1529	
	1529—1532	Matthias Weynssen a Benkan.
(Messina 1532)	1532—1535	Nicolaus Herborn (Toulouse 1532).
Leonardus Publicio . . . (Assisi 1538)	1535—1541	
	1541—1547	Germanus Aubert.
Clemens Dolera a Moneglia . .	1547—1553	
	1553—1559	Andreas Alvarez (Insulanus).
Angelus ab Aversa . . .	1559—1562	
Franciscus ab Arezzo . . .	1562—1563	
Aloysius Pozzo . . . . (Alverna 1563)	1563—1565	
	1565—1571	Franciscus Guzman.
Bonaventura de Chiavaro . .	1571—1575	
Antonius Ginestra . . . (Roma 1575)	1575—1579	
	1579—1583	Antonius Aquilario.
	1583—1587	Franciscus a Tolosa (Toledo 1583).
Antonius Thomas a Massa . . (Napoli 1590)	1587—1593	
	1593—1600	Matthaeus de Burgos.
Ioannes Franciscus Maculani .	1600—1603	
Franciscus de Belgiojoso . . (Roma 1603)	1603—1606	
	1606—1610	Petrus Gonzalez de Mendoza.
	1610—1612	?
Paulus a Sulmona . . .	1612—1615	
Evangelista de Gabbiano . . (Roma 1615)	1615—1618	
	1618—1621	Ioannes Venido.
	1621—1625	Bernardinus de Sena (Segovia 1621).
Benignus a Genua . . .	1625—1628	

Familia cismontana	Anni	Familia ultramontana
Antonius a Galbiato . . . (Roma 1628)	1628—1633	
	1633—1636	Petrus de Urbina.
	1636—1639	(Franciscus de Guerra[1].)
Benignus a Genua 2º . . . (Roma 1642)	1639—1645	
	1645—1648	Ioannes de Palma.
	1648	Iosephus Maldonato (Victoria 1648).
	1648—1651	Vicecomm.: Petrus Manero.
Sebastianus a Gaëta . . . (Roma 1654)	1651—1658	
	1658—1659	Ioannes a Robles.
	1659—1661	Vicecomm.: Andreas a Guadelupe.
	1661—1664	Ioannes Muñissa (Valladolid 1661).
Bonaventura Cavallo . . . (Roma 1667)	1664—1668	
Vicecomm. Observ.: Evangelista Barzago	1668—1669	
Vicecomm. Observ.: Benignus Florentinus . . .	1669—1670	
Vicecomm. Reform.: Franciscus a Torricella . . .	1668—1670	
	1670—1673	Iosephus Ximenez Samaniego.
	1673—1676	Didacus Fernandez (Toledo 1673).
Franciscus Maria de Niccolis (de Cremona)	1676—1679	
Antonius a San Giovanni . . (Roma 1679[2])	1679—1682	
	1682—1685	Marcus de Zarzosa.
	1685—1688	Iulianus Chumillas.
Carolus Franciscus a Varisio .	1688—1691	
Antonius Carconi ab Introduco .	1691—1694	
	1694—1695	Hyacinthus Hernandez.
	1695—1699	Antonius Folch a Cardona.
	1699—1700	Vicecomm.: Ludovicus de la Torre.
Cherubinus a Nardo . . .	1700—1703	

[1] Decretum, quo ipse a Pontifice nominatus est, mandante rege Hispaniae exsecutioni non est mandatum.

[2] Celebratum est contra ordinationem anni 1676. Gub. IV 217.

Familia cismontana	Anni	Familia ultramontana
Ioannes Antonius Panormitanus .	1703—1706	
Vicecomm. Observ.: Coelestinus Mediolanensis . . .	1706—1716	
Vicecomm. Observ.: Laurentius Cozza	1716—1721	
Vicecomm. Observ.: Franciscus ab Altamura . . .	1721—1723	
Vicecomm. Reform.: Antonius a Montebuffo . . .	1706—1710	
Vicecomm. Reform.: Carolus Franciscus a Varisio . .	1711—1712	
Vicecomm. Reform.: Deodatus Romanus	1712—1716	
Vicecomm. Reform.: Iacobus a Verrucchio . . .	1716—1718	
Vicecomm. Reform.: Ioannes Cosmas a Monteminiano . .	1718—1721	
Vicecomm. Reform.: Ioannes a Petrafitta	1721—1723	
	1723—1729	Ioannes a Soto.
Franciscus a San Severino . .	1729—1730	
Crescentius Krisper . . .	1730—1732	
Iosephus M. Fonseca ab Ebora .	1732—1734	
Vicecomm. Observ.: Ioannes Antonius a S. Croce . .	1734—1740	
Vicecomm. Reform.: Ioannes a Petrafitta	1734—1736	
Vicecomm. Reform.: Petrus Paulus de Ceriniola . .	1736—1738	
Vicecomm. Reform.: Felix Romanus	1738—1740	
	1740—1741	Dominicus Lossada.
	1741—1750	Ioannes de la Torre.
Raphael de Rossi a Lugagnano	1750—1753	
Bernardinus a Terlitio . .	1753—1756	
	1756—1760	Petrus Ioannetius a Molina.
	1760—1762	Antonius Ioannetius a Molina.
Paschalis a Varisio . . .	1762—1765	
Iosephus M. a Vedano . .	1765—1768	
	1768—1782	Antonius Abian.
	1782—1789	Iosephus Salinas.
	1789—1790	Vicecomm.: Ioachim Compañy.
	1790—1792	Ioachim Compañy.
Bonaventura a Piacenza . .	1792—1796	

Familia cismontana	Anni	Familia ultramontana
Hilarius Cervelli	1796—1806	
Andreas a Leprignano . . .	1817—1820	
Vincentius a Massa . . .	1820—1824	
Ferdinandus a S. Bartolomeo .	1830—1833	
Iosephus Maria Maniscalco ab Alexandria . . .	1833—1838	

V. Superiores generales[1] et capitula generalia Conventualium.

Superiores generales	Annus[2]	Capitula generalia
Antonius Marcellus a Cherso	1517	Roma
Antonius Sassolini Florentinus	1519	Bologna
Ioannes Vigerio a Genua	1529	Spoleto
Iacobus Antonius Ferduzzi Anconitanus . . .	1534	Milano
Laurentius Spada Bononiensis	1537	Roma
Bonaventura Pio a Costacciaro	1543	Ancona
Ioannes Iacobus Passeri a Montefalco . . .	1549	Assisi
Iulius Magnani Placentinus	1553	Genua
Ioannes Antonius Muratori a Cervia . . .	1559	Assisi
Antonius de' Sapienti ab Aosta	1562	Milano
Ioannes Tancredi a Colle Val d' Elsa . . .	1568	Roma
Ioannes Pico a Serra Petrona	1571	Camerino
Petrus Antonius Camilli a Nocera . . .	1574	Siena
Antonius Fera a Piancastagnaio	1581	Perugia
Clemens Bontadosio a Montefalco	1584	Bologna
Evangelista Pellei a Force	1587	Ascoli Piceno
Iulianus Causi a Mogliano	1590	Roma
Franciscus Bonfigli a Gualdo Tadino . . .	1590	
Philippus Gesualdi a Castrovillari . . .	1593	Roma
Iosephus Pisculli a Melfi	1602	Roma
Gulielmus Ugoni ab Avignon	1608	Assisi
Iacobus Montanari a Bagnacavallo . . .	1617	Roma
Michael Misserotti Bononiensis	1623	Roma
Felix Franceschini a Cassia	1625	Roma
Ioannes Baptista Berardicelli a Larino . . .	1635	Roma

[1] Ante annum 1587 magistri generales appellabantur, postea vero ministri generales.

[2] Annus appositus designat tam inaugurationem superioris generalis quam tempus capituli.

Superiores generales	Annus	Capitula generalia
Michelangelus Catalani a S. Mauro . . .	1647	Roma
Felix Gabrielli a Capradosso	1653	Roma
Iacobus Fabretti	1659	—
Andreas Bini a Spello	1665	Roma
Martialis Pellegrini a Castrovillari . . .	1670	—
Iosephus Amati a Massafra	1677	Roma
Antonius Aversani ab Aversa	1683	Roma
Iosephus Maria Bottari Venetianus . . .	1689	Roma
Felix Rotondi a Monteleone	1695	Roma
Vincentius Coronelli a Ravenna	1701	Roma
Bernardinus Angelus a Castel S. Angelo di Visso	1707	Assisi
Dominicus Andreas Borghesi a Pesaro . . .	1713	—
Carolus Iacobus Romilli a Bergamo . . .	1719	Roma
Iosephus Maria Baldrati a Ravenna . . .	1725	Roma
Vincentius Conti a Bergamo	1731	Roma
Ioannes Baptista Minucci a Cittareale . . .	1741	Roma
Carolus Antonius Calvi Bononiensis . . .	1747	Roma
Ioannes Baptista Costanzo a Biella . . .	1753	Roma
Ioannes Baptista Colombini a Pavia . . .	1759	Roma
Dominicus Andreas Rossi a Pesaro . . .	1765	Roma
Aloysius Maria Marzoni a Vimercate . . .	1771	Roma
Ioannes Carolus Vipera a Viterbo . . .	1777	Roma
Fridericus Laurus Barbarigo Venetianus . .	1783	Roma
Iosephus Maria Medici a Gubbio	1789	Roma
Bonaventura Bartoli a Terni	1795	—
Nicolaus Papini a San Giovanni	1803	—
Iosephus Maria de Bonis Romanus . . .	1809	—
Aloysius Battistini a Pesaro	1824	Assisi
Dominicus Secondi a Montefalco	1830	Roma
Antonius Paulus Barbetti a Rimini . . .	1833	Roma
Angelus Bigoni a Corfù	1839	Roma
Iosephus Carolus Magni a Verzeino . . .	1845	Roma
Hyacinthus Gualerni a Chiaravalle . . .	1851	Roma
Salvator Calì a Catania	1857	Roma
Ludovicus Marangoni a Vicenza	1866	Roma
Antonius Maria Adragna a Trapani . . .	1872	—
Bonaventura Maria Soldatič a Cherso . . .	1879	—
Laurentius Caratelli a Segni	1891	Roma
Dominicus Reuter	1904	Roma

VI. Superiores generales[1] et capitula generalia Capuccinorum.

Superiores generales	Annus[2]	Capitula generalia
Ludovicus a Fossombrone	1528	—
Matthaeus a Bassi	1529	Alvacina
Ludovicus a Fossombrone 2º	1529	—
Bernardinus ab Asti	1535	Roma
„ „ „ 2º	1536	Roma
Bernardinus Ochino a Siena	1538	Firenze
„ „ „ „ 2º	1541	Napoli
Franciscus ab Jesi	1543	Roma
Bernardinus ab Asti 3º	1546	Roma
„ „ „ 4º	1549	Roma
Eusebius ab Ancona	1552	Roma
„ „ „ 2º	1555	Fermo
Thomas a Città di Castello	1558	Napoli
„ „ „ „ „ 2º	1561	Roma
Evangelista a Cannobio	1564	Forlì
Marius a Mercato Saraceno	1567	Roma
„ „ „ „ 2º	1570	Roma
Vincentius a Montolmo (Pausula)	1573	Ancona
Hieronymus a Montefiorito	1575	Roma
„ „ „ 2º	1578	Roma
Ioannes Maria a Tusa	1581	Roma
Iacobus a Mercato Saraceno	1584	Roma
Hieronymus a Polizzi	1587	Roma
Silvester a Monteleone	1593	Roma
Hieronymus a Sorbo	1596	Roma
Hieronymus a Castelferretti	1599	Roma
S. Laurentius a Brindisi	1602	Roma
Silvester ab Assisi	1605	Roma
Hieronymus a Castelferretti 2º	1608	Roma
Paulus a Cesena	1613	Roma
Clemens a Noto	1618	Roma
Ioannes Maria a Noto	1625	Roma
Antonius a Modena	1633	Roma
Ioannes a Moncalieri	1637	Roma
Innocentius a Caltagirone	1643	Roma

[1] Ante annum 1619 vicarii generales appellabantur, postea vero ministri generales.

[2] Annus appositus designat tam inaugurationem ministri generalis quam tempus capituli.

Superiores generales	Annus	Capitula generalia
Fortunatus a Pieve di Cadore	1650	Roma
Simplicianus Mediolanensis	1656	Roma
Marcus Antonius a Carpenedolo	1662	Roma
Fortunatus a Pieve di Cadore 2º	1667	Roma
Stephanus a Cesena	1671	Roma
Bernardus a Porto Maurizio	1678	Roma
Carolus Maria a Macerata	1685	Roma
Bernardinus ab Arezzo	1691	Roma
Ioannes Petrus a Busto Arsizio	1698	Roma
Augustinus a Tissana	1702	Roma
Bernardinus a Saluzzo	1709	Roma
Michael Angelus a Ragusa	1712	Roma
Ioannes Antonius Florentinus	1719	Roma
Bernardinus a S. Angelo in Vado	1721	—
Hartmannus a Brescia	1726	Roma
Bonaventura a Ferrara	1733	Roma
Iosephus Maria a Terni	1740	Roma
Sigismundus a Ferrara	1747	Roma
Seraphicus a Ziegenhals	1754	Roma
Paulus a Colindres	1761	Roma
Amatus a Lamballa	1768	Roma
Erhardus a Radkersburg	1775	Roma
" " " 2º	1782	Roma
Angelicus a Sassuolo	1789	Roma
Nicolaus a Bustillo	1796	—
Michael Angelus a San Sepolcro	1806	—
Marianus ab Alatri	1814	—
Franciscus a Solchaga [pro Hispania] . . .	1818	—
Ludovicus a Frascati	1824	—
Ioannes a Valenzia [pro Hispania] . . .	1830	Madrid
Eugenius a Rumelly	1838	—
Aloysius a Bagnaia	1844	—
Venantius a Torino	1847	Roma
Salvator ab Ozieri	1853	Roma
Nicolaus a S. Giovanni in Marignano . . .	1859	—
Aegidius a Cortona	1872	—
Franciscus a Villafranca	1879	—
Aegidius a Cortona 2º	1881	—
Bernardus Christen ab Andermatt . . .	1884	Roma
" " " " 2º . . .	1896	Roma
Pacificus a Sejano	1908	Roma

VII. Cardinales protectores ordinis Fratrum Minorum.

Hugolinus de Segni . .	1220—1227	S. Carolus Borromeo . .	1564—1572
Raynaldus de Segni (Alexander IV) . . .	1227—1261	Iulius Feltre de la Rovere	1572—1578
Caietanus Orsini . . .	1263—1279	Franciscus Alciatus . .	1578—1580
Matthaeus Rossi (Orsini)	1279—1306	Ferdinandus de' Medici .	1580—1588
Ioannes Mincio a Murrovalle	1307—1312	Hieronymus Mattei . .	1588—1603
Arnoldus a Pelagrua .	1313—1334	Pompeius Arrigonius . .	1604—1616
IacobusCaietanusStefanelli	1334—1343	Fabricius Verallo . .	1616—1624
Talairandus Périgord .	1343—1364	Franciscus Barberini . .	1633—1678
Nicolaus Bellefaye a Bessa	1366—1369	Alderanus Cybo . . .	1678—1699
Philippus Cabassole . .	1369—1372	Fabricius Spada . . .	1699—1717
Gulielmus de la Jugie (Iudicis)	1373—1374	Laurentius Cazoni . .	1718—1720
Gregorius XI . . .	1377—1378	Laurentius Corsini (Clemens XII) . .	1720—1733
(Iacobus Orsini ?)		Troianus de Aquaviva .	1733—1747
Franciscus Carbonari .	1390—1405	Hieronymus Colonna . .	1747—1763
Iordanus Orsini . . .	1405—1438	Aloysius M. de Torregiani	1763—1777
Iulianus Cesarini . .	1439—1444	Bernardinus Giraud . .	1777—1782
Dominicus Capranica a Fermo . . .	1445—1458	Pius VI	1782—1787
Bessarion	1458—1472	Romualdus Braschi .	1787—1817
Petrus Riario . . .	1472—1474	Petrus Franciscus Galleffi	1817—1837
Iulianus de la Rovere .	1474—1503	Aloysius Lambruschini .	1837—1854
Dominicus Grimani . .	1503—1523	Antonius M. Cagiano .	1854—1867
Andreas de Valle . .	1523—1534	Aloysius Amat . . .	1867—1878
Franciscus Quiñones . .	1534—1540	Aloysius Bilio . . .	1878—1884
Rudolphus Pius Leonelli .	1540—1564	Ioannes Simeoni . . .	1884—1892
		Leo XIII	1892—1903
		Pius X	1903.

VIII. Cardinales protectores Conventualium[1].

Philippus Vastavillani .	1580—1587	Nicolaus Coscia . . .	1725—1755
Hieronymus de la Rovere	1587—1592	Prosper Sciarra Colonna .	1755—1765
Augustinus Cusani . .	1592—1598	Flavius Chigi . . .	1765—1771
Alphonsus Visconti . .	1598—1608	Clemens XIV . . .	1771—1774
Marcellus Lante . . .	1608—1652	Ioannes Baptista Rezzonico	1775—1783
Camillus Astalli . . .	1652—1663	Gregorius Antonius Maria Salviati . . .	1783—1794
Gilbertus Borromeo . .	1663—1672	Aurelius Roverella . .	1794—1812
Flavius Chigi . . .	1672—1698	Petrus Franciscus Galleffi	1812—1837
Leander Colloredo . .	1698—1709		
Iosephus Vallemani . .	1709—1725		

[1] Ubi nihil aliud comperimus, ibi tamquam initium protectoratus designavimus annum, quo mortuus est praedecessor, quae tamen coniectura certe non semper probabilis est.

Iacobus Giustiniani . .	1839—1843	Antonius de Luca . .	1872—1883
Franciscus Antonius Orioli	1843—1852	Angelus Bianchi . . .	1884—1897
Gabriel della Genga Sermattei . . .	1852—1861	Lucidus Maria Parrocchi .	1897—1903
Nicolaus Clarelli Paracciani	1861—1872	Cavagnis	1903—1906
		Merry del Val . . .	1907.

IX. Cardinales protectores Capuccinorum.

Iulius Feltre de la Rovere[1]	1564—1578	Ignatius Boncampagni .	1785—1790
Iulius Antonius Santorio	1580(?)—1602	Vitaliannus Borromeo .	1790—1793
Franciscus de Joyeuse .	1603—1615	Henricus Benedictus M. Stuart (Dux Eboracensis) . . .	1793—1807
Alexander Peretti de Montalto	1615—1623	Alexander Mattei . .	1807—1820
Ludovicus Lodovisio . .	1623—1632	Augustinus Rivarola . .	1820—1842
Antonius Barberini . .	1632—1646	Carolus Acton . . .	1842—1847
Bernardinus Spada . .	1646—1661	Antonius Franciscus Orioli	1847—1852
Hieronymus Farnese . .	1662—1668	Raphael Fornari . . .	1852—1854
Carolus Bonelli . . .	1668—1671	Gabriel Ferretti . . .	1854—1860
Fridericus Borromeo . .	1671—1673	Gabriel Sermattei della Genga . . .	1860—1861
Iacobus Rospigliosi . .	1673—1677	Benedictus Barberini . .	1861—1863
Nicolaus Acciajoli . .	1677—1719	Iosephus Milesi-Pironi-Ferretti	1863—1873
Franciscus Barberini . .	1719—1738	Raphael Monaco La Valetta	1873—1896
Bartholomaeus Ruspoli .	1738—1741	Antonius Agliardi . .	1896.
Thomas Ruffo . . .	1741—1753		
Carolus Albertus Cavalchini	1753—1774		
Innocentius Conti . .	1774—1785		

X. Series Pontificum ab Innocentio III.

Innocentius III	8.	I.	1198—1216	VII.	16.
Honorius III	18.	VII.	1216—1227	III.	18.
Gregorius IX	19.	III.	1227—1241	VIII.	22.
Coelestinus IV	24.	X.	1241—1241	XI.	10.
Innocentius IV	25.	VI.	1243—1254	XII.	7.
Alexander IV	12.	XII.	1254—1261	V.	25.
Urbanus IV	29.	VIII.	1261—1264	X.	2.
Clemens IV	5.	II.	1265—1268	XI.	29.
Gregorius X	1.	IX.	1271—1276	I.	10.
Innocentius V	21.	I.	1276—1276	VI.	22.
Hadrianus V	11.	VII.	1276—1276	VIII.	18.
Ioannes XXI	15.	IX.	1276—1277	V.	20.
Nicolaus III	25.	XI.	1277—1280	VIII.	22.
Martinus IV	22.	II.	1281—1285	III.	28.
Honorius IV	2.	IV.	1285—1287	IV.	3.

[1] Hic ab anno 1572 usque ad annum 1578 communis protector omnium congregationum ordinis erat.

Nicolaus IV	15.	II.	1288—1292	IV.	4.
Coelestinus V	5.	VII.	1294—1294	XII.	13.
Bonifatius VIII	24.	XII.	1294—1303	X.	11.
Benedictus XI	22.	X.	1303—1304	VII.	7.
Clemens V	5.	VI.	1305—1314	IV.	14.
Ioannes XXII	7.	VIII.	1316—1334	XII.	4.
(Nicolaus V	12.	V.	1328—1333	VII.	25.)
Benedictus XII	20.	XII.	1334—1342	IV.	25.
Clemens VI	7.	V.	1342—1352	XII.	6.
Innocentius VI	18.	XII.	1352—1362	IX.	12.
Urbanus V	28.	IX.	1362—1370	XII.	19.
Gregorius XI	30.	XII.	1370—1378	III.	27.
Urbanus VI	9.	IV.	1378—1389	X.	15.
Clemens VII	20.	IX.	1378—1394	IX.	16.
Bonifatius IX	2.	XI.	1389—1404	X.	1.
Benedictus XIII	28.	IX.	1394—1417	VII.	26.
Innocentius VII	17.	X.	1404—1406	XI.	6.
Gregorius XII	30.	XI.	1406—1415	VII.	4.
Alexander V	26.	VI.	1409—1410	V.	3.
Ioannes XXIII	17.	V.	1410—1415	V.	29.
Martinus V	11.	XI.	1417—1431	II.	20.
Eugenius IV	3.	III.	1431—1447	II.	23.
(Felix V	5.	XI.	1439—1449	IV.	7.)
Nicolaus V	6.	III.	1447—1455	III.	24.
Calixtus III	4.	IV.	1455—1458	VIII.	6.
Pius II	19.	VIII.	1458—1464	VIII.	14.
Paulus II	30.	VIII.	1464—1471	VII.	26.
Sixtus IV	10.	VIII.	1471—1484	VIII.	12.
Innocentius VIII	29.	VIII.	1484—1492	VII.	25.
Alexander VI	11.	VIII.	1492—1503	VIII.	18.
Pius III	22.	IX.	1503—1503	X.	18.
Iulius II	1.	XI.	1503—1513	II.	21.
Leo X	15.	III.	1513—1521	XII.	1.
Hadrianus VI	9.	I.	1522—1523	IX.	14.
Clemens VII	19.	XI.	1523—1534	IX.	25.
Paulus III	13.	X.	1534—1549	XI.	10.
Iulius III	8.	II.	1550—1555	III.	23.
Marcellus II	9.	IV.	1555—1555	IV.	30.
Paulus IV	23.	V.	1555—1559	VIII.	18.
Pius IV	25.	XII.	1559—1565	XII.	9.
Pius V	7.	I.	1566—1572	V.	1.
Gregorius XIII	13.	V.	1572—1585	IV.	10.
Sixtus V	24.	IV.	1585—1590	VIII.	27.
Urbanus VII	15.	IX.	1590—1590	IX.	27.
Gregorius XIV	5.	XII.	1590—1591	X.	15.
Innocentius IX	29.	X.	1591—1591	XII.	30.
Clemens VIII	30.	I.	1592—1605	III.	5.
Leo XI	1.	IV.	1605—1605	IV.	27.

Paulus V	16. V.	1605—1621	I. 28
Gregorius XV	9. II.	1621—1623	VII. 8.
Urbanus VIII	6. VIII.	1623—1644	VII. 29.
Innocentius X	15. IX.	1644—1655	I. 7.
Alexander VII	7. IV.	1655—1667	V. 22.
Clemens IX	20. VI.	1667—1669	XII. 9.
Clemens X	29. IV.	1670—1676	VII. 22.
Innocentius XI	21. IX.	1676—1689	VIII. 12.
Alexander VIII	6. X.	1689—1691	II. 1.
Innocentius XII	12. VII.	1691—1700	IX. 27.
Clemens XI	23. XI.	1700—1721	III. 19.
Innocentius XIII	8. V.	1721—1724	III. 7.
Benedictus XIII	29. V.	1724—1730	II. 21.
Clemens XII	12. VII.	1730—1740	II. 6.
Benedictus XIV	17. VIII.	1740—1758	V. 3.
Clemens XIII	6. VII.	1758—1769	II. 2.
Clemens XIV	19. V.	1769—1774	IX. 22.
Pius VI	15. II.	1775—1799	VIII. 29.
Pius VII	14. III.	1800—1823	VIII. 20.
Leo XII	28. IX.	1823—1829	II. 10.
Pius VIII	31. III.	1829—1830	XI. 30.
Gregorius XVI	2. II.	1831—1846	VI. 1.
Pius IX	16. VI.	1846—1878	II. 7.
Leo XIII	20. II.	1878—1903	VII. 20.
Pius X	4. VIII.	1903.	

XI. Sancti et Beati totius ordinis.

(C. = Confessor, D. = Doctor, E. = Episcopus, M. = Martyr, V. = Virgo, Vid. = Vidua.)

I. Primi ordinis.

1. Fratres Minores (Franciscani).

a) *Sancti.*

1. Franciscus Assisiensis, C. († 1226).
2. Berardus, M. († 1220).
3. Petrus, M. († 1220).
4. Accursius, M. († 1220).
5. Adiutus, M. († 1220).
6. Otho, M. († 1220).
7. Daniel, M. († 1227).
8. Angelus, M. († 1227).
9. Samuel, M. († 1227).
10. Domnus, M. († 1227).
11. Leo, M. († 1227).
12. Hugolinus, M. († 1227).
13. Nicolaus, M. († 1227).
14. Antonius a Padua, C. († 1231).
15. Bonaventura, E. D. († 1274).
16. Benvenutus, E. († 1276).
17. Ludovicus, E. († 1299).

---

18. Bernardinus a Siena, C. († 1444).
19. Petrus Regalatus, C. († 1456).
20. Ioannes a Capistrano, C. († 1456).
21. Didacus, C. († 1463).
22. Iacobus de Marchia, C. († 1476).
23. Petrus de Alcantara, C. († 1562).
24. Nicolaus Pick, M. († 1572).
25. Hieronymus de Weert, M. († 1572).

26. Theodoricus ab Emden, M. († 1572).
27. Nicasius ab Heeze, M. († 1572).
28. Willehadus a Dania, M. († 1572).
29. Godefridus a Melveren, M. († 1572).
30. Antonius de Weert, M. († 1572).
31. Antonius ab Hornar, M. († 1572).
32. Franciscus a Roye, M. († 1572).
33. Petrus ab Assche, M. († 1572).
34. Cornelius de Wyk, M. († 1572).
35. Benedictus a Philadelpho, C. († 1589).
36. Paschalis Baylon, C. († 1592).
37. Petrus Baptista, M. († 1597).
38. Martinus ab Ascensione, M. († 1597).
39. Franciscus Blanco, M. († 1597).
40. Franciscus a S. Michaele, M. († 1597).
41. Gundisalvus Garcia, M. († 1597).
42. Philippus a Iesu, M. († 1597).
43. Franciscus Solanus, C. († 1610).
44. Pacificus a S. Severino, C. († 1721).
45. Ioannes Ios. a Cruce, C. († 1734).
46. Leonardus a Porto Maurizio, C. († 1751).

b) *Beati.*

1. Ioannes a Perugia, M. († 1231).
2. Petrus a Sassoferrato, M. († 1231).
3. Benvenutus a Gubbio, C. († 1232).
4. Bentivolis de Bonis, C. († 1232).
5. Peregrinus a Falerone, C. († 1232).
6. Rizzerius a Mucia, C. († 1236).
7. Agnellus a Pisa, C. († 1236).
8. Rogerius a Todi, C. († 1237).
9. Stephanus a Narbonne, M. († 1242).
10. Raymundus a Narbonne, M. († 1242).
11. Guido a Cortona, C. († 1250).
12. Andreas a Spello, C. († 1254).
13. Liberatus a Lauro, C. († 1258).
14. Aegidius ab Assisi, C. († 1262).
15. Ioannes a Pinna, C. († 1271).
16. Ioannes a Parma, C. († 1289).
17. Conradus ab Ascoli, C. († 1289).
18. Benvenutus a Recanati, C. († 1289).
19. Andreas, Conte de Segni, C. († 1302).
20. Petrus a Treja, C. († 1304).
21. Raynerius ab Arezzo, C. († 1304).
22. Conradus ab Offida, C. († 1306).
23. Thomas a Tolentino, M. († 1321).
24. Franciscus a Fabriano, C. († 1322).
25. Ioannes ab Alverna, C. († 1322).
26. Bartholomaeus Pucci, C. († 1330).
27. Odoricus a Pordenone, C. († 1331).
28. Gentilis a Matelica, M. († 1340).
29. Nicolaus Tavileis, M. († 1368).
30. Sanctes ab Urbino, C. († 1390).
31. Iacobus a Strepa, E. († 1411).
32. Thomas a Florentia, C. († 1447).
33. Herculanus a Piagale, C. († 1451).
34. Matthaeus a Girgenti, E. († 1455).
35. Gabriel Ferretti, C. († 1456).
36. Archangelus a Calatafimi, C. († 1460).
37. Antonius a Stroncone, C. († 1461).
38. Marcus a Bologna, C. († 1479).
39. Pacificus a Cerano, C. († 1482).
40. Simon a Lipnicz, C. († 1482).
41. Ioannes a Dukla, C. († 1484).
42. Christophorus Mediolanensis, C. († 1485).
43. Iacobus Illyricus a Jadera, C. († 1490).
44. Petrus a Molliano, C. († 1490).
45. Bernardinus a Feltre, C. († 1494).
46. Angelus a Chiavasso, C. († 1495).
47. Marcus a Montegallo, C. († 1497).
48. Bernardinus a Fossa, C. († 1503).
49. Vincentius ab Aquila, C. († 1504).
50. Timotheus a Montecchio, C. († 1504).
51. Ladislaus a Gielniow, C. († 1505).
52. Franciscus a Calderola, C. († 1507).
53. Aegidius a Lorenzana, C. († 1508).
54. Ioannes Forest, M. († 1538).
55. Salvator ab Horta, C. († 1567).
56. Nicolaus Factor, C. († 1583).
57. Sebastianus ab Apparitio, C. († 1600).
58. Andreas Hibernon, C. († 1601).
59. Iulianus a S. Augustino, C. († 1605).
60. Petrus ab Ascensione, M. († 1617).
61. Ioannes a S. Martha, M. († 1618).
62. Apollinaris Franco, M. († 1622).
63. Richardus a S. Anna, M. († 1622).
64. Petrus ab Avila, M. († 1622).
65. Vincentius a S. Iosepho, M. († 1622).
66. Franciscus a S. Bonaventura, M. († 1622).
67. Didacus a S. Clara, M. († 1622).
68. Franciscus Galves, M. († 1623).
69. Ludovicus Sotelo, M. († 1624).
70. Aloysius Sosanda, M. († 1624).

71. Franciscus a S. Maria, M. († 1627).
72. Bartholomaeus Laurel, M. († 1627).
73. Antonius a S. Franc., M. († 1627).
74. Antonius a S. Bonaventura, M. († 1628).
75. Dominicus a Nagasaki, M. († 1628).
76. Ioannes a Prado, M. († 1631).
77. Hieronymus Torres, M. († 1632).
78. Gabriel a S. Magdalena, M. († 1632).
79. Humilis a Bisignano, C. († 1637).
80. Carolus a Sezze, C. († 1670).
81. Bonaventura a Barcelona, C. († 1684).
82. Thomas a Core, C. († 1739).
83. Theophilus a Corte, C. († 1740).
84. Aegidius M. a S. Iosepho, C. († 1812).
85. Leopoldus a Gaichi, C. († 1815).
86. Ioannes a Triora, M. († 1816).

2. Conventuales [1].

a) *Sancti.*

Iosephus a Cupertino, C. († 1663).

b) *Beati.*

Bonaventura a Potenza, C. († 1711).

3. Capuccini [1].

a) *Sancti.*

1. Felix a Cantalicio, C. († 1585).
2. Seraphinus a Montegranaro, C. († 1604).
3. Iosephus a Leonissa, C. († 1612).
4. Laurentius a Brindisi, C. († 1619).
5. Fidelis a Sigmaringen, M. († 1622).

b) *Beati.*

1. Benedictus ab Urbino, C. († 1625).
2. Agathangelus a Vendôme, M. († 1638).
3. Cassianus a Nantes, M. († 1638).
4. Bernardus a Corleone, C. († 1667).
5. Bernardus ab Offida, C. († 1694).
6. Angelus ab Acri, C. († 1739).
7. Crispinus a Viterbo, C. († 1750).
8. Felix a Nicosia, C. († 1787).
9. Didacus a Cadiz, C. († 1801).

II. Secundi ordinis (Clarissarum).

a) *Sanctae.*

1. Clara Assisiensis, V. († 1253).
2. Agnes Assisiensis, V. († 1253).
3. Coleta a Corbie, V. († 1447).
4. Catharina a Bologna, V. († 1463).
5. Veronica Giuliani, V. († 1727).

b) *Beatae.*

1. Philippa Mareri, V. († 1236).
2. Helena Enselm. a Padua, V. († 1242).
3. Salomea a Krakau, V. († 1268).
4. Isabella a Gallia, V. († 1270).
5. Agnes a Bohemia, V. († 1280).
6. Margarita Colonna, V. († 1284).
7. Cunegundis ab Hungaria, V. († 1292).
8. Yolenta, Vid. († 1298).
9. Matthia Nazzarei, V. († 1300).
10. Felix Meda Mediolanensis, V. († 1444).
11. Antonia a Florentia, V. († 1472).
12. Seraphina Sforza, Vid. († 1478).
13. Eustochium a Messina, V. († 1499).
14. Ludovica a Sabaudia, Vid. († 1503).
15. Paula a Mantua, V. († 1514).
16. Baptista Varani, V. († 1527).
17. Magdalena Martinengo, V. († 1737).

---

[1] Sanctos et Beatos ante concilium Constantiense defunctos omnes tres congregationes ordinis aequali modo sibi vindicare possunt.

III. Tertii ordinis.

1. Tertiarii regulares.

a) *Sancti.*

Hyacintha a Mariscotti, V. († 1640).

b) *Beati.*

1. Lucia a Caltagirone, V. († 1400).
2. Elisabeth a Reuthe, V. († 1420).
3. Angelina Marsciano, Vid. († 1435).
4. Ieremias Lambertenghi, C. († 1515).
5. Crescentia a Kaufbeuren, V. († 1744).

2. Tertiarii saeculares.

a) *Sancti.*

1. Elisabeth a Thuringia, Vid. († 1231).
2. Ferdinandus, rex Castiliae, C. († 1252).
3. Rosa a Viterbo, V. († 1252).
4. Ludovicus, rex Galliae, C. († 1270).
5. Margarita a Cortona († 1297).
6. Ivo a Kermartin, C. († 1303).
7. Elzearius a Sabran, C. († 1323).
8. Rochus a Montpellier, C. († 1327).
9. Elisabeth a Lusitania, Vid. († 1336).
10. Conradus a Piacenza, C. († 1351).
11. Angela Merici, V. († 1540).
12. Paulus Susuqui, M. († 1597).
13. Gabriel Ize, M. († 1597).
14. Ioannes Quizuja, M. († 1597).
15. Thomas Ize, M. († 1597).
16. Franciscus Medicus, M. († 1597).
17. Thomas Cosaqui, M. († 1597).
18. Ioachim Saquijor, M. († 1597).
19. Bonaventura a Meaco, M. († 1597).
20. Leo Carazuma, M. († 1597).
21. Matthias a Meaco, M. († 1597).
22. Antonius a Nagasaki, M. († 1597).
23. Ludovicus Ibarchi, M. († 1597).
24. Paulus Yuaniqui, M. († 1597).
25. Michael Cozoqui, M. († 1597).
26. Petrus Suqueixein, M. († 1597).
27. Cosimus Raquaja, M. († 1597).
28. Franciscus Fahelante, M. († 1597).
29. Maria Francisca a quinque Vulneribus, V. († 1791).

b) *Beati.*

1. Gerardus a Villamagna, C. († 1242).
2. Viridiana, V. († 1242).
3. Humiliana Cerchi, Vid. († 1246).
4. Luchesius a Poggibonsi, C. († 1260).
5. Nevolonus, C. († 1280).
6. Petrus a Siena, C. († 1289).
7. Ioanna a Signa, V. († 1307).
8. Angela a Foligno, Vid. († 1309).
9. Raymundus Lullus, M. († 1315).
10. Cichus a Pesaro, C. († 1350).
11. Michelina a Pesaro, Vid. († 1356).
12. Delphina a Glandives, V. († 1360).
13. Hugolinus Magalotti, C. († 1373).
14. Ioanna Maria a Maillé, Vid. († 1414).
15. Ioannes de Pace a Pisa, C. († 1433).
16. Ioanna a Valois, Vid. († 1505).
17. Paula Gambara, Vid. († 1505).
18. Ludovica Albertoni, Vid. († 1533).
19. Leo Satzuma, M. († 1622).
20. Lucia Freites, Vid. M. († 1622).
21. Aloysius Baba, M. († 1624).
22. Casparus Voz, M. († 1627).
23. Thomas Và, M. († 1627).
24. Franciscus Cuffioie, M. († 1627).
25. Michael Chizaimon, M. († 1627).
26. Lucas Chiemon, M. († 1627).
27. Aloysius Matzuo, M. († 1627).
28. Martinus Gomez, M. († 1627).
29. Thomas Tzugi, M. († 1627).
30. Aloysius Maqui, M. († 1627).
31. Ioannes Maqui, M. († 1627).
32. Maria Voz, Vid. M. († 1627).
33. Aloysius Nifaci, M. († 1628).
34. Franciscus Nifaci, M. († 1628).
35. Dominicus Nifaci, M. († 1628).
36. Ioannes Tomachi, M. († 1628).
37. Michael Tomachi, M. († 1628).
38. Dominicus Tomachi, M. († 1628).
39. Paulus Tomachi, M. († 1628).
40. Thomas Tomachi, M. († 1628).
41. Matthaeus Alvarez, M. († 1628).
42. Michael Jamada, M. († 1628).
43. Laurentius Jamada, M. († 1628).
44. Romanus a Iaponia, M. († 1628).
45. Aloysia a Iaponia, Vid. M. († 1628).
46. Ioannes B. Vianney, C. († 1859).

Index generalis.

Personae recensentur iuxta nomen gentilicium (ubicumque fieri potest), alias iuxta praenomen; saepius bis quoque insertae sunt. Nomina in tabellis praecedentibus contenta tunc tantum referuntur, cum in historia ipsa adducuntur. Monemus lectores praecipue de rubricis: Constitutiones generales, capitula generalia, custodiae, litterae apostolicae, provinciae.

Aachen (Aquisgranum) 616.
Abessynia 224 478 571.
Abrojo 123.
Accommodationis controversia 486.
Accursius de Bonfantini 265.
Aclareni 122.
Acta ordinis Minorum 334.
Actio reformatoria 74 77 81 sq 84 sq 90 sq 99 121 267 sq.
Adamus a Marisco 247 258.
Adoratio 40 horarum 568.
Aegidius Assisiensis 5 5[2].
— missionarius 223.
Aegyptus 7 215 222 sq 478 497.
Aeneas Sylvius 113.
Aethiopia v. Abessynia.
Affiliationis litterae 166.
Affò Irenaeus 520.
Africa 222 sq 477 571.
Agathangelus, B. 571.
Agentes in curia 403 sq.
Agnellus a Pisis 246.
Agnes a Bohemia 578 583.
— S. (Sciffi) 576.
Agricola Daniel 430.
Aguilera 88 123 449.
Aito II 232 236.
Akkon 236.
Albania 217 477.
Albergoni Eleutherius 544.
Albertinus a Verona 207.
Albertus, Episcopus de Marienwerder 221.
— a Pisa 25 sq.
— a Sartiano 84 105 sq 190 197 224.
Albigenses 186.
Albornoz 76.
Albrechtus de Brandenburg 416 sq.
— marchio Brunsuiganus 425.
Albuquerque Io., Archiepiscopus 234 482 488.
Alcalá de Henares (Complutum), univ. 256 507.
Alcantarini 293.
Alcoranus Franciscanorum 11[2].
Aldobrandinus a Florentia 232.
Alexander IV, Papa 29 156 158 163[1] 187 193 212 221 245 580 584.
— V, Papa 79 91 93.
— VI, Papa 126 129 156 289 588.
— VII, Papa 397 412.
— ab Alexandria (Alessandria) 50 55 sq.
— de Ales 24 26 30 38 104 244 sq 254 257 sq.
— de Villa Dei (Villedieu) 262.
Alexandria 237.
Alexandristae 584.
Alfieri Henricus 78.
Algerium (Algier) 223 478.
Alkmaar, martyres de 434.
Almeda y Brea Cyrillus 328.
Aloysius a Loreto 331.
Alphart Ioannes 199.
Alphonsus a Bolano 225.
— de Castro Zamorá 443 501 516.
— de Liguorio 518.
— de Manzanete 292.
Alphonsus X, rex Hispaniae 262.
— a Vallaverde (Valverde) 481.
Altemir Bartholomaeus 330.
Altobello Hilarius 548.
Alva y Astorga Petrus de 516.
Alvarez Andreas (Insulanus) 276 521.
— Franciscus 461.
— Michael 277[2].
Alvarus Henricus 226.
— Pelagius 60.
Alvernia 9 47 104 107.
Alvin Ioannes 289.
Alzey 426.
Amadeitae 122 131 sq 135 277 613.
Amadeus a Lusitania 122 298.
Amazonas 467 sq.
Amberg 429.
Amboise 91 sq.
Ambrosius a Lombez 573.
— a Rohrbach 431.
America 107 149 340 sq 351 sq 364 391 396 sq 448 450 sq 457 sq 571.
— meridionalis 365 457 sq 571.
— septentrionalis 468 sq 538 571.
Amiens 91.
Ampferle Franciscus 442.
Ancona 45 sq 83 122.
— Marchia 35 45.
Andreas de Dos-Barrios 330.
— a Faro 479.
— de León 470.

Andreas Perusinus 231.
— a Spoleto 477.
— a Toledo 467.
Angela Merici, S. 615.
Angeli Franciscus Maria 530.
Angelicus de Vicentia (Vicenza) 527.
Angelina a Corbara (a Marsciano), B. 612.
Angelus a Clavasio 261.
— Clarenus v. Clarenus.
— Michael Neapolitanus 525.
— de Paz 301.
— del Pas 517.
— a Piccitone 530.
— a Spoleto 78 220.
— Tancredi 5².
— Zvjedzdovič 219.
Angers (Andegavum) 248 510.
Anglia 9 24 26 85 119 135 143 148 195 209 247 sq 391 436 sq 538 610.
Angola 571.
Angustara, missio 458.
Anna, S. 203.
Annales Minorum 523.
Annibali Flaminius da Latera 525 527.
Annuntiatae 590.
Anselmus Viennensis 431.
Anserma 457.
Antillae 351 sq 366 451 457.
Antiminorica adversus minoricam 128¹.
Antireformatio 421 426 430.
Antivari (Antibarum) 217.
Antonius de Armenia 232.
— a S. Bonaventura 484.
— a Breslau 424.
— a Cascia 80
— de Castelgiovanni 123.
— de Corduba 503.
— a Galbiato 283 310 349.
— de Garay 224.
— le Grand 519
— a S. Gregorio 480.
— Mediolanensis 232.
— a Martyribus 445.
— de Massa 96.
— a Melissa 524.
— a S. Michaele 462.
— de Mont. Casp 233.
— a Monza 263.
— Patavinus 21 sq 38 192 sq 240 244 260
— a Pescho Pagano 479.
— a Pireto 79 80.
Antonius a Porto 488.
— de Rimini 198.
— de Segovia 455.
— a Spalato 221.
— a Stronconio 222.
— a Tablada 608.
— a Trejo 393.
— Vercellensis 198.
— Maria de Turre 526.
Antwerpen (Antwerpia) 434 499 508.
Anunciacam Franciscus Gabriel de 529.
Apollinaris Franko 484.
Apolobamba 463.
Apostoli XII 117 539 sq 543.
Apostolici 35.
Appellatio eccles. 322.
— Norimbergensis (1373) 64.
— Sachsenhusana 65.
Approbatio conventus 176.
Aquitania 354 sq.
Arabia 571.
Aracoeli 30 109 117 135 160 180 334 388 404 413 511.
Aragonia 40 85 86 97 124 131 149.
Araucanos 462.
Arbuchell Alexander 438.
Archivarii generales 525.
Archivum franciscanum historicum 527.
Areso Iosephus 331.
Arévalo 88.
Arezzo 10.
Argentina in Bosna 147.
Argentinia 353 465.
Arias Didacus 85.
Arizona 471 sq.
Arlottus a Prato 43.
Armalech 227 230 231.
Armenia 46 190 227 sq 231 sq 497.
Armenta Bernardus 466.
Arnaldus a Sarnano 262.
— a Villanova 50.
Arnoldus de Colonia 229.
— de Witte 435.
Arnulphus, frater 24.
Arrizafa 87.
Artes 13 263 sq 527 sq.
Arzenga 232.
Ascoli (Asculum) 40 70.
Asia 226 sq 480 sq 570.
Assermet Franciscus 516.
Assisium 1 sq 20 27 41 55 76 81 128 175 242 273 539 543.
Assistentes custodiarum 565.
— generales 540.
Astesanus 261.
Astulphus Servantius 520.
Asunción 466.
Auda Angelus a Lantusca 518.
Auditores 165 409.
Augustinus ab Alfeld 422.
Aureolus Petrus 260.
Auriga Theodoricus 111.
Australia 490.
Austria 96 107 111 141 147 310 341 sq 399 430 sq 494 538 557 sq 615.
Avignon (Avenio) 48 56 sq 67 sq 77 sq 85 160 242.
Azores 216 225 349.
Azpilcueta Martinus a Navarra 531.

Baccalaureus 250 546.
Baco Rogerius 192 194 242 258 sq 262 266.
Bagnorea (Balneoregium) 30.
Baius 504.
Bajazet I 219 sq.
Balbi Ludovicus 529.
Balcanus 217 342 345 476.
Balduinus de Jonghe 436.
Baleares insulae 149 611.
Balkasch lacus 227.
Baltassar du Pré 433.
Bamberg 429.
Baptista de Salis 261.
Baratoxa, domus recollectionis S. Antonii de 302.
Barbarus, socius S. Francisci 5².
Barberini Bonaventura 569.
— Franciscus 286 402 592.
Barcelona 76.
Bardolini 78 81 91.
Barnabas Interamnensis 208.
Barsanti Octavius 491.
Bartholomaeus ab Alverna 238.
— Anglicus 246.
— d'Astroy 436.
— de Brugliano 81.
— a Iano (Giano) 256.
— a Middelburg 435.
— Pisanus 79 145 185 241 262.
— a Saluthio 444.
— Episc. Tragoritanus 219.
Bartolus a Sassoferrato 72¹.

Basel (Basilea) 103 106 199 253 430.
Basile Matthaeus 320.
Bastia 575.
Baume Henricus de 589.
Bavaria 310 sq 326 399 sq 538.
Baylon Paschalis 202.
Beati ordinis v. Tab. XI.
Beatrix a Silva 589.
Beatrix Sciffi 576.
Beghini, Beghinae 52 58 597 606.
Belchiam Thomas 437.
Belgium 314 341 356 391 399 556 sq 612 615.
Bell Arthurus 438.
Bellintani Matthias 569.
Benedictinae 575.
Benedictini 6 57 74 576 581.
Benedictus XI, Papa 214
— XII, Papa 58 74 157 164 sq 173 176 252.
— XIII, Papa Aven. 77 80 86 88 sq 91 588.
— XIII, Papa 315 320 372 384 598.
— XIV, Papa 321 384 408 442 486 490 493 514.
— a Philadelpho 309.
— a Valencia 198.
Benetti Ieremias de' 573.
Bengalia 488.
Benignus a Genua 281 507 522.
Benoffi Franciscus Antonius 548.
Bentivenga 41 187.
Benvenutus Mutinensis 193.
Berardus, S., martyr 222.
Berbegal Philippus 124.
Bergaigne Iosephus 427.
Beri 458.
Bermejo Io. 321.
Bermudo Io. 529.
Bern 106.
Bernardini 96.
Bernardinus ab Aquila, Chronica 81[1].
—Astesanus 300 303 550 sq.
— de Bustis 198 203 600.
— a Cardenas 466.
— della Chiesa 486.
— a Cingoli 264.
— de Feltre, B. 198 208.
— a Picquigny 573.
— a Portugruaro 333 509 527.
— de Sena 282 sq 398.
Bernardinus Senensis, S. 84 104 106 108 111 190 197 202 sq 254.
— del Vago v. B. a Portugruaro.
Bernardone Petrus 2 4.
Bernardus a Bessa 186 262.
— Délicieux (Dulcino) 56.
— van Loo 519.
— a Quintavalle 5 24.
— de Viridante 5[2].
Bernsheimer Marcellus 417[6].
Bertholdi Io. a Serravalle 265.
Bertholdus Ratisbonensis 38 194 sq 207.
— Niger (Schwarz) 262.
Bertrandus de Turre 68.
Besi Ludovicus 487.
Bessarion 116 156.
Betancour Petrus 456.
Betanzos Petr. Alph. 456.
Bethlehem 216 235 236 493.
Béziers (Biterrae) 56.
Bianchi Io. Ant. 518.
Bibliothecae 242 254 498 sq.
Bidma Manuel 460.
Biernacki Casimirus 547.
Binterim A. I. 517.
Bissao 479.
Bixaos 457.
Bizocchae 613.
Bizocchi 58.
Blanchard Petrus 433.
Blyerheide 611.
Boccabadi Gherardus 193.
Boery Martinus 311.
Bogotá 457.
Bohemia 432 558 610.
Boikmann Patroclus 418.
Bolaños Ludovicus 466.
Bolivar (Angustara) 458.
Bolivia 458 464.
Bologna (Bononia) 244 248 505.
Bombay 571.
Bona Valerio 529.
Bonagratia a Bergamo 50 54 63 66 sq.
— Fielci a S. Ioanne 41 159 232.
Bonal Franciscus 443.
Bonaventura Aesinus 193.
— Barcinonensis 309.
— a Brescia 266.
— a Caltagirone 279 305 312.
— a Decimo 527.
— Fidanza, S. 22 25 30 sq 38 41 48 53 75 104 141 145 154 163 186 189 sq 192 201 212 241 sq 249 257 261 262 264 382 584 596.
Bonaventura a Palazzolo 477.
Bonaventurae S[ti] Collegium v. Collegium.
Bonelli Benedictus 517.
Bonfantini Accursius de 265.
Bonfer Petrus 488.
Bonfigli Franciscus 532.
Bongiovanni a Cavriana 265.
Bonifatius de Ceva 121 130 sq 133 sq 254 263.
— VIII, Papa 41 45 46 sq 50 56 65 141 163[1] 213 264 585 605.
— IX, Papa 65 77 79 85 90 217 252.
Bons-Fils 611.
Bordeaux (Burdigala) 510.
Borgelier Petrus 433.
Borneo 490 571.
Boroxius Alphonsus 111.
Borraz Barth. 86.
Borsaro Archangelus 530.
Boscarioli 35.
Bosco Io. 517.
Bosna 83 97 103 143 146 sq 181 216 218 sq 476.
Bosquier Philippus 443.
Bouchier Io. 75.
Boulier Martialis 290 299.
Boverius Zacharias 573.
Bozen 499.
Brancati Laurentius 547.
Brandenburgum 96 423.
Brasilia 226 353 364 397 466 571.
Brauwer Cornelius 435.
Brecht Livinus 528.
Bressanvido Ildephonsus 444.
Bressuire 90 sq 94.
Breviarium 204 sq.
Briesmann Io. 418[1].
Brinzing Io. Cap. 442.
Britannia maior 558; v. etiam Anglia.
Brizennius Ildephonsus 516.
Broickwy Ant. 426.
Brorbey Ant. 437.
Brouwers Theodorus 475.
Brugliano 81.
Brugmann Io. 199.
Brulefer Steph. 198 255 260.
Brunel Ant. 433.
Brunie Io. 433.

Brunsuigia (Braunschweig) 423.
Buchara 227.
Bulgaria 219 sq 476.
Bulla aurea 119.
— concordiae 115 sq 118 137 sq.
— Eugeniana 108 sq 112.
— Gregoriana 304.
Bullaker Thomas (Fr. Io. Bapt.) 438.
Bullarium franciscanum 524.
Bullistae 108 133.
Buoncortese v. Bonagratia a Bergamo.
Buongiorno Mich. Angelus de Sambuca 285 sq.
Burallus Io. a Parma 27 sq 32 48 162 166 189 193 245 247.
Burgundia 90 sq 92 97 121.
Burlaeus (Burleigh) Gualterus 260.
Bussolini Iacobus 113.
Buyl Bernardus 450 sq.
Bzovius Abraham 515 522.

Caballero Ant. a. S. Maria 485.
Cabassole Philippus 585.
Cabot Santiago 465.
Cabral 466.
Cacheo 479.
Caesareni 23.
Caesarius a Spira 8 24.
Caffa 230.
Caimo Bernardinus 201.
Cajamarca 460.
Calegari Franciscus Ant. 530.
Calepodia 82.
Cali 457.
California 366 373 sq.
Calixtus III, Papa 113 sq 196.
Calvinismus 432 sq.
Cambalu 229.
Camers 418.
Cambodge 489.
Cambridge (Cantabrigia) 247 250 508.
Canada 364 475 572.
Canali Aloysius a Parma 334 339.
Canariae insulae 89 149 216 225 350.
Cano Melchior 502.
Canticum solis 9 15 263 578.
Canton 485.
Cantus 9 15 528.
Canuzzi Petrus a Potenza 266.
Caperolani 123 146.
Capistranus Io. 84 96 100 sq 103 105 sq 111 sq 115 124 147 179 sq 197 202 sq 216 218 239 254 589 600.
Capitulum conventuale 178 182 414.
— culparum 32 178 182 414.
— custodiale 174.
— definitorum 153 167.
— generale 161 sq 404 sq; v. Tab. II et congregatio. 541 (Convent.), Tab. V 563 (Capucc.), Tab. VI 596 (III Ord.).
— — Alcalá de Henares 329.
— — Anagni 45.
— — Aquila 238 503.
— — Assisi 6 20 41 75 79 82 100 103 114 179 205 230 276 336 389.
— — Avignon 77.
— — Barcelona 55 111.
— — Bologna 67 103.
— — Burgos 272 345 417.
— — Cahors 74.
— — Carpi 417.
— — Casale 96.
— — Ferrara 96.
— — Forlì 95 175 176 250 sq.
— — Genua 25 75.
— — Gran in Hungaria 78 160.
— — Lausanne 95.
— — Lyon 27 34 40 65 68 177 271 354.
— — Mantua 95 275 502 510.
— — Marseille 75 176.
— — Metz 28.
— — Milano 43 116 179 321 384.
— — Montpellier 44 76 108 153 172 179.
— — München 79.
— — Napoli 55 78.
— — Narbonne 32.
— — Nizza 275 304.
— — Padua 40 48 106 179.
— — Paris 33 45 49 69 277 311.
— — Parma 274 507.
Capitulum generale Perpignan 70.
— — Perugia 60 67 113 117.
— — Pisa 33 584.
— — Rieti 23 45.
— — Roma 23 30 80 112 116 130 135 149 152 157 sq 171 179 277 279 282 sq 287 301 306 316 319 323 332 334 384 389 394 404 412 501 504 511 515.
— — Salamanca 276 441.
— — Straßburg 44.
— — Terni 126.
— — Toledo 280 283 sq 288 500 510.
— — Toulouse 77 158.
— — Troyes 130 170.
— — Urbino 120.
— — Valencia 323 504.
— — Valladolid 277 279 286 305 321 384 497 504 532.
— generalissimum 179 404.
— guardianale 415.
— intermedium 404 411.
— locale = C. conventuale.
— provinciale 166 sq 509 sq 541 (Conv.) 566 (Cap.).
— storearum 8.
— vicariale 180.
Capranica, Cardin. 115 156.
Capuccinae 592.
— Tertiariae 614.
Capuccini 300 325 421 440 478 548 sq 592 598 600[7].
— Fratres de Observ. 293 sq.
Capucciola, Congreg. della 124.
Caputiati 125 135.
Carcano Michael 198.
Carcassonne 55.
Carceri, Le 81 124.
Cardinalis protector 8 22 42 76 155 sq 159 162 385 402, Tab. VII—IX.
Cardus Ios. 464.
Carmeli Michael-angelus 518.
Carnoli Simon 528.
Caroli Nicolaus 97.
Carolinae insulae 571.
Carolus II Neapolitanus 50.
— V 452 sq 458.
— Borromaeus, S. 386 608.
— Ios. a Genua 327.
Cartagena 457.

Carthago 457.
Carthesius 519.
Carvajal Ludovicus 501 sq 516.
Casarubios Alphonsus a 519.
Casati 528.
Casparus a Vaños 460.
Cassianus Nanetanus Beat. 571.
Castamar 87.
Castilia 85 sq 89 97 104 111 124 149.
Castro 463.
— de Ordiales 89.
Catani Petrus 5 5² 8.
Catenacci Io. Dominicus 528.
Cats (Felisius) Matthias 435.
Caura 458.
Cavelli Sigismundus a Cluneo 526.
Cavellus Hugo 517 519.
Celano v. Thomas a Cel.
Celebes 490.
Celle 423.
Cephalonia 570.
Cerro de la Sal 460 sq.
Cervantes 603.
— Io., Cardin. 100.
Cervelli Hilarius 328.
Cesarini, Cardin. 156.
Cesena 242.
— v. Michael a Ces.
Ceuta 97.
Ceylon 354 488.
Chaco, Gran 465.
Chappottin Helena de 616.
Cherubinus Calatahieronensis 479.
— a Nardo 405.
— a Spoleto 198 202.
Chevegneyo 85.
Chicago 366.
Chile 458 462 sq.
Chillán 462.
China (imperium Sinense) 216 224 226 sq 354 485 sq.
Chipiona 449.
Cholet 91.
Christen Bernardus ab Andermatt 570.
Christmann Petrus 199.
Christophorus de Capite Fontium (Cheffontaines) 277 434.
— a Merida 463.
— a Numai 137.
— a Ravanera 462.
Chronica Fratrum Minorum 521.
Chronicae 526.
Chronologia historico-legalis 525.
Chronologi generales 525.
Ciboa Catharina 548.
Cibola 470.
Cimarelli Barthol. 521 sq.
Cimarosto Sanctantonius 519.
Circumscriptiones 342 360 392.
Cismontana v. Familia.
Clara, S., Assisiensis 6 575 sq.
Clareni 131 sq 135 277 343.
Clarenus Angelus 45 sq 51 56 sq 81 122 231 262.
Clarissae 7 89 107 157 178 236 417 420 575 sq.
Claustrales 97.
Clemens IV, Papa 43 259.
— V, Papa 49 sq 53 55 57 127 169 214.
— VI, Papa 74 81 173 237.
— VII, Papa Aven. 77 122.
— VII, Papa 275 312 436 451 sq 491 550 608.
— VIII, Papa 202 sq 301 305 sq 311 sq 383 385 435 498 513 516 532.
— IX, Papa 532.
— X, Papa 384 592.
— XI, Papa 386.
— XII, Papa 315 320 sq 384 609.
— XIV, Papa 187 326 533 535.
— Panormitanus 302 511.
Clemente Io. 481.
Clémentins 312.
Clerici 32.
Clerus parochialis et mendicantes 209 sq.
Clisson 92.
Cluys 311.
Cochin 354.
Cochinchina 489 sq.
Coelde Theodoricus 199 208 261.
Coelestini 46 57.
Coelestinus V, Papa 46 sq.
Coenaculum 491 493.
Coimbra 507.
Coleman Gualterus 438.
Coleta, S. 91 121 588 600.
Coletanae 588 sq.
Coletani 121 131.
Colgan Io. 520.
Collectio Calatahieronensis 279.
— Valentina 323.
Collectores 514.
Collegia (operariorum) 206.
— Poenitentium 595.
— seraphica 499.
— studiorum 508 sq 544 sq (Convent.).
— missionum 448 509 569 (Capucc.).
Collegium S. Antonii (Roma) 334 449 499 511 544.
— S. Bartholomaei in insula 448.
— S. Bonaventurae (Quaracchi) 509.
— — (Roma) 545.
— S. Crucifixi (Guatemala) 456.
— S. Ferdinandi (Mexico) 455.
— S. Francisci de Urbe 539.
— S. Isidori (Roma) 449 499 508.
— S. Petri in Montorio 448.
Colombaio 84.
Colombo 489.
Colonna Iac. 48 57.
— Io. 5.
— Vittoria 550.
Columbia 457 571.
Columbus Christ. 450 sq 603.
Comajuncosa Ant. 464.
Commissariatus generalis Terrae Sanctae 497.
Commissarius apostolicus 312 322 331 388 398.
— generalis familiae 394 sq, Tab. IV.
— — Indiarum 396 sq.
— — nationis Germano-Belgicae 399 sq.
— in curia 180 400.
— nationalis 315 395.
— provincialis 146 171 181 407 541 (Convent.).
— Terrae Sanctae 497.
Communio Fratrum 32.
Communitas 35 sq 44 sq 46 sq 50 sq 58 81 97 sq 102 108 sq 121 178.
Compañy Ioachim 327 sq 502 504.
Compostella 449.
Conceptionistae 589 593.
Concilium v. singula loca.
Confessio Fratrum 32.
Congregatio generalis 179 404 sq, Tab. III 541 (Convent.).

Congregatio Longobarda 608.
— provincialis (intermedia) 411 542 (Convent.) 566 (Capucc.).
Con-Protectores 386.
Conradus de Hallis 235.
— ab Offida 46 59.
— de Saxonia 195 232.
Conrius Florentius 517.
Consiliarii 164.
Constantia 80 89 92 sq 103 113 178 253 265.
Constantienses 133.
Constantinopolis 47 56 143 538 570.
Constantius a Tolentino 256.
Constitutio ordinis 152 sq 380 sq 539 sq 561 sq.
Constitutiones generales 25 28 288.
— Alexandrinae (1500) 125 165 173 176 253 532.
— Alvacinae (1529, Cap.) 549.
— Barcinonenses (1451, ultr.) 111 181 274.
— — recognitae (1621, ultr.) 281.
— Benedictinae (1336) 74 157 160 176 177 243 250.
— S. Bonaventurae = Narbonnenses.
— Calatahieronenses (1593, cism.) 279.
— Capistranae (1827, cism.) 329.
— Capuccinarum (1630, III Ord.) 614.
— Caturcenses = Benedictinae.
— Cism. Familiae (1529, 1590, 1642) 274 278 sq 283 sq.
— Clementinae (1771, Conv.) 534.
— — (1734, III Ord.) 609.
— S. Coletae (1434) 589.
— Discalceatorum (1761) 296 sq.
— domorum Recollectionis (1523) 299 sq.
— Farineriae (1354) 75 160 176 178.
— Fratrum Minorum (1897) 337; cf. 271 332 335.
— Gallicanae Congreg. (1614, III Ord.) 609.
— Gulielmi = Farineriae.
Constitutiones S. Ioannis Capistrani (1443, cism.) 107.
— Iulii II (1508) 131 133 159 170 174 253.
— Longobardae Congreg. (1549, III Ord.) 608.
— Martinianae (1430) 100 108 sq 117 176 252.
— Mission. Franciscanarum (1890, III Ord.) 616.
— Monelianenses (1553, cism.) 276.
— Narbonnenses (1260) 32 45 55 162 249.
— S. Petri Alc. (ca 1559) 292 614.
— Pianae (1565, Conv.) 531 sq.
— Recollectarum (1634, III Ord.) 614.
— Recollectorum 312 sq.
— Reformatorum 305 308 sq 335.
— Salmanticenses (1553, cism.) 276 392 410.
— Sambucanae (1663, cism.) 285.
— Segovienses (1621, ultr.) 281.
— Sixtinae (ca 1467) 118.
— Urbanae (1628, Conv.) 533 539.
— — (1643, Cap.) 552.
— Valentinae (1768, cism.) 323.
— Vallisoletanae (1593, cism.) 279 390 392 501.
— Victorienses (1648) 285.
Controversiae de paupertate 19 sq.
Conventuales 38 71 101 103 sq 106 107 sq 110 135 151 187 417 529 590 598.
— reformati 291 sq.
Conventualis ecclesia 28 71.
Conventualismus 63 71 sq 103.
Conventualitas 383.
Conventus generalis 175 413.
— nativus 176 sq 543.
Convocatio custodum 167.
Copti 190 478.
Corbara 68.
Cordeliers 313 sq.
Corduba 87.
Cornejo Damianus 527.
Cornetti Paulus 528.
Coronelli Vincentius 548.
Corrientes 465.
Corsica 83 143 146 222 364.
Corsini Laurentius 386.
Cort Thomas 437.
Cortona 26.
Cosí Eligius 487.
Cosier Io. 433.
Cosin Io. 451.
Cosmas, Archiepiscopus de Peking 230.
Costa Rica 456.
Cottermann Casp. 420[1].
Couvreur Io. 452 456.
Cozza Laurentius 319 517.
Crabbe Petrus 520.
Cracovia 506.
Crema 146.
Crescentius Aesinus 26 sq 36.
Creta 79 99 143 147 216 570.
Croatia 147 216.
Croëse Simon 426.
Cuellar 87.
Cuenca 459.
Cumani 220.
Cura aegrotorum 207 440 603 sq 612.
Custodia, Custos 22 33 42 139 171 sq 181 407 sq 411 542 (Convent.) 564 (Capucc.).
Custodiae singulae:
— de Abrojo 350.
— Arrabidorum 293.
— Artesiae 354 sq.
— de Azores (Immac. Conceptionis) 349.
— Boliviana 353.
— Brasilis 353.
— Buffalensis 366.
— de Burgos 149.
— de Cochin 354.
— Columbiae 353.
— Constantinopolis 362 375.
— in Delfinatu (S. Antonii) 313 355.
— de Ecuador 353.
— de Estremadura 291.
— S. Evangelii 148 150 290.
— Fluminis viridis (S. Catharinae) 352.
— S. Gabrielis 148 sq 349 357.
— Holsatiae 148 151 355.
— de Honduras 353.

Custodiae singulae:
— de Jalisco 352.
— S. Iosephi 292.
— Kylolensis 148 151.
— Langobardiae (S. Mariae Angelorum) 361.
— de Madera (S. Iacobi) 357.
— de Malacca (S. Francisci) 354.
— Maritima 361 364.
— Melitensis 362.
— S. Michaelis 349 557.
— de Michoacan 352.
— Murciae 350.
— Niciensis 364.
— Novi Mexici (S. Pauli) 352.
— Papiae (S. Paschalis) 344.
— Paschalitarum 292.
— Pedemontana 361.
— Peruviana 353.
— Pietatis (S. Mariae de Pietate) 148 150 291 349 357.
— Portensis 349.
— de la Rabida (Arrabidorum) 293.
— Recessuum S Bonaventurae 360.
— Sabaudiae 354.
— Silesiae (S. Hedwigis) 364.
— S. Simonis 292.
— SS. Trinitatis in Gallia 355.
— de Zacatecas 352.
Cybo, Card. protector 289.
Cyprus 237 491 497.
Czernohorsky Boleslaus 530.

Dacre d' Udine 118 120.
Dalmatia 216 218 476 607 609.
Damascus 491.
Damiani, S., monasterium 4 9 82 575.
Dania 135 439 sq.
Daniel de Dongo 414.
— S., martyr 223.
Dante 264 sq 603.
Dappen Bernardus 416.
Dardelli a Mantua 266.
Datoris Io. 423.
David ab Augusta 38 sq 261.
Daza Antonius 521.
Definitores generales 164 381 389 540 (Convent.) 562 (Capucc.).
Definitores perpetui 382 411 540 (Convent.).
— provinciales 168 381 410 541 (Convent.) 566 (Capucc.).
— temporanei 540 542 (Convent.).
Dekan, missio 488.
Deledeuille Io. de la 451.
Delegatus generalis 394.
Delfini Aegid. 126 sq 383.
— Iacobus 239.
Délicieux Bernardus 56.
Demetrius a Tafelicio 233.
Deodatus Io. 458.
Dernoye Bonaventura 519.
Devos Capistranus 432.
Diaz Ios. Ant. 473.
— Petrus 85.
Didacus, S. 87 225.
— Arias 85.
— Bononiensis 307 311.
— a Brieda 467.
— a Cadiz, B. 569.
— a Landa 456.
— a Stella 443.
Diez Philippus 443.
Diruta Hieronymus 529.
Discalceati 125 289 sq 340 350 sq 377 384 393 402 447 480 599.
Discreti cap. gen. 154 163 sq 179 381 390 406 409.
— — provinc. 154 167 174 180 sq 381 412 544 (Convent.) 567 (Capucc.).
— conventus 177 sq 415 567 (Capucc.).
— custodiales 408.
— min. gen. 389.
Doctoratus 250 510.
Doctores bullati 252.
Doctrinale puerorum 262.
Doering Matthias 103 106.
Dôle 91 sq.
Dolera Clemens a Moneglia 276.
Dominicani 7 14 40 59 71 75 216 486 500.
Dominicus, S. 7.
— a Gonessa 198.
— de Silesia 518.
— a Soledad 481.
Domus recessus v. Recollectionis domus.
— regulares tertii Ordinis 612.
Donati Marcus 465.
Dozieck Franciscus 312.
Dschagatai 227 230.
Dublin 248.
Dukla Io. 200.
Dulcino 35.

Eberlinus a Günzburg 419 429.
Ecclesia Anglicana 605.
— Matrix ordinis 320.
Ecuador 458 sq 571.
Egan Boëtius 439.
— Michael 476.
Egenburg 431.
Eger 499.
Elbel Beniamin 518.
Electus, martyr 223.
Elias a Cortona 8 sq 19 sq 24 sq 36 140 sq 152 sq 155 162 166 189.
— Hungarus 230.
Elisabeth a Thuringia 602.
Elisabethinae 615.
Elstow, frater 437.
Emanuel a S. Mathia 488.
Emanuela Theresia a Bavaria 586[3].
Episcopelli 75.
Epistola excusatoria 56.
Equites Teutonici 221.
Erasmus Rotterdamensis 516.
Erdt Paulinus 520.
Eremitae pauperes (Coelestini) 46.
Eremitoria 175.
Erfurt 422.
Erie 476.
Erythraea 571.
Erzerum 232.
Escoriola Bernardus 86.
Espallargos Petrus 482.
Espinar Alphonsus 446.
Estremadura 148.
Eubel Conradus 525.
Eucharistia 10 202.
Eudes Geraldus 68 72 218.
— Rigaldus 259.
Eugeniani 133.
Eugenius IV, Papa 102 sq 109 112 116 124 127 133 163[1] 170 188 190 218 224 239 607.
Europa 217 sq 476 sq 570.
Eusebius ex Neumarkt 424.
Everaerts Franciscus 435.
Exactor 543.
Examinatores candidatorum 410.
— scripturarum 409.
Exclareni 122.
Excorporatio 177.

Exemptio 210.
Expositio IV magistr. 26 39.
Exspectantiae 383.
Ezzelinus 189 207.

Faber Claudius Gabriel 433.
Fabianus a Bachia 218 221.
— missionarius 218.
Factor Nicolaus 301.
Familia cismontana 106 sq 111 117 137 141 150 179 sq 255 343 373 404 sq 413; v. Constitutiones.
— ultramontana 106 sq 111 137 141 150 sq 179 sq 255 349 sq 375 sq 404 413; v. Constitutiones.
Faraut Gregorius 464.
Farinier Guilelmus 75.
Faure Franciscus 443.
Febronianismus 324 518.
Felix V (Antipapa) 105 sq.
— a San Severino 479.
Fera Antonius 531.
Ferber Nicolaus ex Herborn 425 439 448 455.
Ferdinandus ab Albizzola 477.
— de Illescas 89.
— S., a Castilia 602.
— de Rueda 87.
— IV, rex Siciliae 326.
— de Villaquiran 89.
Fernandi Gometius 89.
Ferraris Lucius 518.
Festum SS. Trinitatis 201.
Feuardent Franc. 434.
Fidanza Io. v. Bonaventura, S.
Fidelis a Fanna 509.
— S., a Sigmaringa 569.
Fiedler Restitutus 530.
Filiatio 543.
Findling Io. 428.
Fioretti 264.
Fischer Chrysanthus 529.
Flandria 314 355 606.
Fleck 420[1].
Fleming David 339.
Florentia 44 47 190 219 232 343.
Florentini Theodosius 569 616.
Florenzac 450.
Florida 352 366 468.
Fonseca Iosephus Maria ab Ebora 524.
Fontcubierta Michael 472.
Fonte Colombo 9 82[3].
Fontenay-le-Comte 91 sq.
Forest Io. 436 sq.
Formosa 465.
Fortanerius Vasalli 74.
Franceschini Felix 533.
Franchini Io. 547.
Francia 7 26 40 44 50 56 73 77 90 sq 97 99 103 sq 107 109 sq 115 117 sq 121 125 128 sq 133 sq 148 182 193 198 213 274 325 sq 354 sq 391 391 398 432 sq 493 sq 535 556 607 609 sq 615
Francisca a Iesu Maria 592.
Franciscanae Discalceatae 616.
— Limburgenses 614.
— missionariae 449 616.
— pauperes adorationis perpetuae 616.
Franciscani, fratres tertii ordinis 612.
Franciscus Aesinus 303.
— ab Alcozer 460.
— ab Alday 463.
— de Alexandria 231.
— Asculanus 70.
— S. Assisiensis 1 sq 21 sq 139 190 sq 209 215 234 239 298 575 sq 594 sq.
— a Bruges 266.
— a Fermo 232.
— Gabriel d'Anunciacam 529.
— a Gata 481.
— a S. Iosepho 461.
— de Lautern 65.
— a Ledesma 262.
— de Luniano 305 sq.
— Matritensis 525.
— a Mistretta 479.
— Neapolitanus 224.
— de Nicolis 286.
— Parisiensis 573.
— del Pilar 464.
— de Porras 471.
— della Rovere 117 sq.
— a Saxoferrato 588.
— S., Solanus 460 465.
— de Spinolis 97.
— a Spoleto 224.
— Tarentinus 479.
— Tolosanus 278.
— de la Trinidad 481.
— a Victoria 457.
— S., Xaverius 234 482 485.
Franko Apollinaris 484.
Frassen Claudius 516.
Fraternitates 202.
Frati bigi 612.
Fraticelli 35 58 82 122 197.
Fratres Apostoli 35.
— de Bulla 108.
— de Bursa 108.
— grisei 612.
— pauperes S. Franc. (III Ord.) 611.
— Praedicatores v. Dominicani.
Freiburg (Friburgum) in Brisgov. 430.
Freising (Frisinga) 510.
Fridelin Stephanus 199 261.
Fridericus I, rex Daniae 439 sq.
— II, imperator 25 sq 189.
Frieß Michael 429.
Fritelli Faustus 530.
Fritsch Io. 420[1].
Fröhlich Bonifatius 432.
— Conradus 481[1].
Frosconi Paschalis 323 sq.
Fuentes Franc. 529.
Fuertaventura 89 225.
Fulgentius Taurinensis 333.
Fuschi Michael a Cesena 55 67 sq.

Gabriel Maria v. Gilbert Nicolai.
— a Varceno 573.
Gaetani Benedictus 41 213.
Galatinus Petrus 256.
Galbiato Antonius a 349.
Galizia 431.
Gallia v. Francia.
Gallicanismus 324.
Galvani L. 603.
Ganassi Iacobus 528.
Gandersheim 423.
Ganganelli Laur. 533.
Garces Franc. 472.
Garcia Dominicus 461.
— Franc. Diego y Moreno 474.
— Iosephus 316.
— Moreno ab Ecuador 603.
— de Padilla 452.
Garsias de Roales 87.
Gaßmann Polychronius 517.
Gaufredi Raimundus 45 49 sq 231.
Gausset Petrus 433.
Gebron Bernardinus 424.
Gemona 617.
Geneva 432.
Gentilis a Matelica 232.
— a Spoleto 81 sq.

Genua 25 78.
Georghegan Bonavent. 490.
Georgia 231.
Georgius ab Amberg 431.
Germain Guido 433.
Germania 7 sq 24 65 73 78 sq 96 sq 99 105 107 109 111 115 123 128 134 sq 140 142[1] 194 197 sq 246 255 sq 264 342 355 sq 391 399 sq 494 538 557 597 607 610 612 615.
— inferior 434.
Gerson 80.
Gesualdi Philippus 534.
Gherardus a Borgo San Donino 29 44 245.
— Segarelli 35.
Giacomino de Verona 264.
Giano 82[3].
Gil Chrysostomus 472.
Gilberti Maturinus 453.
Gilbertus Nicolai 133[2] 590.
Gines de la Querada 484.
Giotto 602.
Girbal Narcissus 461.
Glapion Ioannes 416 453.
Glaßberger Nic. 262.
Goa 234 354 488.
Godefroy v. Gaufredi.
Gometius Fernandi 89.
Gonsalvus a Valboa 48 50 sq 55.
Gonzaga Franciscus, minister gen. 277 304 311 522 591.
Gorkum, Martyres de 434.
Görres G. 494.
Gosseal Petrus 459.
Göttingen 423.
Goyaz, missio 467.
Graecia 40 47 103 143 477 492 sq.
Graff Leonardus 429.
Granata 149 222 289.
Grand Antonius le 519.
Graziani Raynaldus 130 135.
Greccio (Graecium) 30 82[2] 201.
Greculus 194.
Gregoriana 304.
Gregorius IX, Papa 10 20 sq 25 sq 33 46 61 156 163[1] 166 172 184 189 191 204 211 227 235 577 581 sq 595 sq.
— X, Papa 34 40 141.
— XI, Papa 77 82 156 184 218.
Gregorius XII, Papa 77 80 90 170.
— XIII, Papa 294 304 389 402 412 482.
— XV, Papa 331 405 478 494.
— Neapolitanus 7.
Greiderer Vigilius 527.
Grifo 190.
Grimani 136.
Grioglio Gabriel 487.
Gritsch Io. 199.
Grone Andreas 417 423.
Grosseteste Rob. 209 246.
Grossi Ludovicus a Viadana 528.
Gruber Philibertus 519.
Guadalupe in Zacatecas 455.
Guadalupenses 125 131 289 sq.
Gualterio Archangelus Messanensis 280.
Guane 457.
Guardiania 413.
Guardianus 18 33 167 sq 173 174 sq 180 sq 412 sq 543 (Convent.) 567 (Capucc.).
Guardianus titularis 413.
Guatemala 456.
Guayana, missio 571.
Gubernatis Dominicus a Sospitello 215 275 526.
Gubier Iulianus 433.
Guérin Rogerius 236.
Guibertus de Tornaco 193.
Guignoni Clemens Panormitanus 323.
Guilelmus Ambiacensis 213.
— Casalensis 100 190 587.
— a Gouda 261.
— Occam 67 sq.
— a Prato 230.
— Rubruck 227.
— a Saint-Amour 245.
— a Sichem 519.
Guinea 216 225.
Gundisalvi Ferd. 86.
Guttenberg Io. 420[1].
Guyana 468.
Guzmán Bernardinus 466.
Gy Chrysologus de 573.
Gymnasia 499 546 (Conv.).

Hadrianus V, Papa 30.
Hafenbrack Io. 420[1].
Haichan, Magnus-Chan 229.
Haiti 452 456.
Halberstadt 427.
Halle ad S. 423.
Hanisch Franciscus 418 420[1].
Harold Franciscus 439 522 524.
Hauzeur Matthias 436.
Haverland Gervinus 418.
Haye Io. de la 436 438 443 517.
Hayer Io. Nic. 516.
Haymo de Faversham 24 sq 195 204 sq 244.
Heath Henricus 438.
Heidelberg 97 510.
Heilbronn 430.
Heilmann Gregorius 430.
— Kilianus 430.
Helenae, conventus S. in Florida 469.
— Serbiae regina 219.
Heller Ioannes 426.
Helms Henricus 424.
Helvetia 476 538.
Helyot Hippolytus 610.
Hennepin Ludovicus 475.
Henning Ricke 423.
Henno Franciscus 518.
Henricus a Baume 589.
— a Burgeis 264.
— de Ceva 58.
— a Coimbra 233.
— II a Cypro 236.
— a Duderstadt 263.
— VIII, Angliae rex 436 sq.
— a Kettenbach 420[1] 429.
— Pisanus 265.
— de Thalheim 65 70.
— de Werl 198.
Herborn Nic. 425 439 448 455.
Hercegovina 476.
Herculanus a Piagale 198.
Herincx Guilelmus 518.
Hermann Amandus 518.
Hermannus a Confluentia 426.
— de Wied 426.
Herp Henricus 503.
Herrero Andreas 464.
Hesdin 91.
Hibernia 28 148 438 sq 538 610.
Hieronymus ab Ascoli Piceno 40 sq 189.
— a Lemberg 431.
— a Montefortino 517.
Hillebrant Michael 424.
Hippolytus 431.
Hiquey Antonius 522.
Hispania 7 78 80 85 sq 91 97 99 104 107 109 111

120 122 123 sq 129 135 148 151 181 sq 198 222 256 341 349 sq 365 371 sq 391 405 sq 448 sq 493 sq 535 558 606 611.
Hoffrichter Vitalis 432.
Hofmeister Sebastianus 417[6].
Hohenstaufen 189.
Hollandia 356 606.
Holtzmann Apollonius 518.
Homines silvestres 35.
Honduras 353 456.
Honorius III, Papa 7 18 187 577.
Honsius Christianus 426.
Horatius a Penna 570.
Horn Io. 428.
Hortulana 576.
Hospitalitae 615.
Hove Petrus de 518.
Hueber Fortunatus 527.
Hugenottae 432 sq.
Hugo de Dina 29 35 39 48 193.
Hugolinus, Cardinalis 8 sq 20 576 sq 595.
— de Trincis 82.
Humbertus, Episcopus Basileae 214.
Hunan 487.
Hungaria 7 96 107 141 146 197 200 341 345 sq 399 538 610.
Hupei 487.
Hussitae 197 430.
Hylaret Mauritius 443.

Iacobitae 190 228.
Iacobus Colonna 48 57.
— a Corella 573.
— Delfini 239.
— de Marchia, S. 85 103 112 114 sq 117 197 218 221 254.
— Oddi Perusinus 262.
— Patavinus 233.
— de Podio 235.
— de Primadizzi 109 190 232.
— a Russano 231.
— de Sarzuela 116 sq.
— a Schoenebeck 420[1].
— a Vitriaco 17 184 191 575 581.
Jacopone Benedetto de Tuderto 264.
Iaffa 235.
Iagello, Lituaniae princeps 221.
Iansenismus 504.
Iaponenses martyres 298.
Iaponia 482 sq.
Iava 490.
Ibañez Bonaventura 486.
Jean Petit (Ioannes Parvus) 80 221.
Jean St, d'Angely 102 sq.
Ieiler Ignatius 509.
Ieremias Lyciensis 235.
Ierusalem (Hierosolyma) 216 235 494 499 509.
Iesso 485.
Iesuitae 421 444 462 sq 478 482 486 500 505.
Iglesias Ludovicus, Cardinalis 330.
Jimenes (Ximenes) Franciscus 120 129 151 205 222 sq 256 590.
— Hieronymus 460.
Ildephonsus de Biezma 316.
— Salizanes 286.
Incontro 309 sq.
India 143 396 sq.
— orientalis 226 229 233 353 sq 397 488 sq.
Indulgentia Portiunculae 7 166.
Indulgentiae praedicatio 415 sq.
Ingenbohl 616.
Ingolstadt 508.
Inka, regnum 458 sq.
Innocentius III, Papa 5 7 16 46 187 576.
— IV, Papa 25 sq 28 30 33 43 72 162 163[1] 189 212 217 219 231 245 248 583 sq 596.
— VI, Papa 82.
— VII, Papa 77 170 587.
— VIII, Papa 124 239.
— X, Papa 534.
— XI, Papa 284 288 395 513.
— XII, Papa 386.
— XIII, Papa 203 319 372 408.
Inquisitio 188.
Institutum Orientis 558 570.
Insulae Societatis 491.
Insulanus Andr. Alvarez 276.
Interstitia 385.
Introductorius in Ev. 29.
Ioachim, S. 203.
— de Floris 29 46.
— de Llevaneras 554.
Ioachimismus 28 sq 37 44 47 sq.
Ioanna de Iussie 432.
— regina Neapolit. 77.
Ioannes XXI, Papa 228.
— XXII, Papa 47 56 sq 58 sq 73 75 79 96 201 230 248 252.
— XXIII, Papa 80 91.
— a S. Antonio 524.
— ab Aragonia 218.
— de Ayora (van der Auwera) 452.
— de Baeza 89.
— de los Barrios 466.
— de Belna 60.
— de Biturici (Bourges) 198.
— a Breitenbach 416.
— a Campanea 283.
— de Capella 5[2].
— a Capistrano, S., v. Capistranus.
— de Cartagena 443.
— a Cetina 222.
— de Chevegneyo 78.
— de Conpello 7.
— de S. Const. 5[2].
— de la Deledeuille 451.
— a Deventer 426.
— de Diest 207.
— de Dukla 200.
— ab Escalona 470.
— Ethaeus 224.
— Gandavensis 456.
— Guadalupensis 125 148 289 sq 299.
— de la Haye 436 438 443 517.
— Hierro 281.
— Hungarus 431.
— Ios. a Cruce 298.
— a Komorowo 262.
— de Llagas 296.
— Marchesinus Regiensis 260.
— de S. Maria 296.
— a S. Martha 484.
— a Maubert (Perioche) 106 111.
— a Mendoza 458.
— Mincio a Murrovalle 45 48.
— de Minden 198.
— a Monte Corvino 189 224 228 231 sq.
— de Natividade 529.
— de Padilla 470.
— Parenti v. Parens.
— a Parma 27 32 48.
— Parvus 80 221.
— Peckam (Pechanus) 38 sq.

Ioannes Perrinus 126.
— Perusinus 222.
— a S. Philiberto 457.
— de Pisauro 297 532.
— de Plano Carpinis 220 227.
— a Plasencia 480 sq.
— a Polliaco 214.
— a Ponto 478.
— a Prado, B. 477.
— de Prato 198.
— praedicator in Braunschweig 423.
— a Puebla 124 sq 149 272 289 sq 299.
— de Quevedo 452.
— de Rupella 24 26 244.
— de Stronconio 83 sq.
— de Tecto (Couvreur) 452 456.
— a Triora 487.
— a Valle 81.
— a Vergara 466.
— a Villa-Comte 488 sq.
— de Werden 199.
Ioannetius a Molina 297.
Ioannitae 418.
Ionas Godefredus 438.
Jonghe Balduinus de 436.
Iordanus a Iano 262.
Iosaphat, vallis 237 sq.
Iosephus, S. 203.
— II, Imperator 326 494.
— M. ab Ancona 524.
— ab Atino 479.
— M. de Bonis 534.
— a Conceptione 490.
— a Cupertino 533.
— S., a Leonissa 569.
Isabella, B., a Gallia 584.
Isidori, Colleg. S., Romae 449 499 508.
Italia 7 79 81 sq 89 98 104 110 111 121 128 132 sq 142 146 sq 182 193 196 sq 209 256 263 308 341 343 360 sq 372 405 534 555 sq.
Iubilatio 512 sq.
Iulianus a Spira 262 264 266.
Iulius II, Papa 122 130 138 156 588 590.
Iuniperus, socius S. Francisci 580.
Iüterbog 416.
Iviza 216.

Kaiserslautern 426.
Kalteisen Vitus 430.
Kannemann Io. 199.
Kap Verde (Promontorium Viride) 225 479.
Karakorum 227.
Karlowitz, Pax de 493.
Kastner Henricus 199.
Kemminger Io. Franc. 430.
Kempen Stephanus 418[1].
Kempten 430.
Kentucky 475.
Kerckhove Gaudentius 519.
Kettenbach Henricus a 420[1] 429.
Kiptschak 227 230 233.
Kling (Clingius) Conradus 422.
Köln (Colonia) 425 508.
Kongo 216 226 479 571.
Kranganur 488.
Kravendon Franciscus 425.
Kreiß Io. 420[1].
Kreuznach 427 430.
Krisper Crescentius 517.
Küchler Adalbertus 528.
Kurland (Curia) 221.

Lacueva Manuel 464.
Ladislaus a Gielniow 200 221.
Ladurner Iustinianus 520.
Laici fratres 24 sq 32 83 155 175 179 297 414 544 (Convent.) 567 (Capucc.).
Lambert Franciscus 419.
Lambruschini 386.
Lamprechtus a Ratisbona 261 264.
Landini Basilianus 464.
Lanz Hieronymus 432.
Lanza Hieron. 309 531.
La Paz, Colleg. missionum 463 sq.
Lapini Anna 616.
Lapponia 216 222.
Larrea Ferdinandus 457.
Laselve Zacharias 443.
Lasuen Franciscus 473.
Lauer Aloysius 334 337 339 442.
Laurentius de Alexandria 231.
— a Bienvenida 456.
— a Brundusio, S. 568.
Laval 90 92.
Le Caron 475.
Le Clerc Christianus 475.
Leclerc Ios. du Tremblay 568.
Lectores 248 sq 379 383 412 501 509 sq 572.
Lectores emeriti 513.
— generales 506 511 sq.
— iubilati 512 sq.
— provinciales 511.
— qualificati 513.
— sacri Palatii 248.
— supernumerarii 514.
Lemberg (Leopolis) 220.
Leo X, Papa 122 135 sq 151 158 162 180 214 252 308 394 404 522 539 590 608 610.
— XIII, Papa 202 336 386 388 476 590 597 599 602 605.
— III ab Armenia 232.
— Assisiensis 6 580.
— Marquardus 430.
— Perego 193.
Leonardus Marcae 266.
— a Portu Maurizio, S. 202 309 444 519.
— a Publicio 275.
— de Rossi 76 sq.
Leopoldus I, Imperator 311.
— a Gaichis 444.
Leprosi 207.
Lerchundo Ios. 478.
Leykham Burkardus 420[1].
Liberatus de Macerata 46 sq [321.
Libya 223.
Licentiatus 250.
Lichetto (Lychettus) Franciscus 255 271 sq 300 392 417 591.
Lignipedes 82.
Lima 460
Linderath Hugo 528.
Link Io. 429.
Lippi Raphael a Ponticulo 333.
Liszt Franciscus 529 603.
Lithuania 143 221.
Litterae Apostolicae (v. et sing. Pontifices):
— Ad conditorem (1322) 61 sq 99.
— Ad fructus uberes (1281) 212.
— Ad statum (1430) 101 sq.
— Apostolica (1741) 321.
— Auspicato (1882) 605.
— Cum illius vicem (1579) 304.
— Cum inter nonnullos (1323) 64 sq.
— Dum fructus uberes (1472) 118.
— Dum praeclara (1447) 109 sq.

Litterae Apostolicae:
— Dum singulos (1474) 120.
— Etsi nostrae (1510) 133.
— Exiit qui seminat (1279) 39 41 sq 47 sq 49 53 60 sq 75 552.
— Exivi de paradiso (1312) 52 sq 62 75 169 552.
— Exultantes (1283) 43 sq.
— Felicitate quadam (1897) 337 sq.
— Fidei cathol. fundamento (1312) 52.
— Fratrum ord. Min. (1443) 107.
— Gloriosam ecclesiam (1318) 58.
— Gravissimas (1838) 331.
— Iniuncti nobis (1639) 308.
— In suprema (1532) 303.
— In suprema (1832) 330.
— Inter graviores (1804) 327.
— Ite et vos (1517) 136.
— Militantis (1640) 284.
— Misericors Dei Filius (1883) 599.
— Obtentu (1266) 31³.
— Omnipotens Deus (1517) 137.
— Ordinem vestrum (1245) 26 sq 30 sq.
— Pro nostra ad b. Franc. devotione (1458) 116.
— Quia nonnunquam (1322) 60.
— Quia quorundam (1324) 66.
— Quia vir reprobus (1329) 69.
— Quo elongati (1230) 23 42.
— Quorundam exigit (1317) 57.
— Redemptor noster (1336) 74.
— Regimini univ. ecclesiae (1474) 119.
— Religionis zelus (1528) 549.
— Romanum Pontificem (1516) 135.
— Sacri Praedicatorum et Minorum (1479) 119.
— Sacrosancti (1748) 322.
— Sacrosanctum (1625) 282.
— Sancta Romana (1317) 58.

Litterae Apostolicae:
— Solet annuere (1223) 18.
— Sollicitudo (1679) 288.
— Summe decet (1727) 320.
— Super cathedram (1300) 213.
— Super gregem (1431) 103.
— Universalis (1724) 320.
— Ut sacra ord. Min. religio (1446) 108.
Liturgia 200 sq 265.
Livinus de Francia 224.
Livonia 221.
Loches 91.
Lomnitzky Gregorius 432.
Longa M. Laurentia 592.
Longchamps 584.
Loo Bernardus a 519.
Lope de Vega 603.
Lopez Alphonsus de Spina 260.
— de Salazar 88 123 299.
Loreiro Antonius de 234.
Loreto (Lauretana basilica) 539.
Louis, St 366.
Louisiana 571.
Löwe Io. 418[1].
Löwen (Lovania) 504 508 510.
Lucas de Apulia 193.
Lucci Antonius 547.
Luchesius a Castro Bonitii (Poggibonsi), B. 595.
Ludovicus I, rex Bavariae 494.
— IX, S., rex Franciae 584 602.
— XIV, rex Franciae 493.
— XV, rex Franciae 325.
— Bavarus 66 sq.
— Bononiensis 233.
— a Casoria 612.
— Donatus 78.
— a Forosempronio (Fossombrone) 548.
— a Laurentiana 479.
— Maria ab Ameno 513.
— missionarius 234.
— de Padua 123.
— praedicator 194.
Luedecke Conradus 418[1].
Lullus Raymundus 223 502 602.
Lunello Vincentius 275.
Lusitania v. Portugallia.
Luthard Io. 420[1].
Lutherani 416.
Lutherus 416 419.

Luyando Philippus 460.
Luzon 480.
Lyon (Lugdunum) 27 34 40 49 66 68 189 219 287.

Mabillon (Mabillonius) 502.
Macao 485.
Macedo Franciscus 516.
Macedonia 143 477.
Machetti Iesualdus 467.
Madagascar 480.
Madera 225 349.
Madras 571.
Madrid (Matritum) 388.
Maeder Io. 199.
Maes Bonifatius 519.
Magdeburg 423.
Magister generalis 137 539.
— provincialis 541.
— theol. 250 545 (Convent.).
Maillard Oliverius 198.
Mainz (Moguntia) 255 326 424.
Malacca 354 489.
Malcampo Emanuel 328.
Maldonado 456.
Maler Balthasar 417[6].
Mallorca (Maiorica) 39 223.
Malta 344 535.
Maltei Io. a Calvi 275.
Mammotrectus 260.
Manar 489.
Manero Petrus 285 520 525.
Manila 480 sq 489 sq.
Maniscalco Iosephus M. 331.
Mantanera 86.
Mantua 510.
Marcae Leonardus 266.
Marcellinus a Civezza 527.
Marchant Petrus 275 519 614.
Marchena Ant. de M. 451.
Marchesinus Io. Regiensis 260.
Marchi Petr. Paulus de 487.
Marcucci Terentius 465.
Marcus ab Aviano 568.
— Bononiensis 112 sq 119 219.
— Niciensis 459 470.
— Ulissiponensis 521 527.
— Ulissiponensis, miss. 481.
— a Viterbio 76.
— de Zarzosa 289.
Marczic Ranier-Franciscus 526.
Mare magnum 119.

Margarita, S., de Cortona 602.
Margil Antonius 455 sq 472.
Maria ab Agreda 590.
— S., de Angelis 86.
— de Angelis v. Portiuncula.
— de Anglia 437.
— de Aragonia 86.
— de Passione 616.
Marianae insulae 491 571.
Marianus Florentinus 81 521.
Marienwerder 221.
Marignola Io. 230 sq.
Marini Gundisalvus 85.
Marius a Calassio 517.
Marochium 7 sq 97 143 222 sq 477.
Maronitae 190 497.
Marquardus Leo 430.
— a Lindavio 261.
Marrey 475.
Marseille (Marsilia) 57.
Martein Martinus 328.
Martellus ex Provincia 231.
Martinez Alphonsus 470.
Martini Io. Bapt. 529.
Martinistae 103 109 121.
Martinozzi Barthol. 224.
Martinus IV, Papa 43 sq 52 65 79 99 127 131.
— V, Papa 79 89 95 97 sq 99 101 sq 107 127 162 sq 239 252 530 607 612 sq.
— a Cochem 573.
— a Coruña 455.
— a Robleda 462.
— a Sangiorgio 78.
— a Valencia 453 455.
Maryland 475.
Massaeus de Marignano 6.
Massaja Guilelmus 571.
Mathew Theobaldus 569.
Mattei Stanislaus 529.
Matteucci Augustinus 517.
Matthaeus ab Aquasparta 44 248.
— a Bassis 300 548.
— a Iumilla 460.
— Narniensis 7.
— de San Stefano 289.
Matthias de Tivoli 123.
Maubert 106 111.
Mauri, Cardinalis 336.
Maximilianus I, dux Bavariae 310.
— I, Imperator 128 135.
Mayer Sebastianus 417[6].
Mayron Franciscus 2.
Mazzara Io. 284.
Meako, missio 483 sq.
Mechler Aegidius 420[1].
Meckenlör Casparus 423.
Medardus a Kirchen 431.
Medici Hugolinus 597.
Medina del Campo 88.
Mediolanum 77 79 123 146.
Meermann (Alostanus) Arnoldus 435.
Meliapur 228.
Melinda 226.
Melsat Nicolaus 220.
Memoriale 33 595.
Mendicantes et clerus parochialis 209 sqq.
Mendieta Hieronymus 454.
Menendez 468.
Mengershausen Christophorus 423.
Menne Edelbertus 519.
Merinero Io. 283.
Mesopotamia 570.
Metz 28 97.
Mexicum 352 365 sq 450 sq 469 sq.
Michael, S., a monte 87.
— de Carcano 198.
— Fuschi a Cesena 55 sq.
— a Medina 516.
— Pius a Zerbo 479.
— a Salamanca 490.
Michaelitae 70.
Michelangelus Venetianus 569.
Michigan 476.
Michoacan 455.
Mielich Ieremias 429.
Miletius Ambrosius 434.
Miliani Conradus 223.
Mincio v. Io. M. a Murrovalle.
Minister civitatis (tertius ordo) 595.
— Custos 565.
— generalis 152 156 sq 380 sq 386 sq, Tabella I, 539 sq (Convent.), Tabella V, 561 (Capucc.), Tabella VI.
— generalis III Ord. reg. 606 sq 611.
— provincialis 7 sq 153 166 sq 409 sq 541 (Conv.) 565 sq (Capucc.).
— provincialis III Ord. 596.
— titularis 407 541 (Conv.).
Ministeriani 109.
Ministra III Ord. 598.
Mino Turrita 263.
Minorca 216.
Minores Fratres 6.
Minorica elucidativa 128[1].
— Fr. Conventualium 532.
Minorissae 584 sq.
Mirabeau 90 92 93.
Miranda Ludovicus 519.
Missale 204 sq.
Missiones (paganorum) 14 215 sq 444 sq.
— Capuccinorum 568 sq.
— Conventualium 544.
Moçambique 226 480.
Moccagatta Aloysius 487.
Mogi (Magni) Franciscus 487.
Mogoli 226 sq.
Moldavia 216 220 sq.
Moles Io. Bapt. 306.
Molina Alphonsus 453.
— Io. 400.
— Petrus Ioannetius 323.
— Stephanus 300.
Monaldus 261.
— Anconitanus 232.
Montagne Guilelmus 433.
Montalvus Thomas 519.
Montanari Iacobus a Bagnacavallo 532 545.
Montecorvino v. Ioannes a M.
Montegiove 82[3].
Montenegro 217 477.
Monteprandone 242 255.
Montevideo 571.
Monticastri Bernardinus a Tuderto 450.
Monticello 581.
Montpellier (Mons Pessulanus) 44.
Morales Franciscus 460.
Moreno Garcia 603.
Moretti David 528.
Moricus, socius S. Francisci 5[2].
Mors nigra 73.
Morus Thomas 603.
Motolinia Torybius 453.
Muley Ismael 477.
Müller Seraphinus 431.
München (Monachium) 71 79 499.
Mundinus Bononiensis 222.
Münster Sebastianus 420[1].
Murner Thomas 418.
Murviedro 86.
Museum philologico-sacrum 508.
Musica ecclesiastica 265 528 sq.

Mussart Vincentius 610.
Musso Cornelius Placentinus (Piacenza) 544 547.
Myconius Fridericus 419.

Naaman Ludovicus 424.
Nagasaki 483.
Nägele Martinus 430.
Nanni Franciscus 120.
Narbonne 32 33 48 49 55 sq.
Nas Ioannes 429 432.
Nationes ordinis 342.
Naumburg 427.
Nazareth 235 237 491.
Neapolis 50 278 381 505 531.
Negapatam 488.
Neudecker Sigismundus 319 519.
Neutrales 122 sq.
Nevers 312.
Nevrzly Ivo 432.
Neyen Ioannes 435.
Nicaragua 456.
Nicolai Gilbertus 255 272 590.
Nicolaitae 133.
Nicolaus III, Papa 41 46 49 51 57 60 sq 66 156 204 213 228 259 274 582³.
— IV, Papa 40 49 141 163¹ 172 189 218 sq 220 236 259 263 393 597 sq 599 606.
— V, Papa 67 110 sq 112 163¹ 170 217.
— Auximanus 105 239.
— a Bessa 76.
— de Britannia minori 91.
— Caroli 97.
— Cusanus 111 116.
— Archiepiscopus de Peking 230.
— Factor 301.
— a Lotharingia 433.
— de Lyra 260.
— min. prov. Franciae 44.
— Minorita 262.
— de Monte Corvino 224.
— de Orbellis 255 260.
— Pickius, S. 434.
— de Pistoia 228.
— Rodolphe 93.
— Tavileis de Sebenico 237.
Nimperquey Thomas 220.
Ninguarda Felix 277².
Nipon 484.
Norveys Philippus 214.
Norwegia 135 440.
Nova Biscaya (missio) 469.
— Brunsuiga (missio) 475.
— Scotia (missio) 475.
— Seelandia (missio) 491.
Novae Hebrides (missio) 491.
Novajos 472.
Novum Mexicum (missio) 366 470 sq.
— regnum Leonis (missio) 470.
Novitii, Novitiatus 6 8 22 26 32 38 42 110 132 372 410.
Numai Christophorus 137 271.
Nuñez Ioannes 295 521.
Nuntius 21 sq 27 42 sq; v. etiam Syndicus apostolicus.
Nürnberg 429.

Oberrauch Herculanus 518.
Obicini Thomas 517.
Obligatio ad chorum 74.
Obregon Bernardinus 611.
Observantes 36 72 81 sq 92 sq 95 sq 98 sq 106 sq 120 sq 135 sq 149 178 196 sq 216 239 253 266 sq 530 sq 590 598.
Occam Guilelmus 68 70 sq 254 258.
Occamistae 501.
Occhino Bernardinus Senensis 551.
O'Clery Michael 520.
Ocopa 461.
Oddi Iacobus 262.
Odon Rigaud 193.
Odonis (Eudes) Ger. 68 sq 72.
Odoricus a Collodi 490.
— a Portunaone 229 233.
O'Douyhee Eugenius 528.
O'Dovany Cornelius 439.
Oeconomici 43.
O'Hely Patricius 439.
Oliverius Maillard 198.
Olivi Petr. Io. 44 46 sq 49 51 67.
Olmos Andreas 453.
Olpe 616.
Orante Franciscus (Horantius) 502 516.
Oranum 213.
Orbis seraphicus 526.
Ordiales 89.
Ordinis archivum 388 526.
— habitus 5 32 55 sq 82 91 122 124 sq 276 292 315 548.
Ordinis historia 262 520 sq.
Ordo tertius 8 157 189 205; v. etiam Tertiarii.
Oriens 6 sq.
Orinoko 458 571.
Orsini (Ursini) Matthaeus 41 156.
— Napoleon 47 156.
Osaka 483.
Osimo (Auximanum) 117.
Otto a Passavio 261.
Ottoboni 50.
Oviedo (Ovetum) 86 253.
Oxford (Oxonium) 242 244 246 sq 250 260 508.

Paccioli Lucas 262.
Pachuca 455.
Padua (Patavium) 40 48.
Pagani Marcus Antonius 547.
Pagi Antonius 547.
— — iunior 547.
— Franciscus 547.
Pagnucci Amatus 487.
Palaestina v. Terra Sancta.
Palencia 88 149.
Palenques 458.
Palignano, abbates titulares de 95.
Palóu Franciscus 473.
Pampas centralis 465.
— del Sacramento 461.
Pampelona 457.
Panamá 456.
Panfilo a Magliano 527.
Panigarola Franciscus 443.
Panzo 575.
Paolucci Ios. 529.
Paoluccio Trinci v. Trinci.
Papini Nicolaus 548.
Paraguay 353 465 sq.
Pareja Franciscus 468.
Parens Ioannes 19 sq 22 152 sq 157 222.
Paris (Parisii) 24 27 29 sq 32 34 49 81 91 128 130 157 175 213 242 244 sq 250 254 288 377 383 406 sq 413 503 507 sq 510.
Parma 35.
Parmentieri Ludovicus a Casoria 444.
Pas Angelus del 517.
Paschalis Baylon, S. 202 298.
— a Varisio 502.

Paschalis a Victoria 231.
Pasqual Ioannes 291.
Passio Christi 201.
Pasto 459.
Paterson 366.
Patrem Marie-Léon (Maria Leo) 527.
Patres conventus 177 543 (Convent.).
— ordinis 382.
— provinciae 382 542 (Convent.).
Patricius Ioannes 438.
Patrignani Gaudentius 328.
Patronus Cap. gen. 409.
Pauli Ioannes 199.
Paulus II, Papa 118.
— III, Papa 419 554 608 sq.
— IV, Papa 275.
— V, Papa 307 383 484.
— de Livorno 307.
— a Lordello 479.
— Mantuanus 477.
— a Matrito 295 307 sq.
— Scriptoris 256.
— a Soncino 272 300 392.
— a Sulmona 444.
— Trinci (de Trincis) 82 sq 84.
Pacificus a Ceredano 198 261.
— rex versuum 263.
— a Sanseverino 309.
Peckam (Pecchanus) Ioannes 38 201 248 259 264.
Pedemontium 360 534.
Pedroso 292.
Pehuenches 462.
Peking 228 sq.
Pelagius (Pelayo) Alvarus 60 260.
Pelbartus a Temesvar 200
Pellegrini Friedericus 544.
Pellikanus Conradus 256 419 430.
Perego Leo 193.
Peregrinus de Bononia 25[1].
— a Saxonia 218.
Peretti Felix a Montalto 531.
Perez, vic. Apostol. in Cochinchina 489.
— Ioannes 450 sq.
Perioche Io. de Maubert 106 111.
Pero Antonius 432.
Péronne 91.
Perrinus Ioannes 126.
Persia 228 232 570.
Peru 353 396 458 460.
Perugia (Perusia) 3 7 47 60 67 84 505.
Peruvia (Peru) 458.
Peto, Guardianus 436 sq.
Petrafitta Ioannes 318.
Petrarca 603.
Petrus ab Aguado 457.
— de Alcantara, S. 292 sq 443 519.
— de Alfaro 480 485.
— Alphonsus a Betanzos 456.
— de Alva y Astorga 516.
— Angelus ab Espiñeira 462.
— Antonius a Venetia 527.
— de Aquila 260.
— ab Ascensione 484.
— Aureolus 49 259 sq.
— Baptista, S. 482 sq.
— Caperolus 123.
— Cataneus 5 5[2] 8.
— Clarenus v. Clarenus Angelus.
— a Conzano 78.
— a Dueñas 222.
— Gandavensis 452.
— van den Haute 526.
— Hispanus 122.
— a Macerata 35 46.
— de Melgar 290.
— a Palacios 467.
— de Pernia 89.
— Philargi 79.
— Rainalducci 67.
— Regalatus 88.
— de Riario 119.
— de Santoyo 88 124 149.
— a Saxoferrato 222.
— Senensis 233.
— de Trani 123.
— de Villacreces (Villacretius) 88.
— de Villanova 90.
Peyri Antonius 474.
Pfeiffer Petrus 417[6].
Philadelphia 476.
Philargi Petrus 79.
Philippi Ioannes 90.
Philippinae 354 397 480 sq.
Philippopolis 570.
Philippus, frater 7.
— a Campello 263.
— Lantgravius Hessiae 425.
— Longus 5[2] 582.
— a Maiorica 58.
— Messanensis 123.
— Porcacci 135.
Pica 2 sq.
Pick Nicolaus, S. 434.
Picpus, congregatio de 609.
Piloti (Politius) Eugenius 487.
Pilotti, musicus 529.
Pinzochari 613.
Piper 194.
Piritu 458.
Pirkheimer Charitas 420.
Pisa 33 79.
Pisotti (Pisottus) Paulus 273 275 300 303 386 392 404 436 521.
Pistiae locus 81.
Pittsburg 476.
Pius II, Papa 113 116 118 196 589.
— IV, Papa 309 530.
— V, Papa 71 122 187 205 277 294 387 389 409 sq 412 531 535 590 608.
— VI, Papa 327 386 525.
— VII, Papa 534.
— IX, Papa 332 333 387. 408 495 602.
— X, Papa 386 602.
Pizarro 459.
Pizzoni Eleazarus 530.
Platina Iosephus 544.
Plaza 461.
Pobre Ioannes 482.
Podolia 220.
Poenitentes grisei 611.
— Recollectae 614.
Poenitentiarius 187.
Poenitentium Ordo 595 sq.
Poerio Bonaventura 289.
Poesis 263 sq.
Poetae 15 263 sq 527 sq.
Poggiobustone 82[3].
Politi Cajetanus a Laurino 321.
Politius Eugenius 487.
Polius Iacobus 522.
Pollinger Ludovicus 431 sq.
Polonia 96 107 135 147 sq 200 311 342 348 363 372 381 399 538.
Pölten, St 499.
Polyglotta Complutensis 256.
Polygranus Franciscus 423.
Pompallier 491.
Poncelet Polycarpus 519.
Poncius Ioannes 517 519.
Pontifices Pisani 79.
Popayán 457.
Porcacci Philippus 135.
Porta Costanzo 529.

Portesius Ioannes 434.
Portiuncula 4 sq 10 84 sq 161 166.
Porto Seguro 466.
Portugallia (Lusitania) 85 135 148 350 371 397 494 535 607.
Postulator 401 540 (Convent.).
Potosí 464.
Poyeti Bertrandus 67.
Pozzo (Puteus) Aloysius 277.
Pozzolini Dominicus 463.
Praecedentia 297 382 sq 544 (Convent.) 562 (Capucc.).
Praedicatio 16 sq 22 26 42 190 sq 195 sq 210 sq 241 440 sq.
Praedicator de Silva Nigra 194.
Praedicatores 165 sq 190 sq 379.
Praedicatores Fratres v. Dominicani.
Praeses 175 413.
Praeses apud Conventuales 543.
Prag (Pragae) 248 sq 499 506.
Pragenses, quattuordecim martyres 432.
Prati Bernardinus 135 137.
Predieri Angelus 530.
Prévost Robertus 311.
Privilegia 18 21 26 sq 78 284 383 sq 544 (Conv.) 565 sq (Capucc.).
Privilegium paupertatis 576.
Probabilismus 503.
Procopius de Templin 569.
Procurator capit. gen. 409.
— conventus v. Syndicus Apostolicus 73 543.
— frater 127 543.
— generalis in curia 160 382 385 400 sq 406 540 (Convent.) 563 (Capucc.)
Procuratoris socius 161.
Pro-custos 407.
Professio regulae 23 32 127 533 (Convent.).
Pro-guardianus 407.
Pro-minister 407.
Promontorium Viride v. Kap Verde.
Pro-protector 386.
Protector v. Cardinalis protector.
Protestantismus 267 415 sq.
Provence (Provincia) 35 45 48 sq 54 sq 90.
Pro-vicarius generalis 562.
Provinciae 7 139 sq 164 sq 340 sq.

Singulae:

— Albaniae 345 347 362 373.
— Alemanniae (superior.) v. Argentinensis.
— Algarbiorum 349 357 375.
— Alsatiae 356 378.
— Andalusiae 365.
— S. Andreae in Artesia 355 sq 378.
— S. Angeli 142 144 150 344 sq 373 sq.
— SS. Angelorum 149 sq 289 291 357 375.
— Angliae 142 144 151 240 250 255 356 364 378 436 sq.
— Antiochiae 142.
— S. Antonii in Artesia 356 378.
— S. Antonii in Brasilia 353 365 378.
— S. Antonii Charcarum 353 376.
— S. Antonii in Lusitania 300 349 357 375 377.
— S. Antonii Lyciensis 344 361.
— S. Antonii Veneta v. Veneta.
— XII Apostolorum de Peru (Limensis) 353 365 376.
— Aprutiorum (S. Bernardini) 142 144 150 346 361 373 sq.
— Apuliae 142 144 146 150 344 362.
— Aquitaniae 90 142 144 151 354 376.
— Aragoniae 85 sq 142 144 150 252 301 350 375.
— Arelatensis 142.
— Argentinensis 142 151 347 349 355 363 377 sq.
— Arrabidorum 293 296 349 sq 357 377.
— Artesiae 355 377 sq.
— Assumptionis de Paraguay et Tecuman 353 376.
— Austriae (S. Bernardini) 142 144 150 310 342 347 349 363 373 375.
Prov. Baeticae 149 sq 350 357 365 375.
— Barbariae 143.
— S. Bartholomaei in Insula 343.
— Basilicatae 146 150 346 362 373 sq.
— Bavariae 310 342 347 349 363 375.
— S. Bernardini (Aprutiorum) v. Aprutiorum.
— S. Bernardini in Gallia 313 355 364 378.
— Bohemiae 142 144 150 310 347 sq 373 375.
— S. Bonaventurae (Burgundiae) 90 142 144 151 354 376.
— S. Bonaventurae (Tusciae) 360.
— Bononiensis 142 144 150 240 346 360 373 sq.
— Bosnae 141 147 150 345.
— Bosnae Argentinae 147 345 sq 362 373.
— Bosnae Croatiae 147 345 347 373.
— Brabantiae 356.
— Brabantina 356.
— Brasiliae 353 365.
— Britanniae 148 151 355 376 378.
— Brixiensis 146 150 346 361 373 sq.
— Bulgariae 345 347 363 373.
— Burgensis 149 sq 357 375.
— Burgundiae v. S. Bonaventurae.

Prov. S. Caii in Dalmatia 345 347 374.
— Calabriae 142 144 150 344 362 373 sq.
— Canariarum 149 350 357 375.
— Candiae 150 347 373.
— Cantabriae 350 357 365 375.
— Caracarum S. Crucis 351 376.
— Carniolae 310 345 347 363 375.
— Carthaginiensis 350 357 365 375.
— Castellae (Castiliae) 85 sq 124 142 150 351 357 375.
— Catalauniae 301 345 350 365 375.
— Chile 353 365.

Prov. Cincinnatensis (S. Ioannis Bapt.) 366 472.
— Coloniensis 121 142 144 151 314 356 363 377 sq 424.
— Conceptionis 301 350 357 376.
— SS. Cordis Iesu 366 475.
— Corsicae 146 150 347 364 373 sq.
— Croatiae 150 362.
— Croatiae Carniolae 345 347 363.
— S. Crucis Caracarum 149 351 376.
— S. Crucis Lucensis 343.
— S. Crucis Saxoniae v. Saxoniae.
— SS. Cyrilli et Methodii (Croatiae) 362.

Prov. Daciae 142 144 148 150 356 377 sq 440.
— Dalmatiae 142 147 150 345 374.
— S. Didaci in Baetica 351 357 377 477.
— S. Didaci in Italia 343 346 361 373 sq.
— S. Didaci in Mexico 353 378.
— S. Dionysii in Gallia 313 355 364 378.
— VII Dolorum (Galiciae) 363.

Prov. Ecuador 365.
— S. Elisabeth v. Thuringiae.
— S. Evangelii in Hispania 290.
— S. Evangelii in Mexico 352 365 376.

Prov. S. Ferdinandi in Molisio 344 sq.
— S. Fidei in Nova Granata 353 376.
— Flamineae 142.
— Flandriae 355 sq 377.
— Florentiae 343.
— Fluminis Ianuarii 353.
— Fluvii Platensis 353.
— Franciae 90 sq 130 142 144 151 250 274 354 356 364 376.
— Franciae Parisiensis 354 376.
— S. Francisci v. Umbriae.

Prov. S. Francisci in Gallia 355 378.
— S. Francisci Solani in Peru 365.
— SS. Francisci et Iacobi in Mexico 366.
— S. Francisci de Quito 353 376.
— S. Francisci de Zacatecas 352 376.

Prov. S. Gabrielis 291 sq 295 sq 349 sq 357 376 sq.
— Galiciae in Hispania 350.
— Galiciae Immac. Concept. 363.
— VII Gaudiorum B. M. V. in Chile 365.
— Genuensis v. Ianuensis.
— S. Georgii de Nicaragua 353 365 376.
— Germaniae inferioris 142 314 356 364 377 sq 426.
— Graeciae 142 345.
— Granatensis 149 sq 350 376.
— S. Gregorii Philippin. 354 365 378.

Prov. S. Hedwigis v. Silesiae.
— S. Helenae in Florida 352 376.
— Herzegovinensis 362.
— Hiberniae 142 144 151 157 169 356 377 438.
— S. Hieronymi de Urbe 343.
— S. Hieronymi in Dalmatia 362 374.
— Hispalensis v. Baeticae.
— Hispaniae 142.
— Hispaniolae 151.
— Hollandiae 364.
— Hungariae 142 144 150 347 sq 374 sq.

Prov. S. Iacobi in Hispania 85 sq 111 142 144 148 150 170 289 sq 296 349 357 365 376.
— S. Iacobi de Jalisco 352 376.
— S. Iacobi in Madera 349 376.
— S. Iacobi de Marchia 362.
— Ianuensis 142 144 150 343 346 361 373 sq.
— Imm. Conc. Angliae 364.

Prov. Imm. Conc. de la Beyra 351 357 377.
— Imm. Conc. in Borussia 363.
— Imm. Conc. in Brasilia 353 365 378.
— Imm. Conc. in Galicia 363.
— Imm. Conc. in Gallia 355 378.
— Imm. Conc. in Langobardia 361.
— Imm. Conc. in Nova Castilia 351 377.
— Insularum Indiarum 149.
— S. Ioannis Bapt. Cincinnatensis 366 472.
— S. Ioan. Bapt. Saxoniae v. Saxoniae.
— S. Ioan. Bapt. Valentiae v. Valentiae.
— S. Ioan. Capistrani 345 347 362 374.
— S. Ioan. Evang. (Azores) 349 357 376.
— S. Iosephi in Belgio 364.
— S. Ios. in comit. Flandriae 314 356 378.
— S. Iosephi in Hispania 292 sq 351 377 480.
— S. Iosephi Lyciensis 361.
— S. Ios. de Yucatan 352 365 376.
— Irlandae 142.

Prov. S. Ladislai 347 sq 362 374.
— Langobardiae Imm. Conc. 361.
— S. Leonardi a P. M. 361.
— S. Leopoldi v. Tyrolensis.
— Limensis XII Apost. 353 365 376.
— Lituaniae 347 sq 374.
— Lombardiae 142.
— Lotharingiae S. Nicolai 356 378.
— Lucensis S. Crucis 343.
— Lucensis S. Iosephi 361.
— S. Ludovici v. Provinciae.
— S. Ludovici Ep. 364.
— Lyciensis S. Ant. 344 361 373.

Prov. Maioricarum 149 sq 376 502.
— Mantuana 344 346.
— Marchiae Ancon. 142 144 150 346 373.

Prov. March. Tarvis. v. Veneta.
— S. Mariae Arrabidorum 293 296 349 sq 357 377.
— B. Mariae Assumptae Prussiae 347 sq 375.
— S. Mariae Dolorosae Russiae 347 sq 374 sq.
— S. Mariae de Gratiis in Sardinia 345 367 376.
— S. Mariae in Hungaria 348 362 374 sq.
— S. Mariae Magdal. 355 378.
— VII Martyrum 344 346 362 373 sq.
— Matris Dei de Malacca 354 378.
— Mediolanensis 142 144 150 303 343 sq 346 373 sq.
— S. Michaelis Archang. v. Apuliae.
— S. Michaelis in Estremadura 350 357 376.
— Mosana 356.
— Murciae v. Carthaginiensis.

Prov. Narbonnensis 142.
— Nicaraguae S. Georgii 353 365 376.
— S. Nicolai (Apuliae) 146 150 344 346 362 373 sq.
— S. Nicolai Lotharingiae 356 378.
— SS. Nominis Iesu (U. S.) 366.
— SS. Nominis Iesu de Guatemala 352 376.
— Norvegiae 142.
— Novae Galiciae 352.

Prov. Palmarum 350.
— S. Paschalis Lyciensis 351 361 sq 377.
— S. Paschalis Murciae 351 377.
— S. Pauli in Hispania 351 377.
— Pedemontana S. Thomae Ap. 343 361 373 sq.
— Pennensis 142 144 150.
— Peruviana 365.
— S. Petri Alcant. Alsatiae 356 378.
— S. Petri Alcant. in Granata 351 377.
— S. Petri Alcant. in Neapoli 351 377.
— S. Petri in Montorio 343.

Prov. SS. Petri et Pauli de Michoacan 352 365 sq 376.
— Philippinarum S. Greg. 354 365 378.
— Picena v. Marchiae Ancon.
— Pietatis 295 349 sq 357 376 sq.
— Poloniae 148 150 347 sq 374 sq.
— Portugalliae 142 144 150 349 357 365 376 397.
— Principatus 344 346 362 373 sq.
— Promissionis 142.
— Provinciae (S. Ludovici) 90 142 144 150.
— Prussiae 347 sq 363 sq 375.

Prov. Ragusii 147 150 347 362 374.
— S. Raphaelis 351.
— SS. Redemptoris 345 347.
— Rhenano-Westphalica 363.
— Rheni 142[1].
— Romana 142 144 150 346 360 373 sq.
— Romaniae 142 sq 147 150 157 169.
— Russiae 347 sq 374 sq.

Prov. SS. Sacramenti 355 378.
— SS. Salvatoris 348 362 374 sq.
— de Santoyo 149 sq 350 357.
— Sardiniae 146 151 344 361 367 376.
— S. Saturnini 345 367 376.
— Saxoniae S. Crucis 121 142[1] 144 151 355 364 sq 377 422.
— Saxoniae S. Ioann. Bapt. 121 142[1] 144 151 355 377 417.
— Sclavoniae 142 144 150, v. Dalmatiae.
— Scotiae 142 148 151 356 377 438.
— Senensis 343.
— Seraphica v. Umbriae.
— Siciliae 142 144 150 344 347 373 375.
— Silesiae (S. Hedwigis) 348 364 375.
— Solitudinis 350 357 377.

Prov. SS. Stigmatum 360.
— Sueciae 142.
— Syriae 46 142 144 150 235 sq.

Prov. Tarraconensis 301.
— Terrae Laboris 142 144 146 150 344 346 362 373 375.
— Terrae Sanctae 142 147 150 157 169 235 347 374 491 sq.
— Teutoniae 142.
— S. Thomae Ap. in India orient. 354 376.
— S. Thomae Ap. in Pedemont. 343 361 373 sq.
— Thuringiae (S. Elisabeth) 355 364 377 sq.
— Transsylvaniae 347 sq 362 375.
— SS. Trinitatis de Chile 353 365 376.
— Turoniae 90 92 97 110 142 144 148 151 354 sq 377.
— Turoniae Pictav. 354 377.
— Tusciae 142 144 150 343 346 360 sq 373 sq.
— Tyrolensis S. Leopoldi 310 347 349 363 366 375.
— Tyrolensis S. Vigilii 347 349 375.

Prov. Ultramarina 142.
— Umbriae (Seraphica) 142 144 150 346 360 373.

Prov. Valentiae 301 350 365 376 sq.
— Vallis Daemonis 344.
— Vallis Mazzariae 344 347 362 373 375.
— Vallis Nemoris 344 362.
— Vallis Nethi 344 347 362 373 375.
— Veneta 142 144 146 150 303 344 346 349 361 373 sq.
— S. Vigilii v. Tyrolensis.

Prov. S. Wenceslai (Bohemiae) 349.

Provinciae Capuccinorum 554 sq.
— confoederatae 283 287 322 355.
— Conventualium 534 sq.
— Tertiariorum 596 608 sq.

Provincialis socius 171.
Prussia 221 364.
Puellae caritatis 615.
Puidgengolas Iosephus 464.
Pulaskensis commissariatus 366.
Putimaes 457.

Quadramiro Antonius 463.
Quaracchi 509.
Querétaro 455.
Quiñones Franciscus 126 196 204 272 299 386 392 395 416 433 590.
Quiroga, Hisp. inquisitor 422.
Quito 459 462.

Rabasteins 312.
Rabida, S., Maria de la 87 450.
Rada Ioannes 516.
Radinsky Alexander 432.
Radulphus de Rosa 195.
Rainalducci Petrus a Corbara 67.
Raphael a Castel de Vide 480.
Rasch Mauritius 428.
Rascia 219.
Rationalismus 324.
Ravenna 75.
Raymundus ab Alexandria 231.
— de Fronsac 50.
— Gaufredi 45 49 sq.
Rebellio Gallica 327 sq 433 593.
Recollectae 592.
Recollecti 299 311 sq 325 333 341 355 sq 378 393 398 401 sq 447 592.
Recollectionis domus 290 298 sq 372.
Recollectio Villacretiana 89 98.
Reformati 303 333 344 374 393 402 414 447 506 592.
Regius Thomas 424.
Regula S. Franc. 5 8 16 sq 26 37.
— Hugolini 581.
— S. Clarae 579 sq.
— de Campolongo (Longchamps) 584.
— Tertiariorum 595 sq.
— Urbani IV 584.
Regulae declaratio 18 21 26 39 41 sq 53 57 98 126 sq 288. Cf. Litterae apostolicae.
Reiffenstuel Anacletus 518.
Reinaldus, frater 580.
— de Segni, Cardinalis 579.
Reinoldt Marcus 432.
Repraesentatio praesepis Domini 201.
Rhini Franc. Maria 286.
Rhodus 216 497.
Ribeira Bernardinus 453.
— Grande, missio 479.
Rich Hugo, Guardianus 437.
Richardus a S. Anna 484.
— de Armagh 214.
— a Burgundia 231.
— Magister 26.
— de Middletown (Media Villa) 259.
— Praedicator 195.
Ricke Henning 423.
Ridolfi Petrus 521 sq 547.
Riesenburg 221.
Rieti (Reate) 9 23 45.
Riformella 309.
Riga 221.
Rigaud (Rigaldus) Odo 193.
Rinaldus Aretinus 193.
Rio Janeiro (flumen Ianuarii) 353.
— Quarto 465.
Risbey Richardus 437.
Rist Valerius 490.
Ritiri 302 309.
Rivotorto 5 539.
Robertus de Bastia 26.
— Lyciensis (Lecce) 112 198.
— rex Siciliae 236.
Robles Franc. 481.
Roderici Io. 87.
Rodolphe Nicolaus 93.
Rodriguez Augustinus 470.
— Emanuel 519.
— missionarius in Florida 468.
Rogerius Guérin 236.
— missionarius 225.
Rojas Franc. 527.
Rollo Basilius de Gemona 486.
Roma 5 21 25 27 58 284 506; v. cap. generale.
Romania 476 538.
Rossi Ios. 528.
— Leonardus de 76.
— Matthaeus 585.
— Raphael a Lugagnano 322.
Rossini Ioachim 529.
Rottenburger Conradus 266.
Rovere v. Franc. della.
Royaerts Io. 435.
Rubruck Guilelmus 227.
Ruffach 430.
Rufinus Sciffi 6.
— S., Episcopus 2.
Ruiz Bartholomaeus 489.
— Blanco 458.
Runge Eberhardus 423.
Rusconi Antonius 106.
Russia 97 143 148 220 492.
Rycke Iodocus 459.

Sabatinus, socius S. Franc. 5 [2].
Sabbatini Ludovicus Ant. 529.
Saccati 35.
Safet 235.
Sagamozo 457.
Sagard Gabriel 475.
Sager Casparus 422.
Sahagun (S. Facundi conv.) 88.
Saint-Omer 92 111.
Salamanca (Salmantica) 248 253 501 507 510 513.
Salimbene 262.
Salomonis insulae, missio 491.
Salta 465.
Salvator ab Offida 477.
Salvatore, S., in Onda (Unda) 160.
Salvetti Angelus, min. gen. 80 107.
— Ioachim 487.
Salzeda 88.
Salzkotten 617.
Samaniego Ios. Jimenes 287 371 386 396 526.
Samarkand 227 230.
Sambuca Mich. Ang. 285.
Samson (Nanni Fr.) 120 126.
Samuel a Biumo 479.
San Carlos 465.
Sancia, regina Siciliae 58 70 236 sq.
Sancti ordinis v. Tab. XI.
Sanctorus de Melfi 285.
Sangi 490.
San Lorenzo 465.
Sannig Bernardus 527.
Santander 88.
Santarem 468.
Santoyo v. Petrus a.
Sappel Ladislaus 518.
Sappora 485.

Sarai 227 sq 230 232.
Sarcia P. 474.
Sardinia 23 143 146 534 556.
Sasbout Adamus 435.
Saxonia 103.
Sbaraglia (Sbaralea) Hyacinthus 524 547.
Scandinavia 538.
Scarpola 82[3].
Schansi 487.
Schantung 485 487.
Schatzgeyer Casparus 134 254 428.
Schensi 487.
Schervier Francisca 616.
Schindler Adrianus 432.
Schisma occidentale 58 73sq 77 85 155.
Schleswig-Holstein 424.
Schmid Io. (Rotfuchs) 417[6].
Schmilkofer Wolfgangus 428.
Schmitt Wolfgangus 518.
Schnabel Ioachim 418[1].
Schneider Eulogius 433.
Schoenebeck Iacobus a 420[1].
Schuler Dionysius 340 527.
Schwab Theobaldus 432.
Schwan Io. 420[1].
Schwarz (Niger) Bertholdus 262.
Schweden (Suecia) 135 440.
Schwederich Iacobus 422.
Scientia 22 27 34 108 239 497 545 572.
Sciffi 6 575.
Scotellus 260.
Scotia 77 143 148 438.
Scotus Io. D. 104 257 sq 501 515.
Scriptor 158 171.
Scriptores Ord. Min. 524.
Scriptoris Paulus 256.
Secretarii 158 171 388 sq 540 sq 563 566.
Secretarius generalis 158 388 540 (Convent.) 562 (Capucc.).
— provincialis 171 541 (Convent.) 566 (Capucc.).
Secusi Bonaventura 279 305 312.
Sedulius Henricus 436 522.
Séez 92.
Segarelli 35.
Segorbe 86.
Segovia 87 281.
Seiler Franc. 422.
Seiz Udalricus 432.
Seminarium Hollandicum 427.
Seraphinus a Capricolle (Ziegenhals) 572.
Serbia 219 477.
Serpetri Angelus 112.
Serra Iuniperus 473.
Serravalle Io. Berth. 265.
Servais Guilelmus 433.
Servantius Astulphus 520.
Servatius a Noetberg 426.
Sevilla (Hispalis) 87 149.
Seychelles insulae 571.
Sheil Bonaventura 491.
Siam 489.
Sichem Guil. van 519.
Sicilia 29 54 56 58 69 342 344 556 607.
Sidon 236.
Siena (Senae) 9.
Sierra Morena 149.
Sigismundus, Imperator 80 96.
Silentium 32.
Silos 88.
Silva Io. 446.
Silvester, socius S. Franc. 5[2].
— Senensis 198.
Simon a Coimbra 488 sq.
— de Coninck 435.
— Io. 490.
— a Lipnica 200.
— comes de Montfortio 209.
Simonis Franc. 311.
Singer Petrus 529.
Sinistrari Ludovicus 519.
Sion 236 sq 413.
Sixtus IV, Papa 117 sq 122 124 127 132 156 163[1] 214 224 589 607.
— V, Papa 278 387 409 sq 483 498 522 531 sq 534 539 545 590 608.
Slavonia 6 476.
Smising Theodorus 517.
Smits Guilelmus 508 518.
Smyrna Cap. 570.
Sobreviela Emanuel 461.
Socialis actio 14 205 sq 603 sq.
Societas Peregrinantium 216 sq.
Socius Generalis 158 181 388 540 (Convent.).
Sokotra 226.
Sollicitator in curia 403 sq.
Solor 490.
Somma Eugenius 217.
Sonora, missio 469 sq.
Sorbonna 242.
Soria 89.
Soriano nel Cimino 41.
Sormano v. Petrus Marinus.
Sorores de Ave Maria 589.
— de S. Cruce 616.
— griseae 615.
— minores inclusae 584.
— pauperum S. Franc. 616.
Sotello Ludovicus 484.
Soto Io. de 321.
Souhaitty Io. Iac. 529.
Sousa Franciscus 279.
Spelt Henricus 420[1].
Spiezza Cosmas 528.
Spirituales 22 27 sq 31 sq 35 sq 43 sq 50 sq 58 90 98 104 123 172 176 231 239 253.
Spoleto (Spoletum) 3 78.
Sporer Patritius 518.
St Mauriz 617.
Stagefyr Nicolaus 425[3].
Statistica 162 sq 371 sq 534 (Conv.) 554 (Cap.) 586[7] 593 (Clar.) 600 (Tert.).
Statuta v. Constitutiones.
Stephanus Brulefer 255.
— ab Hungaria 232.
Stigmata S. Francisci 9.
Straßburg (Argentoratum) 44.
Stromberg 427.
Stroncone 82[2].
Strozzi Antonius 307.
— Berardus 528.
Studia v. Scientia.
Studium generale 243 sq 505.
Suarez Io. 468.
Subasio 6 575.
Subrogatio 385 392.
Sucre 464.
Sumatra 490.
Summae Confessorum 261.
Sydney 491.
Sylvius Aeneas 113.
Syndicatio 164 408.
Syndicus Apostolicus (Procurator conventus) 28 40 42 sq 59 62 72 79 99 100 sq 118 127 132 274 sq 292 553 (Capucc.).
Syria 46 497 570.

Täbris (Tauris) 227.
Taikosama 482.
Taillepied Natalis 434.
Tamerlan 233.

Tana 230 233.
Tancredi Angelus 5[2].
— a Colle 531.
Tarata 464.
Tarija 464.
Tataria 97 227.
Tavileis Nicolaus 237.
Tecca Io. a Capistrano 329 498.
Tello Antonius 469.
Ternate 490.
Terra firma 457.
— Sancta 7 216 223 sq 234 sq 342 478 491 sq.
Tertianus 183.
Tertiarii 530 594.
— commensales 611.
— regulares 605 sq.
Testamentum S. Francisci 10 18 sq 21 37 42 51 57 174 202 240 553 579.
Teufel Matthias 423.
Tevo Zacharias 530.
Texas 472 sq.
Textera Iacobus 456.
Theobaldus a Geislingen 199.
Theophilus a Corte 302.
Thiery Io. 433.
Thomas de Aquino 30 59 245 sq 500 sq.
— a Celano 10 33 262.
— a Charmes 573.
— a Core 302 444.
— a Curte 91.
— ab Eccleston 262.
— a Florentia 224.
— Franc. de Urrutigoyti 516.
— de Frignano 76.
— Illyricus 198.
— Iuvavus 431.
— a Tolentino 35 231 233.
Thorn 424.
Thuille Vincentius 569.
Thuine 617.
Thuringia 356.
Thyssen Henricus 443.
Tibet 570 sq.
Tielci Bonagratia 41 159 231.
Tirolis 310 499[4].
Tisserand Io. 198.
Titelmans Franc. 426.
Todi (Tudertum) 242.
Toledo (Toletum) 87 278.
Tongking 489 sq.
Tonini Gabriel 517.
Toringia 232.
Tornelli Hieronymus 224.
Torrella Io. 484.
Torres Ludovicus 316.
Torri Constantius 547.
Torriti Iacobus 263.
Toscana (Tuscia) 30 45 54 360 sq.
Totaneis Sebastianus 481.
Toulouse (Tolosa) 248 251 273 508 510.
Trapezunt (Trapezus) 229 sq 570.
Treviso 266.
Tricassinus Carolus Ios. 573.
Tridentum 101 179 214 515 530.
Trinci Paulus 82 sq.
Trinidad 458.
Trionfetti Bernardinus 332 495.
Tripolis 236 478.
Truel 222.
Tsi-nan-fu 486.
Tübingen 256.
Tucumán 353 465.
Tunis (Tunetum) 223 478 571.
Tunja 457.
Turcae 197 217.
Turcestan 227.
Tuscia 46 143.
Tuticorin 488.
Tyrannicidium 80.
Tyrus 236.

Ubertinus a Casale 46 49 sq 55 sq 60 66 262.
Ucayali 460 sq.
Udalricus a Gabola 431.
Ulissipona 86.
Ulm 266 429.
Ulrich Io. 430.
Ultramarina natio 342.
Ultramontana v. Familia.
Umbria 77 83 122.
Unio congregationum ordinis 277 sq 318 321 333 sq.
Universitates 243 504.
Urbanus IV, Papa 584.
— VI, Papa 77 189.
— VIII, Papa 284 296 308 384 sq 402 414 512 530 sq 533 565.
— de Venetia 266.
Urrutigoyti Thomas Franciscus de 516.
Ursulinae 615.
Uruguay 466.

Valencia 222 507.
Valentinus de Treviso 123.
Valladolid (Vallisoletum) 295.
Valois Ioanna a (Valesia) 590.
Valotti Franciscus Antonius 530.
Van den Haute Petrus 526.
Vanutelli Seraphinus 339.
Vaquier Ferdinandus 234.
Varennes 92.
Vasco de Gama 603.
Vascotti Clarus 520.
Vassalli Fortanerius 74.
Vazilo Andreas 221.
Vega Andreas a Segovia 516.
Velasquez Ioannes 501.
Velden Pius van der 518.
Vélez 457.
Velloso Marianus 520.
Venantius a Celano 332.
Veneratio B. Mariae V. 203.
Venetia 105 266 505.
Venezuela 351 353 458 571.
Verhaegen Theotimus 487.
Veronica Giuliani (de Iulianis), S. 592.
Vervey Antonius 435.
Via crucis 202.
Viadana v. Grossi Ludovicus.
Vianney I., B., de Ars 602.
Vicariae 143 sq 340.
Vicariani 109.
Vicarius Apostolicus 540.
— chori 415.
— conventus 177 182 415 543.
— custodis 172.
— gen. Capuccin. 562.
— — Discalceat. 295.
— — Observ. 92 107 sq 179, Tabella III.
— — ordinis 8 159 392.
— — Recollect. 313.
— — Reformat. 307.
— provincialis 22 171 180 410 566.
Vice-guardianus 177.
Vice-procurator 401.
Vice-protectores 386.
Vice-provincialis 410.
Viel Nicolaus 475.
Vienne (Vienna) 50 52.
Victorinus del Moral 481.
Villacreces (Villacretius) Petrus de 88 sq 123 sq.
Villaverde 87.
Vincentius a Lagos 488.
Visdomini Franciscus 544.

Visio beatifica 70.
Visitatores 24 157 306 387.
— monasteriorum monialium 591.
— tertii ordinis 596 606 608 sq.
Vita de Lucca 15 265.
Vitalis 222.
Vivien Michael 443.
Voiturier Theodoricus 111.
Volta Al. 603.
Volz Fructuosus 432.
Vorillon Guilelmus 260.

Waddingus Lucas 403 405 507 515 522 sq.
Walachia 216 220.
Waldbreitbach 611.
Waldenses 12 186.
Waldis Burchardus 420.
Waler Casparus 123.
Ward Hugo 578.
Weimar 422.
Weins Antonius 417[6].
Weiß Liberatus (a S. Laurentio) 479.
Weißenburg in Alsatia 430.
Wetweis Bernardinus 427.
Weynssen Matthias 426.
Whelan 475.
Wichet Io. 214.
Wien (Vienna) 431 506.
Wiggers (Vigerius) Nicolaus 427 435 440 600.
Wild (Ferus) Io. 425 516.
Winzler Io. 429.
Wisconsin 476.
Wolfstein 427.
Woodcock Io. 438.
Worms 326.

Xelva 86.
Ximenes v. Jimenes.

Yllescas Matthias 460 sq.
Yucatan 352 455.

Zacatecas 455 469.
Zaenkel Diaconus 529.
Zagagnoni Franc. 529.
Zaiton 229 233.
Zamora 459.
— Franciscus 276.
— Io. Aegidius 262.
Zampa Iac. a Sarnano 477.
Zanettus Dacre 118.
Zapata Ludovicus 457.
Zara Simon 461.
Zarate-Salmeron Hieron. 470.
Zegers Nic. Tacitus 435 517.
Zeno Franciscus 133.
Zeppern, congreg. de 607 609.
Zevenär Stephanus 426.
Ziranus Franciscus 478.
Zoccolanti 82.
Zoethelme Gerardus 263.
Zummáraga Io. 454 485.
Zviedzdovič Aug. 219.
Zwickau 422.
Zwinger Electus 520.

Corrigenda.

Pag. 16 linea 9 legas: *Innocentio III* loco Honorio III.
„ 22 „ 33 „ *extremarum* loco externarum.
„ 28 „ 2 „ *Hi* loco Hic.
„ 88 „ 26 addatur post ‚provincialis': *pro custodia Palenciae.*
„ 110 „ 2 legas: *vivebant* loco videbant.
„ 193 „ 35 „ *1275* loco 1265.
„ 205 „ 7 „ *quae* loco quia.
„ 222 „ 15 „ *1238* loco 1283.
„ 239 „ 12 „ *1439* loco 1493.
„ 278 „ 24 „ *Pius V* loco Paulus V.
„ 279 „ 6 „ *1553* loco 1583.
„ 289 „ 5 „ *Zarzosa* loco Zargosa.
„ 300 „ 16 „ *1525* loco 1545.
„ 327 „ 3 post inscriptionem § 75 addatur: *1791—1838.*
„ 405 „ 6 legas: *1535* loco 1595.
„ 430 „ 25 „ *1633* loco 1617.
„ 440 „ 2 post ‚conventus' addatur: *velut conventus Istadiensis.*
„ 451 „ 24 legas: *scripserunt* loco miserunt.
„ 455 „ 1 deleatur *quae.*
„ 482 „ 18 post ‚Albuquerque' addatur: *(† 1553).*
„ 486 „ 35 „ ‚Benedictus XIV' addatur: *anno 1742.*
„ 493 „ 17 „ ‚consul Gallus' addatur: *ex anno 1621.*
„ 495 „ 37 legas: *1565* loco 1865.
„ 514 „ 17 post ‚quod' addatur: *anno 1679.*
„ 544 „ 25 legas: *Franciscum* loco Franciscanum.
„ 566 „ 29 „ *congr. intermediae* loco congr. generalis.
„ 558 „ 17 „ *1618* loco 1617.
„ 592 „ 23 post ‚Cappuccinis' addatur: *anno 1538.*
„ 606 „ 15 „ ‚supplicantes' addatur: *anno 1401.*

B. HERDER, TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS,
FRIBURGI BRISGOVIAE (GERMANIAE).

Opus gravissimum!

Praelectiones Dogmaticae quas in Collegio Ditton-Hall habebat **Christianus Pesch** S. J. Cum approbatione Rev. Archiep. Friburg. et Super. Ordinis. Novem tomi. 8° Pretium: *M* 53.60 = *Fr.* 67.—; a dorsis corio relig.: *M* 68.— = *Fr.* 85.—

Operis tomi etiam separatim veneunt:

I. De Christo legato divino. De ecclesia Christi. De locis theologicis. *Editio tertia.* (XXVI et 416 p.) *M* 5.80 = *Fr.* 7.25; relig. *M* 7.40 = *Fr.* 9.25

II. De Deo uno secundum naturam. De Deo trino secundum personas. *Editio tertia.* (XIV et 386 p.) *M* 5.60 = *Fr.* 7.—; relig. *M* 7.20 = *Fr.* 9.—

III. De Deo creante et elevante. De Deo fine ultimo. *Editio tertia.* (XII et 396 p.) *M* 6.40 = *Fr.* 8.—; relig. *M* 8.— = *Fr.* 10.—

IV. De Verbo incarnato. De beata Virgine Maria. De cultu sanctorum. *Editio tertia.* (XII et 400 p.) *M* 6.40 = *Fr.* 8.—; relig. *M* 8.— = *Fr.* 10.—

V. De gratia. De lege divina positiva. *Editio tertia.* (XII et 331 p.) *M* 5.60 = *Fr.* 7.—; relig. *M* 7.20 = *Fr.* 9.—

VI. De sacramentis in genere. De baptismo. De confirmatione. De ss. Eucharistia. *Editio tertia.* (XVIII et 452 p.) *M* 7.— = *Fr.* 8.75; relig. *M* 8.60 = *Fr.* 10.75

VII. De sacramento paenitentiae. De extrema unctione. De ordine. De matrimonio. *Editio tertia.* (XIV et 470 p.) *M* 6.40 = *Fr.* 8.—; relig. *M* 8.— = *Fr.* 10.—

VIII. De virtutibus in genere. De virtutibus theologicis. *Editio altera.* (X et 320 p.) *M* 4.80 = *Fr.* 6.—; relig. *M* 6.40 = *Fr.* 8.—

IX. De virtutibus moralibus. De peccato. De novissimis. *Editio altera.* (X et 414 p.) *M* 5.60 = *Fr.* 7.—; relig. *M* 7.20 = *Fr.* 9.—

Iudicia aliqua de hoc opere.

Divus Thomas, Placentiae:

»Revera cursus integer theologiae dogmaticae ad usum scholarum iuxta novam methodum, formamque, novisque tractatibus, adinventis, et scientiarum profectibus comparatus, auctus et respondens, qui tamen tenue manuale tantummodo non esset, neque in immensum, fere unice ad consulendum, opus evaderet, omnino desiderabatur. Perfectum ad hoc putamus opus P. Christ. Pesch evasisse; in quo et scholastica methodus, una cum libera ratiocinatione coniuncta, et Ecclesiae decreta omnia, patrumque testimonia multiplicia, sobrie tamen et ad criticae regulas discussa, et modernorum adinventa copiose adhibita, erroresque universi refutati inveniuntur, ut alumni, eo solo utentes, plene instructi evadant in theologicis disciplinis.«

Theologisch-praktische Quartalschrift, Linz:

»Bestimmtheit des Ausdrucks, leichtverständliche, schöne Diktion, gründliche Behandlung aller einschlägigen Fragen, namentlich auch der verschiedenen modernen Einwürfe gegen die Echtheit und Glaubwürdigkeit der Heiligen Schrift, und was die Hauptsache ist, kirchliche Korrektheit zeichnen die Dogmatik des P. Pesch aus.«

La Civiltà Cattolica, Roma:

»Non crediamo di errare dichiarando quest' opera del Pesch il **miglior corso didattico di apologetica** che sia uscito finora. . . . L'opera del Pesch è un vero e solido fondamento della Teologia scolastica.«

The American Catholic Quarterly Review, Philadelphia:

"Indeed, when one takes up any of the splendid volumes of Father Pesch's course, one feels like congratulating students of theology in this generation on the possession of such a broad, solid, scholarly help in the pursuit of their studies. The number of works of this class is considerable, but the present is certainly amongst the very best; and besides, what should not be overlooked in this connection, in view of its excellent typography, paper and binding, it is procurable at a reasonable price."

Soluciones Católicas, Valencia:

»**El libro del P. Pesch es la mejor obra didáctica de Teología** que se ha escrito hasta el presente, superior en este sentido á las obras de Perrone, Franzelin, Hurter, Palmieri y Mazzella.«

L'Université Catholique, Lyon:

»Tout en demeurant classique, l'auteur a si bien fondu, dans une harmonieuse proportion, les règles de l'école positive et la méthode scolastique, que **son œuvre revêt un caractère vraiment scientifique**, et peut être lue avec un grand profit, même par les élèves des facultés et les prêtres qui ont le noble désir de compléter leur instruction cléricale. **Elle est supérieure aux travaux similaires** par la belle ordonnance du plan général et des cadres particuliers, par l'enchaînement logique des parties, la rigueur d'une méthode qui se soutient partout au même niveau, la solidité de la doctrine, l'abondance des informations, la mise en valeur des preuves, la connaissance des objections modernes, une tournure neuve dans l'exposé des choses anciennes et jusque par la **langue, qui est simple, forte**, exempte des constructions enchevêtrées et des termes barbares qu'on rencontre trop souvent dans le latin théologique.«

The Irish Ecclesiastical Record, Dublin:

"The latest three volumes continue to exhibit what was so observable in their earlier brothers—**erudition, depth of thought, lucid arrangement, and strength of treatment.** Like all parts of the book, they are **written well up to date**, and the latest discussions appertaining to their subject matter will be found embodied in their pages."

BX 3606 .H6173 1909 IMS
Holzapfel, Heribert,
Manuale historiae ordinis
fratrum minorum 47082511